FUNDACIÓ NOGUERA

COL·LECCIÓ DIPLOMATARIS

Butllari de Catalunya: documents pontificis originals conservats als arxius de Catalunya (1198-1417)

VOLUM II

Edició a cura de

TILMANN SCHMIDT

ROSER SABANÉS I FERNÁNDEZ

Barcelona, 2016

BUTLLARI DE CATALUNYA: DOCUMENTS PONTIFICIS ORIGINALS CONSERVATS ALS ARXIUS DE CATALUNYA (1198-1417)

FUNDACIÓ NOGUERA

FUNDACIÓ NOGUERA

www.fundacionoguera.com

Col·lecció Diplomataris

Director tècnic: Josep Maria Sans i Travé

FUNDACIÓ NOGUERA

Diplomataris, 74

Butllari de Catalunya: documents pontificis originals conservats als arxius de Catalunya (1198-1417)

Volum II

Edició a cura de
Tilmann Schmidt
Roser Sabanés i Fernández

BARCELONA, 2016

textos medievals catalans

www.tmcat.net

© Tilmann Schmidt, Roser Sabanés i Fernández, 2016
Edita: Pagès Editors, SL
Sant Salvador, 8 - 25005 Lleida
editorial@pageseditors.cat
www.pageseditors.cat
Primera edició: juny de 2016
ISBN obra completa: 978-84-9975-775-9
ISBN volum II: 978-84-9975-769-8
DL L 633-2016
Impressió: Arts Gràfiques Bobalà, SL
www.bobala.cat

PAPAT A AVINYÓ:
DE CLIMENT V (1305) A GREGORI XI (1377)

CLIMENT V

(elecció 5 juny 1305; coronació 14 novembre 1305;
† 20 abril 1314)

628

1305 octubre 17, Montpeller

Climent V invalida al rei Jaume II d'Aragó, Sardenya i Còrsega la venda que va fer en menys de la meitat del seu just preu dels llocs d'Onda, Gallur i Avinyó a R. (Ramon) de Ribelles, mestre general de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem a Hispània i castellà d'Amposta, obligat per la manca de recursos per emprendre la campanya de Sicília.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 1 augment.
a Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, I, p. 34-35, doc. 224.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 172, doc. 324.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 3, doc. 4809.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo Aragonie Sardinie et Corsice regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Celsitudinis tue merita commendanda nos instanter sollicitant, ut in hiis que tibi sint placida, nos tibi reperias favorabiliter gratiosos. Oblata siquidem nobis tua petitio continebat, quod cum tu olim ad arripiendum iter eundi ad partes Italie pro quibusdam ecclesie Romane obsequiis circa negotium regni Sicilie prosequendis te parares, teque propter hoc magna ratione expensa-

FUNDACIÓ NOGUERA

rum huiusmodi accessus tui necessitas coartaret, tu ad necessitatem huiusmodi sublevandam vendidisti imperpetuum quondam fratri R. de Ripellis ordinis Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani castellano Emposte tenenti in Yspania locum magistri generalis Hospitalis eiusdem, ac ementi et recipienti nomine suo ac magistri Hospitalis et ordinis predictorum, merum et mistum imperium ac iurisdictionem quamlibet in civilibus et criminalibus, que habebas vel ad te spectabant in castris villis seu locis de Onda et de Gallur et de Avinione ac pertinentiis eorundem pro pretio septingentarum quinquaginta librarum Barchinonensium, prout in instrumento publico inde confecto plenius dicitur contineri. Quare nobis ex parte tua fuit humiliter supplicatum, ut cum in venditione huiusmodi longe ultra dimidiam [partem] iusti pretii deceptus extiteris, providere super hoc indempnitati tue de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes necessitatem, que te ad fatiendam huiusmodi venditionem induxit et lesionem quam propterea incurristi ac propterea dignum reputantes et congruum, ut tu qui propter ecclesiam matrem tuam te huiusmodi onere pregravasti, per eam ab illo provide releveris, tuis supplicationibus inclinati venditionem et alienationem huiusmodi et eius contractum obligationes penas et conditiones in ipso adiectas ac instrumentum predictum et omnem eius effectum, dummodo premissa veritate nitantur tuque prefato magistro seu dicto castellano locum eiusdem magistri tenenti aut alii subrogato loco ipsius pretium integraliter restituas antedictum, cassamus irritamus et omnino iuribus vacuamus teque a iuramento, siquod in eodem contractu de non veniendo contra ipsum per te vel alium prestitisti, necnon heredes et successores tuos et omnes, qui pro te in eodem contractu se quomodolibet obligassent, ab omnibus promissionibus et obligationibus propter hoc factis prorsus absolvimus et penitus liberamus. Ita quod nichil contra te vel ipsos pretextu transgressionis iuramenti vel contractus ipsorum possit infamie vel detractionis impingi, nullamque dicti magister castellanus et fratres Hospitalis eiusdem aut successores eorum occasione premissorum contra te vel heredes et successores predictos vel aliquos, qui pro te super hoc fuerint obligati, habeant actionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre cassationis irritationis vacuationis absolutionis et liberationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Montempesulanum, XVI Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

629

1305 octubre 17, Montpeller

Climent V faculta els abats de Sant Cugat del Vallès (Ponç Burguet) i de Santes Creus (Boronat de Vilaseca), de les diòcesis de Barcelona i Tarragona, per absoldre els incursos d'excomunió pel comerç il·lícit amb els sarraïns d'Alexandria i altres parts d'Egipte mitjançant l'entrega de la quarta part dels guanys si són homes i de la quinta si són dones a la Seu Apostòlica, la qual s'encarregarà de fer efectives aquestes quantitats al rei Jaume II d'Aragó, Sardenya i Còrsega. (Aquestes quantitats seran destinades a sufragar les despeses del viatge de Jaume II a Montpeller amb motiu de professar-se client de Climent V pel feu de Sardenya i Còrsega, i per a la conquesta d'aquestes illes.)

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 3.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, I, p. 33-34, doc. 223.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 172, doc. 325.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 3, doc. 4808.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. sancti Cucuphatis de Wallesio et .. de sanctis Crucibus monasteriorum abbatibus Barchinonensis et Terraconensis diocesium salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis sinceritas quam carissimus in Christo filius noster Iacobus Aragonie Sardinie et Corsice rex illustris ad nos et sedem apostolicam exhibet, promeretur ut nos ipsum tamquam benedictionis filium paterne dilectionis brachiis amplectantes, ad ea que sui status respiciant incrementum, solicitis studiis intendamus. Ut igitur dicto regi gratiam, ex qua sibi subventio ad incumbentia sibi expensarum onera et aliis animarum salus provenire valeant, faciamus, dicti regis supplicationibus inclinati, absolvendi illos qui contra inhibitionem sedis eiusdem iverunt cum mercimoniis et rebus prohibitis suis vel alienis ad Sarracenos Alexandrie et aliarum partium Egipti vel illa illuc forsitan transmiserunt et habuerunt commertium cum eisdem, sive mares fuerint sive femine, ab excommunicationum sententiis et omnibus penis, quas occasione huiusmodi incurrerunt, dummodo mares eorum quartam et femine quintam partem de lucro, quod quesiverunt ex tam dampnato commertio vobis solvant, per vos postmodum dicto regi totaliter exhibendas plenam et liberam vobis et cuilibet vestrum concedimus tenore presentium facultatem.

Dat. apud Montempesulanum, XVI Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

630

1305 novembre 16, Lió

Climent V comunica al rei (Jaume II) d'Aragó, Sardenya i Còrsega, abans d'assumir el seu pontificat, la seva propera consagració (a la ciutat de Lió).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 4.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 170, doc. 320.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 3, doc. 4810.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio .. regi Aragonie Sardinie et Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Levabo oculos meos et considerabo mirabilia tua domine, ut doceas me iustitias tuas. Da michi intellectum ut discam mandata tua. Levat quippe oculos suos et considerat mirabilia domini, qui dum sui cernit humilitatem ingressus, progressum vero multis repletum intuetur miseriis, advertit se ratione vigere, participare cum angelis in intellectu cognoscit et tandem ad sublimiores honores se conspicit divina gratia gloriose provectum. Hoc admirans egregius ille psalmista proclamat, cum dicit, quid est homo, quod memor es eius aut filius hominis, quoniam visitas eum, minuisti eum paulominus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, sic faciens, quia se humiliat, a deo consequitur, ut eius doceatur iustitias et ab ipso intellectu recepto, illius non ignoret mandata, sed discat. Humilitas siquidem, per quam dignitatis, que eam habentis ingenio augenda est, non oriatur contemptus in regente velut quoddam sidus irradiat, exaltationem meretur et tanquam acceptabile sacrificium placet deo. Nos autem qui suppremum licet immeriti locum dei clementia tenemus in terris, non admirari solum, sed in stuporem verti debemus, super Petri solio excelso throno sedentes, eius constituti vicarius, cui per patrem dicitur,[1] filius meus es tu, ego hodie genui te, dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terre. Qualitatem insuper attendentes temporis, in timorem dari compellimur. Minus quidem bene quiescit ecclesia, ipsius terras et adiacentes provincias bella vastant civilia, illas hostiles incursus et quandoque congressus exterminant. Terram sanctam Babillonicus hostis non sine ignominia christiani nominis, miserabiliter occupatam detinet, et nonnulli principes Christi fideles adversus se dissident et oportunitate captata, libenter sibi invicem pernitiosas insidias procurarent. Quis ergo superbus

1. Hebreus 1,5; 5,5.

FUNDACIÓ NOGUERA

tante dignitatis fastigio putabit se dignum, aut quis stolidus se tanto oneri parem credet. Nos indignum dicimus et nos imparem merito reputamus. Ex debito namque pastoralis officii prohibere crimina, persuadere virtutes, inserere pacem, tollere odia et scandala removere tenemur. Sed increduli hostes, discoli subditi, superstitiosi subiecti, devoti nimium delicati et propter suasiones praves, quibus obviare intendimus aliquando pertinaces. Ideoque ecclesie ad deum egemus suffragiis et sanctorum orationibus indigemus, ut ipse iustitias suas nos doceat et intellectum det nobis, quod eius mandata discamus. Observantiam nempe iustitie pax, quia sunt pax et iustitia copulate et mandatorum dei custodiam devotio, etiam exterorum et obedientia comitantur. Illius enim vices hic gerimus lumborum, cuius est iustitia cingulum et fides cintorium renum eius. Canatur igitur tuba, sanctificetur ieiunium, vocetur cetus, congregetur populus, coadunetur ecclesia, ut ipsi ad deum, qui nos apostolica sede per obitum sancte memorie Benedicti pape predecessoris nostri proxime vacante per electionem canonicam et concordem cardinalium sancte Romane cui presidemus ecclesie nunc fratrum nostrorum benignitate misericordie sue ad regimen summi pontificatus assumpsit, et in eorum necnon serenissimi principis, carissimi filii nostri Philippi regis Francorum illustris aliorumque principum atque nobilium et multitudine populi copiosa presentia peragere solennia benedictionis nostre permisit. Porrigant preces, quod ad laudem suam, salvum et incolumem sue non servet ecclesie, detque nobis servo suo cor docile, ut iudicare possimus et regere populum suum ac inter bonum et malum discernere, quod periit, et precipue Terram sanctam memoratam requirere, abiecta reducere, alligare confracta, consolidare infirma, fortia custodire ac pinguia, commissum gregem in iudicio et iustitia pascere et illum taliter salubribus monitis confovere, quod eius sanguis in extremo iudicio de nostris non requiratur manibus, sed cum eo in eterna Christi tabernacula suscipi mereamur.

Dat. Lugduni, XVI Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

631

1306 gener 4, Lió

Climent V dispensa, a petició del rei Jaume II d'Aragó, Sardenya i Còrsega, de l'impediment de consanguinitat o afinitat en tercer grau dos dels seus fills perquè puguin contraure matrimoni amb qui els uneixi tal parentiu.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 5.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, I, p. 188, doc. 1027.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 170, doc. 321.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 6, doc. 4819.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo Aragonie Sardinie et Corsice regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Mira regis eterni benignitas sanctam Romanam ecclesiam sponsam suam dotavit amplis largitionibus gratiarum sibi tradens in clavium collatione celestium plenitudinem potestatis in terris qua Romanus pontifex utitur prout personarum et temporum qualitate pensata id in deo conspicit salubriter expedire, non nulla quandoque de benignitatis gratia concedendo personis generositate sublimibus, que merito forent aliis denegandi. Cum itaque tui generis alta prosapia adeo cum mundi magnatibus nexu sanguinis sit coniuncta, quod non possit inveniri de facili, quibus liberi tui decenter iuxta desiderium tuum et regalis excellentiam dignitatis matrimonialiter valeant copulari. Nos in hac parte tibi et eis benigne providere volentes tuis supplicationibus inclinati, ut due de filiabus tuis quas volueris cum hiis, qui ab eis vel a quibus ipse tercio consanguinitatis vel affinitatis gradu distant et ipsi cum illis matrimonium licite contrahere valeant, impedimento quod ex huiusmodi consanguinitate vel affinitate provenit non obstante, auctoritate apostolica de potestatis plenitudine dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Lugduni, II Nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno Primo.

632

1306 març 3, Saint-Cyr-au-Mont-d'Or

Climent V mana al bisbe de València (Ramon Despont), al prior de Sant Pau (del Camp) de Barcelona i al precentor de l'església de Pamplona, controlar les exempcions del monestir d'Àger de l'orde de sant Agustí i que el monestir gaudeixi de les llibertats i excepcions sense que ningú no els molesti.

A Àger, Arxiu Històric, núm. 23.
a Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, I, p. 193, doc. 1041.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino et dilectis filiis .. priori sancti Pauli Barchinonensis ac .. cantori ecclesie Pampilonensis salutem et apostolicam benedictionem. Ad statum monasterii Agerensis ordinis sancti Augustini paterne considerationis oculum convertentes ad ea libenter intendimus per que summotis impedimentis quibuslibet monasterium ipsum preservetur a noxiis et ad salubria tam spiritualiter quam temporaliter dirigatur. Ex tenore siquidem petitionis oblate nobis pro parte carissimi in Christo filii nostri F(rederici) regis Trinaclie illustris nuper accepimus quod licet monasterium ipsum quod in medio sive in confinibus plurium diocesum fore dinoscitur constitutum ad Romanam ecclesiam nullo mediante pertineat, aliqui tamen vicini episcopi pretendentes monasterium ipsum in suis consistere diocesibus seque per consequens in eodem ordinariam iurisdictionem habere super huiusmodi subiectione dicti monasterii dudum cum abbatibus eiusdem monasterii qui fuerunt pro tempore apud sedem apostolicam litigarunt multasque intulerunt ipsi monasterio molestias et iacturas ad monasterium ipsum occasione huiusmodi questionum gravia substulit detrimenta et ad huc maiora nisi salubre super hoc remedium apponatur videntur eidem verisimiliter imminere cum presertim questiones easdem velle dicantur iidem episcopi suscitare. Nos igitur ad reformationem dicti monasterii quod propter hoc specialiter et alias causas plures enormiter prout asseritur in spiritualibus et temporalibus est collapsum sollicitis studiis intendentes ac gerentes de circunspectione vestra fiduciam in domino specialem discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios super huiusmodi exemptione dicti monasterii et an ipsa exemptio dicto monasterio utilis vel dampnosa existat nostra freti auctoritate vocatis illis qui dicuntur in dicto monasterio iurisdictionem habere de consilio etiam et assensu .. abbatis dicti monasterii diligentius inquirentes, si privilegium exemptionis huiusmodi ydoneum et sufficiens reperiri contingat, et faciatis dictum monasterium super hiis in quibus per dictum privilegium apparebit exemptum huiusmodi exemptione ac libertate gaudere non permittentes illud seu personas ibi degentes contra indulta eiusdem privilegii ab aliquibus molestari. In hiis vero ubi per dictum privilegium predictum monasterium non inveniretur exemptum, illud eadem auctoritate illi subiciatis ex vicinis episcopis, per quem dictum monasterium eiusque iura manuteneri possint melius et defendi. Ut autem monasterium ipsum possitis liberius ad statum reducere salutarem vobis tam super premissis quam super annexis ecclesiis unitis dicto monasterio confirmandi ac ordinandi statuendi et disponendi tam circa personas dicti abbatis et canonicorum dicti monasterii quam circa ecclesias res et bona ad monasterium ipsum

FUNDACIÓ NOGUERA

spectantia et earum ecclesiarum clericos quecumque ad bonum statum dicti monasterii noveritis pertinere ipsisque abbati canonicis et clericis prout vobis visum fuerit providendi, necnon contradicentes quoslibet et rebelles quicumque et cuiuscumque preminentie fuerint aut status etiam si pontificali vel gravis alia sint predicti dignitate auctoritate predicta appellatione postposita compescendi. Non obstantibus quibuscumque statutis consuetudinibus aut prescriptionibus in contrarium editis vel obtentis aut si aliquibus ab eadem sit sede indultum, quod excommunicari suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et quibuslibet privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis quibuscumque et in quacumque forma verborum concessis per que vestre iurisdictionis explicatio in hac parte possit quomodolibet impediri et de quibus quorumque totis tenoribus oporteat in nostris litteris fieri mentionem, liberam et plenam concedimus tenore presentium facultatem.

Dat. apud Sanctum Ciricum prope Lugdunum, v Nonas Martii, pontificatus nostri Anno Primo.

633

1306 març 3, Saint-Cyr-au-Mont-d'Or

Climent V, en consideració al rei Frederic II de Trinàcria, confia a Andreu Boter, canonge de l'església de Magalona de l'orde de sant Agustí, una casa parroquial i una dignitat a l'església del monestir d'Àger de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell.

A Lleida, Arxiu Capitular, AP_0221.
a Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, I, p. 162, doc. 897.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Andree Boterii canonico Magalonensi salutem et apostolicam benedictionem. Nobilitas scientie morum honestas et alia tibi suffragantia munera gratiarum necnon carissimi in Christo filii nostri F(rederici) regis Trinacrie illustris pro te nobis per suos nuntios in hac parte supplicantis consideratio nos inducunt, ut ad providendum tibi apostolice liberalitatis dexteram extendamus, volentes itaque tibi horum intuitu gratiam facere specialem canonicatum ecclesie Magalonensis ordinis sancti Augustini, in qua certus canonicorum numerus et prebendarum distinctio non habentur, cum plenitudine iuris canonici apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo etiam providemus. Personatum vero seu dignitatem cum cura vel sine cura etiam si prioratus fuerit

FUNDACIÓ NOGUERA

nulli alii de iure debitos, si in dicta ecclesia vel alibi ad collationem electionem vel presentationem venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum .. prepositi et capituli Magalonensium communiter vel divisim pertinentes vacant ad presens vel cum vacaverint, quos per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium postquam tibi vel ei huiusmodi vacatio innotuerit, duxeris acceptandos sive simul sive separatim post acceptationem huiusmodi conferendos tibi donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes episcopo preposito et capitulo supradictis seu illi vel illis ad quem vel ad quos in eadem ecclesia personatuum et dignitatum seu prioratuum collatio electio seu presentatio vel alia dispositio coniunctim vel separatim pertinet, etiam si ad illos vel illam quempiam per electionem creari vel assumi contingat, ne de illis interim etiam ante acceptationem huiusmodi nisi postquam eis constiterit, quod tu eos nolueris acceptare, disponere quoquo modo presumant, ac decernentes exnunc tibi fore de communibus ipsius ecclesie proventibus sicut uni ex aliis eiusdem ecclesie canonicis providendum, ac irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesie et ordinis predictorum iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacunque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisione sibi facienda de personatibus dignitatibus canonicatibus prioratibus et communibus proventibus aliisque beneficiis ecclesiasticis in dicta ecclesia speciales vel in illis partibus generales dicte sedis litteras impetrarunt, aut si apostolica vel quavis alia auctoritate in dicta ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, quibus videlicet predecessorum nostrorum Romanorum pontificum non autem nostra auctoritate sub expectatione personatuum seu dignitatum aut prioratuum manentibus in eadem te volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem personatuum dignitatum prioratuum et beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si episcopo preposito et capitulo supradictis vel quibuscunque aliis a sede sit indultum predicta, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de personatibus dignitatibus canonicatibus et prioratibus ipsius ecclesie vel beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem electionem presentationem vel aliam dispositionem coniunctim vel divisim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore debeat in nostris litteris fieri

FUNDACIÓ NOGUERA

mentio specialis, aut quod abbatiam monasterii Agerensis dicti ordinis curam animarum habentem Urgellensis diocesis nosceris obtinere seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam predictam accesseris corporaliter illud prestes. Nos enim tecum quod personatum dignitatem canonicatum seu prioratum huiusmodi libere recipere et postquam illos habueris una cum dicta abbatia licite retinere valeas, generalis concilii et felicis recordationis Innocentii pape III ac Bonifatii pape VIII predecessorum nostrorum et prefati ordinis ac qualibet alia constitutione super hoc in contrarium edita non obstante, et quod residendo in abbatia vel ecclesia supradicta residere in altera minime tenearis ex uberioris dono gratie dispensamus. Proviso quod abbatia personatus vel dignitas seu prioratus huiusmodi debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura quibus illa imminet nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis provisionis reservationis inhibitionis constitutionis et dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Sanctum Ciricum prope Lugdunum, v Nonas Martii, pontificatus nostri anno Primo.

634

1306 maig 28, Bordeus

Climent V accepta el jurament de vassallatge i fidelitat prestat en nom del rei Jaume II d'Aragó, València, Sardenya i Còrsega, comte de Barcelona, abanderat de l'Església romana, almirall i capità general, pels seus ambaixadors Joan Burgundi, sagristà de l'església de Mallorca i canonge de València, i Pere Martí de Godis, cavaller de Lleida, per la infeudació del regne de Sardenya i Còrsega, conforme amb allò ordenat pel papa Bonifaci VIII en la butlla "Super reges et regna" datada a Roma, a Sant Pere, el 4 d'abril de 1297. Anteriorment, aquest jurament fou presentat pels procuradors, ambaixadors i nuncis especials nomenats per la cúria de Roma, Vidal de Vilanova, cavaller, i Guillem Cerdà, ciutadà de Barcelona, a Benet XI quan pujà al tron pontifici, a Perpinyà, el 29 d'octubre de 1305. Al final, s'adjunta còpia dels poders donats als ambaixadors a València, el 22 d'abril de 1306.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 6.

FUNDACIÓ NOGUERA

B Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 6 doble.
a Existeix fil de seda en ambdues. Butlles perdudes.
b *Regestum Clementis V*, I, p. 261-271, doc. 1444.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 170-171, doc. 322.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 17, doc. 4853, 4854.

CLEMENS (V) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Ne imposterum rei geste memoriam diuturnitas temporis forsam aboleat, presentium insinuatione testamur, quod accedentes olim ad presentiam pie memorie Benedicti pape XI predecessoris nostri dilecti filii Vitalis de Villanova miles et Guilelmus de Laceria civis Barchinonensis procuratores nuntii et ambaxiatores carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Sardinie et Corsice illustris ac recognoscentes, quod idem rex ratione regni Sardinie et Corsice ad Romanam ecclesiam pertinentis, quod felicis recordationis Bonifatius papa VIII predecessor noster sibi et heredibus suis sub certis modis et conditionibus imperpetuum feudum concesserat, cui quidem Bonifatio predecessori rex ipse personaliter pro eodem regno vasallagium ligium et homagium fecerat et iuramentum fidelitatis prestiterat, tenebatur cuilibet Romano pontifici infra annum post creationem ipsius per procuratorem seu procuratores suos ad hoc legitime constitutos similiter pro eodem regno vasallagium ligium et homagium facere et iuramentum fidelitatis prestare ac exhibere infra mensem, postquam taliter huiusmodi vasallagium ligium et homagium fecerit et iuramentum prestiterit, litteras suas eius aurea bulla bullatas modos conditiones et conventiones huiusmodi plenarie continentes, in quibus idem rex recognosceret se dictum regnum sub eisdem modis conditionibus et conventionibus in feudum a Romana ecclesia predicta tenere eaque se promitteret servaturum, procuratorio nomine dicti regis pro eodem regno in ipsius Benedicti predecessoris et fratrum suorum presentia constituti infra annum post creationem ipsius huiusmodi vasallagium ligium et homagium fecerunt ac prestiterunt in ipsius regis animam huiusmodi iuramentum, sibique postmodum infra mensem presentaverunt et exhibuerunt ex parte regis eiusdem litteras ipsius eius aurea bulla bullatas, in quibus non solum modi conventiones et conditiones predicti, sed et totus tenor litterarum dicti Bonifatii predecessoris super concessione huiusmodi confectarum inserebantur, recognoscendo et confitendo procuratorio nomine dicti regis, quod idem rex regnum predictum sub ipsis modis conditionibus et conventionibus receperat ipsosque modos conditiones et conventiones dicto nomine observare per omnia promiserunt, prout super hiis plenam ab eodem rege receperant potestatem, sicut de eadem potestate constabat per instrumentum publicum dicti regis sigilli munimine roboratum.

FUNDACIÓ NOGUERA

Que quidem littere et instrumentum presentata ut predicitur dicto predecessori Benedicto in archivo dicte Romane ecclesie reservantur dictusque Benedictus predecessor huiusmodi vasallagium ligium et homagium recognitiones et promissiones facta et iuramenta prestita a dictis procuratoribus prefati regis nomine ut prefertur de predictorum fratrum consilio acceptavit, quamvis eodem B. predecessore morte prevento dicti procuratores et nuntii litteras eius super hoc habere nequiverint, prout hec omnia ex eorundem fratrum assertione nobis constat, quibus fidem plenariam adhibemus. Nunc autem dilecti filii Iohannes Burgundi sacrista ecclesie Maioricensis et Petrus Martini de Godor miles Ilerdensis diocesis procuratores nuntii et ambaxatores regis predicti ad nostram presentiam accedentes ac recognoscentes regem predictum ad omnia et singula obligatum, que superius sunt expressa, procuratorio nomine ipsius pro eodem regno in nostra et fratrum nostrorum presentia huiusmodi vasallagium ligium et homagium infra annum, postquam ad apicem fuimus summi apostolatus assumpti, fecerunt ac prestiterunt in ipsius regis animam simile iuramentum nobisque postmodum incontinenti presentaverunt et exhibuerunt ex parte regis eiusdem litteras dicti regis eius aurea bulla bullatas, in quibus non solum modi conditiones et conventiones predicti, sed et totus tenor litterarum dicti Bonifatii predecessoris super concessione huiusmodi confectarum totaliter inseruntur, recognoscendo et confitendo procuratorio nomine dicti regis, quod idem rex regnum predictum sub ipsis modis conditionibus et conventionibus in feudum receperat, ipsosque modos conditiones et conventiones dicto nomine observare per omnia promiserunt, prout super hiis plenam ab eodem rege receperant potestatem, sicut de huiusmodi potestate constabat per instrumentum publicum dicti regis sigilli munimine roboratum. Nos itaque huiusmodi vasallagium ligium et homagium recognitiones et promissiones facta et iuramenta prestita a dictis sacrista et Petro milite procuratoribus dicti regis nomine ut prefertur de predictorum fratrum nostrorum consilio acceptamus. Tenor autem litterarum eiusdem regis et instrumenti predictorum exhibitorum nobis ex parte ipsius, ut superius continetur, presentibus inseri fecimus, qui tales sunt:

Sanctissimo ac reverendissimo in Christo patri ac domino domino Clementi divina providentia sacrosancte Romane et universalis ecclesie summo pontifici Iacobus dei gratia rex Aragonum et Valentie Sardinie et Corsice comesque Barchinone ac prescripte Romane ecclesie vexilarius ammiratus et capitaneus generalis, eius humilis filius et devotus, pedum suorum obscula beatorum. Sanctitati vestre tenore litterarum nostrarum presentium patefiat, quod viso ac plenarie intellecto papali rescripto super collatione concessione et donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifatius papa VIII predecessor vester

FUNDACIÓ NOGUERA

nobis fecit nostrisque heredibus in perpetuum feudum de regno Sardinie et Corsice cum iuribus omnibus et pertinentiis suis sub certo servitio sub certisque conditionibus largius conscriptis in predicto rescripto continentie subsequentis.

Bonifatius episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo Sardinie et Corsice regi illustri ad perpetuam rei memoriam. Super reges et regna --. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno Tertio.[2]

Idcirco reducto ad memoriam nos iam tempore donationis premisse memorato domino pape Bonifatio iuxta continentiam dicti rescripti ex causis in eo scriptis iuramentum fidelitatem vasallagium et homagium personaliter prestitisse et postmodum etiam per Vitalem de Villa nova militem et Guilelmum de Laceria civem Barchinonensem procuratores nostros ambaxiatores et nuntios spetiales olim per nos ad Romanam curiam destinatos, homagium et alia predicta renovasse fecisse et prestitisse felicis recordationis domino Benedicto prefato domino Bonifatio in apostolatus offitio succedenti et per eosdem nuntios prefato domino Benedicto summo pontifici dedisse litteras nostras aurea bulla nostra bullatas recognitionis et acceptationis contentorum in rescripto predicto iuxta eiusdem tenorem, de quorum homagii et aliorum predictorum prestatione nec minus de traditione litterarum regiarum aurea nostra bulla bullatarum fuerunt concepta seu mandata papalia rescripta, que sunt in cancellaria papali aut penes cancellarium dicti quondam domini pape Benedicti, quia eidem domino pape morte superveniente expediri non potuerunt neque bullari, ut hoc habuimus per assertionem nostrorum nuntiorum ad nos revenientium predictorum, quodque nuper in Montepesulano nos vobis presentialiter obtulimus homagium et alia supradicta, considerato etiam nos nunc ex eiusdem rescripti serie inductos nostrum constituisse procuratorem solennem ad eadem vestre sanctitati prestanda, providimus propterea sanctissime pater has fieri litteras bullatas bulla aurea nostra sanctitati vestre per predictum procuratorem nostrum tradendas et dandas, prout fieri debere iam dicti rescripti tenor inducit. Per quas siquidem litteras nunc prout extunc modos conventiones conditiones tenorem et formam in dicto papali rescripto conscriptos acceptamus expresse et per quas etiam fatemur et recognoscimus expresse, dictum Sardinie et Corsice regnum a domino summo pontifice et Romana ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus modo et forma atque tenore, qui in dicto papali rescripto continentur, quos tenorem modum conditiones conventiones et formam promittimus nos inviolabiliter servaturos, pro

2. Vegeu doc. 577.

FUNDACIÓ NOGUERA

quorum observantia obligamus nos et dictum regnum Sardinie et Corsice, iura et bona nobis competentia et competitura in eo. Humani generis conditor et redemptor personam vestram ad sua sancta servitia conservare dignetur per tempora longiora. Dat. Perpiniani, IIII Kalendas Novembris, anno domini Millesimo Trecentesimo quinto.

Noverint universi quod nos Iacobus dei gratia rex Aragonum Valentie Sardinie et Corsice comesque Barchinone ac sancte Romane ecclesie vexillarius ammiratus et capitaneus generalis considerantes, quod tempore donationis et concessionis per felicis recordationis dominum Bonifatium papam VIII nobis et nostris facte in feudum de regno Sardinie et Corsice personaliter prestitimus dicto domino summo pontifici, prout prestare debuimus iuxta continentiam rescripti papalis pro dicta concessione confecti homagium vasallagium et fidelitatis iuramentum sub forma in eodem rescripto contenta, attendentes etiam, quod homagium et alia predicta nos et nostri tenemur secundum conditiones in dicto rescripto conscriptas renovare facere et prestare unicuique Romano pontifici et dicte ecclesie infra annum a die, quo in Romanum pontificem electus fuerit computandum per ydoneum vel ydoneos substitutos, postquam nos et nostri in dicto regno prestiterimus personaliter uni Romano pontifici iuramentum fidelitatem homagium seu vasallagium supradicta. Idcirco nominamus facimus ordinamus et loco nostri substituimus procuratores nostros nuntios et ambaxatores solennes discretos viros Iohannem Burgundi sacristam Maioricensem et canonicum Valentinum ac Petrum Martini de Godor militem consiliarios et familiares nostros presentis procuratorii exhibitores ambos insimul et utrumque insolidum sic, quod unus sine altero possit procedere et processus unius alterius minime processum impediat, ad presentandum se nomine loco et pro parte nostra ante sacram presentiam sanctissimi in Christo patris ac domini domini Clementis divina providentia noviter in Romane et universalis ecclesie summum pontificem ordinati, et ad prestandum loco nomine et pro parte nostra tamquam regis Sardinie et Corsice et pro ipso regno Sardinie et Corsice memorato domino summo pontifici Clementi homagium vasallagium et fidelitatis iuramentum iuxta tenorem dicte donationis rescripti et ad dandum etiam dicto domino summo pontifici et Romane ecclesie loco nomine et vice nostra litteras nostras patentes bulla aurea nostra bullatas confectas super acceptatione conventionum et aliarum conditionum, sub quibus dictum Sardinie et Corsice regnum nobis et nostris collatum extitit et concessum, ad quas dandas summo pontifici et Romane ecclesie predicti papalis rescripti series nos astringit, et ad postulandum et recipiendum de prestatione homagii vasallagii fidelitatis et iuramenti predictorum et de datione dictarum litterarum nostrarum rescriptum seu rescripta

FUNDACIÓ NOGUERA

papalia aut alia publica instrumenta in eternam certitudinem memoriam et testimonium premissorum. Nos autem ipsis et eorum alteri circa ista plenarie committimus vices nostras, ratum et gratum habituri perpetuo, quod per ipsos vel eorum alterum actum fuerit in premissis et quolibet eorundem. In evidentiam cuius rei presens scriptum per subscriptum notarium nostrum inde fieri et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri. Dat. Valentie, x kalendas Maii, anno domini Millesimo Trecentesimo sexto. Signum Iacobi dei gratia regis Aragonum Valentie Sardinie et Corsice comitisque Barchinone ac sancte Romane ecclesie vexillarii ammirati et capitanei generalis. Testes sunt Petrus de Ayerbe, Gondisalvus Eximini de Arenoso, Iacobus de Xericha, Berengarius de Enteça, Iohannes Martini de Luna. Signum mei Bernardi de Avarsone notarii domini regis Aragonum predicti, qui de mandato suo hec scribi feci et clausi loco die et anno prefixis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre acceptationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Burdegalis, v Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Primo.

635

1306 setembre 20, Belleperche (Cordes-Tolosannes)

Climent V mana als senescals de Bellcaire (Gard) i Carcassona que donin pas lliure el rei Jaume II d'Aragó, el qual va a Montpeller, diòcesi de Magalona, per entrevistar-se amb ell, i no permetin que ningú el molesti.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 2.
B Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 2 doble.
a Butlles amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 171, doc. 323.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 1-2, doc. 4803, 4804.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis senescallis Belliquadri et Carcassonensibus salutem et apostolicam benedictionem. Licet satis habunde satisque sufficienter abolim sit a sanctis patribus et cautum indempnitati et securitati provisum eorum, qui ad sedem veniunt apostolicam que ubicumque Romanus sit pontifex ibi esse dignoscitur, exigit tamen aliquando excellencia venientis, quod in personam eius aliqua super hoc singularis cautela prodeat aliquaque

FUNDACIÓ NOGUERA

procedat provisio specialis. Hinc est quod cum carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris apud Montempessulanum Magalonensis dyocesis ad nos cum ibi deo dante erimus sit venturus, et tum propter persone nostre honorificenciam, tum propter regii honoris et moris congruenciam, tum etiam propter suam suorumque quos secum ducet custodiam et tutelam aliquos de eis cum equis et armis secum intendat ducere, qui trescentorum numerum non excedent. Volumus et etiam licet ex superhabundanti requirimus et vobis nichilominus per apostolica scripta mandamus, quatinus dictum regem necnon et prelatos comites barones milites et alios quoscumque, quos ut premittitur secum duxerit et quos cum presencium testimonio expresse guidamus et sub protectione nostra recipimus spetiali cum equis armis et rebus, quos secum duxerint et portaverint, ire stare et redire per senescallias vestras libere et absque contradictione qualibet permittatis, nullum eis impedimentum vel obstaculum seu molestiam in personis vel rebus inferendo seu inferri ab aliis permittendo. Hoc enim valde gratum habebimus et pro constanti tenemus, quod et karissimo in Christo filio nostro regi Francorum illustri similiter erit gratum. Contrarium vero nobis plurimum et ei ut credimus displiceret.

Dat. in monasterio de Bella Partica Tholosanensis dyocesis, XII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Primo.

636

1307 novembre 22, Poitiers

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que, silenciosament i en un dia determinat, faci presoners tots els templers del seu regne i els confisqui els béns, mobles i immobles, similarment com va ferho el rei Felip IV de França.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 8.
a Butlla amb fil de cànem.
b VILLANUEVA, *Viage literario*, XIX, p. 317-319, doc. 48.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 173, doc. 326.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 32, doc. 4901.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pastoralis preminentie solio disponente illo qui cuncta disponit licet immeriti presidentes, hoc precipue ferventer appetimus, hoc votis ardentibus affectamus, ut excusso a nobis negligentie sompno circa gregis dominici custodiam submovendo noxia et agendo profutura

FUNDACIÓ NOGUERA

animas deo lucrifacere, sua nobis cohoperante gratia, valeamus. Sane dudum circa promotionis nostre principium ad apicem apostolice dignitatis ad nostrum quadam levi suggestione pervenit auditum quod abolim de flatu Sathane in Templariorum ordine sparso pestiferi generis semine subcrevit ex illo messis odibilis fructus pestiferos ex sui natura producens, videlicet quod Templarii sub religionis pallio militantes exterius in apostasie perfidia intus vixerunt hactenus indetestabili heretica pravitate. Ceterum nunc attendentes quod ordo ipsorum longis retro temporibus multe reffulsit nobilitatis gratia et decoris, ac magna fidelium devotio diu viguit apud eos, quodque tunc nullam audiveramus super premissis suspitionem vel infamiam contra ipsos, et nichilominus quod a sue religionis exordio portaverunt publice signum crucis, corpora exponentes et bona contra inimicos fidei pro acquisitione retentione ac deffensione terre sancte, domini et salvatoris nostri Ihesu Christi pretioso sanguine consecrate, suggestioni predicte noluimus aures credulas exhibere. Verum postea auribus carissimi in Christo filii nostri Ph(ilipp)i regis Franc(ie) illustris insonuit quod singuli fratres dicti ordinis in sui professione cum ordinem ipsum ingrediuntur, expressis verbis abnegant dominum Ihesum Christum, nec non ydolum adorant in suis capitulis, et alia nefanda comittunt, que ob ruborem exprimendi subticemus ad presens. Propter quod idem rex ad requisitionem inquisitoris heretice pravitatis in regno suo generaliter a sede apostolica deputati de prelatorum baronum ac aliorum sapientum deliberatione sollempni magistrum maiorem et alias singulares personas dicti ordinis, que tunc erant in regno suo una die cum magna excogitata diligentia capi fecit, ecclesie iudicio presentandas, et eorum bona mobilia et immobilia salve custodie assignari pro terra sancta, si dictus ordo dampnetur, alioquin pro ipso ordine fideliter conservanda. Deinde prefatus magister dicti ordinis spontanee comfessus est palam presentibus maioribus personis ecclesiasticis Parisius magistris in theologia et aliis corruptionem erroris abnegationis Christi in fratrum professionibus contra primam institutionem ordinis prefati instigante Sathana introductam. Quamplurimi etiam fratres dicti ordinis ex diversis partibus dicti regni Franc(ie) dicta scelera sunt confessi, veram et non simulatam agentes penitentiam de commissis, prout hec dictus rex nobis per suas litteras intimavit et ad nos etiam pervenerunt fama publica defferente. Nos quoque fratrem unum militem dicti ordinis magne generositatis et auctoritatis virum super pravitate iam dicta personaliter examinavimus, qui dictum facinus abnegationis Ihesu Christi in ingressu dicti ordinis a se comissum sponte confessus fuit plenarie coram nobis, et adiecit se vidisse quod quidam nobilis in presentia ducentorum fratrum vel plurium dicti

FUNDACIÓ NOGUERA

ordinis, inter quos erant centum milites vel circa, ultra mare videlicet in regno Cipri per prefatum magistrum dicti ordinis in capitulo suo in fratrem Templi receptus fuit, et ibi in dictorum magistri et fratrum presentia idem nobilis ad mandatum ipsius magistri dictum facinus in sua receptione comisit. Ex quibus si in agro plantationis dicti ordinis, qui ager putabatur esse virtutum et grandis sublimitatis speculo prelucebat diabolica quod absit, sint semina seminata, gravi nostra viscera comotione turbantur. Sed si premissa veritate nitantur ea comperta, cessabit turbatio et secundum deum iocunditas orietur. Unde ad investigandum veritatem huiusmodi sine mora proponimus intendere, et quantum deus dederit efficaciter vigilare. Ea propter quia sicut insinuatione multorum accepimus super pretactis criminibus contra Templarios ipsos fama seu verius infamia quasi continue suscipit incrementum, et ob hoc urget nos conscientia, ut in hiis officii nostri debitum exequamur, magnitudinem regiam requirimus, rogamus et hortamur attente, quatinus quam citius post receptionem presentium comode poteris, predictis omnibus intenta meditatione pensatis, sic prudenter, sic caute, sic secrete de sapientum secretariorum tuorum consilio studeas ordinare, quod omnes et singulos Templarios regni et dominii tuorum et alios qui reperientur in eis, et eorum bona mobilia et immobilia per bonas personas omni maxime quo ad bona ipsa suspicione carentes, meliori modo quo fieri poterit capi facias uno die, personas eorum faciens donec tue magnificentie scribamus aliud nostro et sedis apostolice nomine in locis tutis sub fida custodia detineri. Bona vero ipsorum mobilia et immobilia aliquibus bonis personis, de quibus non sit verissimile quod in hiis vel similibus velint fraudem aliquam adhibere, facias comendari, nostro nomine fideliter conservanda, quousque per nos aliud fuerit ordinatum. Que quidem persone de dictis bonis omnibus et singulis teneantur in presentia fratrum quarumlibet domorum dicti ordinis et aliarum plurium bonarum personarum, et maxime dictis domibus vicinarum inventaria facere, et cum opus fuerit plenam de ipsis reddere rationem, quarum personarum depositariarum propter honorem tuum ut melius negotium sine bonorum direpcionis et dissipacionis suspicione procedat, nulle sint de tuis officialibus serventibus vel aliis servitoribus quibuscumque, provisurus quod terre ac vinee Templariorum ipsorum eorum expensis more solito excolantur. Ut bona ipsa dictis Templariis, si reperiantur innocentes, alioquin pro terra sancta integre conserventur, taliter te super hiis habiturus quod exinde preter humane laudis preconium apud deum cuius in hac parte negotium agitur, gratie tibi proveniat incrementum, et nichilominus ex hoc nostram et apostolice sedis gratiam plenius merearis. Quicquid autem super premissis fieri

FUNDACIÓ NOGUERA

iusseris et quicquid fuerit executioni mandatum, nobis quam celerius fieri possit, tuis litteris intimare procures.

Dat. Pictavis, x Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Tertio.

637

1308 gener 3, Poitiers

Climent V, responent a les lletres del rei Jaume II d'Aragó sobre l'assumpte dels frares de l'orde militar del Temple, l'insta a seguir les instruccions del legat pontifici que li envia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 9.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 173, doc. 327.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 33, doc. 4908.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio I(acobo) regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Paterne benignitatis affectu regie magnitudinis recepimus litteras inter alia continentes, quod dolorem et admirationem super commissis per fratres ordinis Militie Templi prout tue celsitudini fuerat intimatum, conceperas vehementem et quod super ipsis nolebas sicut nec etiam noveras expedire contra fratres procedere memoratos, donec super illis providentia sedis apostolice in hac parte tibi rescriberet veritatem quodque humiliter petuisti ut te qui progenitorum tuorum sequens vestigia, inter alios principes orbis terre catholicos pro ampliatione nominis christiani stetisti hactenus et stare paratus existas, dignaremur super eisdem commissis reddere cerciores. Ex hiis enim carissime fili fervorem devotionis et fidei quem ad regem regum per quem vivis et regnas, geris in tue mentis archano reconditum, per quem eterne beatitudinis te constituis amatorem evidenter, ostendis ac promptitudinem reverentie filialis, quam ad nos et apostolicam sedem habere tanquam benedictionis filius comprobaris, non sine nostra et eiusdem sedis exultatione multiplici producis devotis studiis in apertum. Super hiis igitur tue mentis et animi puritatem dignis in domino laudibus commendantes tibi duximus respondendum, quod diu ante receptionem litterarum tuarum predictarum super huiusmodi tibi tanquam ecclesie Romane strenuo pugili et devotissimo principi intimaveramus, intentionem nostram per certum nuntium et nostras litteras speciales, quas sic caute sic secrete iuxta earum continentiam exequi studeas, quod exinde eterne beatitudinis premia consequaris nomenque regium dignis propter hoc laudum preconiis attollatur.

Dat. Pictavis, III Nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno Tertio.

638

1308 gener 22, Poitiers

Climent V es lamenta al rei Jaume II d'Aragó perquè les seves darreres lletres no revelen tan bones disposicions com les anteriors per complir les instruccions sorgides de la Seu Apostòlica respecte als templers i li comunica també que li envia legats pontificis a fi de convèncer-lo.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 10.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 173-174, doc. 328.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 34, doc. 4910.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper fili carissime super Templariorum negotio ultimo a te litteras nobis missas eo iocundiori suscepimus animo, quo prioribus tuis litteris simplicius innitentes posteriorum tenorem credebamus in sinceritate devotionis, quam per dictas priores ostenderas earundem priorum continentie convenire, sed earum diligenter tenore perspecto quod non querebamus invenimus, dissonantiam scilicet a prioribus litteris que dulciter auribus nostris insonuerant, differentem quin eis potius repugnantem, et si in dictis prioribus litteris tam pretenta devotio quam consilium ponderatum te conmendabilem reddiderunt, considera quid eadem devotio pretenta simul et debita, sed postmodum non soluta detrahat non solventi, certe et si adverteris nec mobilitas recti consilii absque periculo esse potest. O quam sancte et devote prius deliberaveras factum illud nostro reservare consilio et super eo quid ageres nostrum expectare responsum, et utinam fili carissime stetisses in veritatis consilio, sed ille qui in veritate non stetit hostis humani generis, quibus potest studiis iustos etiam a rectis consiliis nititur deviare. Ceterum super dicto Templariorum negotio ad te vestigio nuntios nostros cum litteris proponimus destinare, quia inter solicitudines que nostro incumbunt officio nichil attentius ferventiusve ab intimis animum nostrum pulsat, quam dare operam ut prefatum negotium ad laudem et gloriam redemptoris nostri Christi Ihesu cuius non nostris meritis locum tenemus in terris cum celeritate qua poterit salva iustitia perducatur ad finem.

Dat. Pictavis, XI Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Tertio.

FUNDACIÓ NOGUERA

639

1308 març 13, Poitiers

Climent V mana a l'abat del monestir de Sant Cugat, diòcesi de Barcelona, que obligui Jaume Carbó i Berenguer Claret, laics de la diòcesi de Barcelona, a restituir a la vídua Guillema de Montcada els diners amb escreix.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 63, núm. 14 augment.
a Plica retallada. Butlla perduda.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. abbati monasterii de sancto Cucufato Barchinonensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Conquesta est nobis Guil(e)l(m)a de Montecano vidua, quod Iacobus Carbonis et Berengarius dictus Clarent laici Barchinonensis diocesis multa extorserunt et adhuc extorquere nituntur ab ea per usurariam pravitatem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita dictos usurarios ut sua sorte contenti sic extorta restituant conquerenti et ab usurarii exactione desistant per penam in Lateranensi concilio contra usurarios editam[3] appellatione remota compellas, attentius provisurus ne auctoritate nostra in negotio procedas eodem nisi dicta vidua restituerit vel adhuc restituat siquas aliquando extorsit usuras, cum frustra legis auxilium invocat qui committi in legem. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Pictavis, III Idus Martii, pontificatus nostri anno Tertio.

640

1308 juliol 23, Poitiers

Climent V comunica al prior i als frares del convent de Santa Maria del Mont Carmel de Manresa, diòcesi de Vic, que els acull sota la protecció de la Santa Seu, amb tots els seus béns.

A Manresa, Arxiu de la Seu, Pergamins, Segle XIV, núm. 17.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. priori et fratribus domus ordinis beate Marie de Monte Carmeli de Mino-

3. III Conc. del Laterà, càn. 25, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 223; X 5.19.3, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 812.

FUNDACIÓ NOGUERA

rissa Vicensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est et honestum tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu personas vestras et locum in quo domino estis obsequio mancipati, cum omnibus bonis que impresentiarum rationabiliter possidet aut in futurum prestante domino iustis modis poteritis adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus, spetialiter autem domos ortos et alia bona vestra sicut ea omnia iuste et pacifice possidetis, vobis et per vos eidem domui auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis et confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Pictavis, x Kalendas Augusti, pontificatus nostri Anno Tertio.

641

1308 agost 12, Poitiers

Climent V comunica al rei Jaume II d'Aragó la convocatòria que fa, per a ell i els prelats dels seus regnes, del Concili General de Viena, que se celebrarà al cap de dos anys, a comptar des de l'1 d'octubre, per tractar de la conquesta de Terra Santa, la reforma de l'Església i el procés dels templers.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 24, núm. 7.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 174, doc. 330.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 42, doc. 4938.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Regnans in celis triumphans ecclesia, cuius pastor est pater eternus, cui sanctorum ministrant agmina et laudis gloriam angelorum chori decantant in terris ad sui similitudinem et representationem constituit ecclesiam militantem unigenito filio dei vivi domino Ihesu Christo ineffabili commertio copulatam, in qua idem unigenitus dei filius a patre progrediens per illustrationem paracliti procedentis pariter ab utroque statuit fidei fundamentum. Sane Romana ecclesia mater alma fidelium capud est disponente domino ecclesiarum aliarum

FUNDACIÓ NOGUERA

omnium et magistra, a qua veluti a primitivo fonte ad singulas alias eiusdem fidei rivuli derivantur, ad cuius regimen voluit Christi clementia Romanum pontificem vice sui deputare ministrum, ut instructionem et doctrinam ipsius eloquio veritatis evangelice traditam cuncti renat[..] fonte baptismatis teneant et conservent et, qui sub hac doctrina cursum vite recte peregerint, salvi fiant, qui vero ab ea deviaverint, condempnentur. Ipsa nempe Romana mater ecclesia iuxta exigentiam possibilitatis ipsius ad cunctas orbis provincias, in quibus divini nominis cultus viget fideique catholice observantia rutilat, intuitum sedule considerationis extendens ac subiciens ab olim sue considerationis examini diuturne calamitatis angustias illius specialis hereditatis dominice videlicet Terre sancte ab infidelibus miserabiliter conculcate, in qua idem patris eterni filius nostre carnis indumento contectus salutem humani generis pietate ineffabili extitit operatus, quamque sua ipse voluit corporali insignire presentia et proprii aspersione sanguinis consecrare, multa sollicitudine studuit eidem Terre retrohactis temporibus, quibus potuit remediis, ut eriperetur ab ipsis impiis, subvenire. Et quia inter ceteros, quos profexio christiane religionis includit, milites et fratres domus militie Templi Ierosolimitani sicut est toti orbi notorium, tanquam speciales eiusdem fidei pugiles et iam dicte Terre precipue defensionis ipsius Terre negotium principaliter gerere videbantur, ipsos et eorum ordinem prefata ecclesia specialis favoris plenitudine prosequens eos adversus Christi hostes crucis armavit signaculo, multis exaltavit honoribus, ditavit facultatibus ac diversis libertatibus et privilegiis communivit. Hii nimirum cum crederentur in domini servitio sub regulari habitu fideliter militare, sibi quasi cunctorum manus fidelium cum multiplici erogatione bonorum sentiebant multipharie multisque modis propterea adiutrices. Sed protholor nova et calamitosa vox de malignitatis fratrum ipsorum enormitate progrediens nostrum replevit, immo verius perturbavit auditum. Hec enim vox nuntia lamentationis et gemitus audientibus horrorem ingerit, commovet animos, mentes turbat et cunctis fidei christiane cultoribus nove et ineffabilis amaritudinis calicem subministra, et dum facti seriem eius necessitate poscente depromimus, noster attenuatur pre angustia spiritus et valetudinis fatigata confractibus membra singula pre nimio dolore tabescunt. Dudum siquidem circa nostre promotionis ad apicem summi pontificatus initium etiam, antequam Lugdunum, ubi recepimus nostre coronationis insignia, veniremus et post tam ibi quam alibi secreta quorundam nobis insinuatio intimavit, quod magister preceptores et alii fratres dicte militie Templi et etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonii ipsius domini nostri Ihesu Christi fuerant in transmarinis partibus deputati, contra ipsum dominum in scelus

FUNDACIÓ NOGUERA

apostasie nephandum, detestabile ydolatrie vitium, execrabile facinus Sodomorum et hereses varias erant lapsi, sed quia non erat verisimile nec credibile videbatur, quod viri tam religiosi, qui precipue pro Christi nomine suum sepe sanguinem effundere ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur quique multa et magna tam in divinis officiis quam in ieiuniis et aliis observantiis devotionis signa frequentius pretendebant, sue sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent, huiusmodi insinuationi ac delationi ipsorum eiusdem domini nostri exemplis in canonice scripture doctrinis edocti aurem noluimus inclinare. Deinde vero tu, cui eadem fuerant facinora nuntiata, non tipo avaritie, cum de bonis Templariorum nichil tibi vendicare vel apropriare intendas, immo ea nobis et ecclesie per deputandos super hoc a nobis administranda gubernanda conservanda et custodienda liberaliter et devote in regno tuo dimisisti manum tuam exinde totaliter amovendo, sed fidei orthodoxe fervore tuorum progenitorum vestigia clara sequens accensus de premissis, quantum licite potuisti, te informans ad instruendum et informandum nos super hiis multas et magnas nobis informationes per tuos nuntios et litteras destinasti. Infamia vero contra Templarios ipsos increbescente validius super sceleribus antedictis, et quia etiam quidam miles eiusdem ordinis magne nobilitatis et qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis secreto iuratus deposuit, quod in receptione fratrum prefati ordinis hec consuetudo vel verius corruptela servatur, quod ad recipientis vel ab eo deputati suggestionem, qui recipitur, Christum Ihesum negat et super crucem sibi ostensam spuit in vituperium Crucifixi, et quedam alia faciunt recipiens et receptus, que non sunt licita nec humane conveniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis, urgente nos ad id officii nostri debito vitare nequivimus, quin tot et tantis clamoribus accomodaremus auditum, set cum demum fama publica deferente ac clamosa insinuatione tui necnon et ducum comitum et baronum ac aliorum nobilium, cleri quoque ac populi dicti regni tui ad nostrum propter hoc tam per se quam per procuratores et scindicos presentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam pervenisset, quod magister preceptores et alii fratres dicti ordinis et ipse ordo prefatis et pluribus aliis erant criminibus irretiti, et premissa per multas confessiones attestationes et depositiones prefati magistri et plurium preceptorum et fratrum ordinis prelibati coram multis prelatis et heretice pravitatis inquisitore in regno Francie factas, habitas et receptas et in publica scriptura reddactas nobisque et fratribus nostris ostensas probari quodammodo viderentur, ac nichilominus fama et clamores predicti in tantum invaluissent et etiam ascendissent tam contra ipsum ordinem quam contra personas singulares eiusdem,

FUNDACIÓ NOGUERA

quod sine gravi scandalo preteriri non poterat nec absque eminenti periculo tollerari, nos illius, cuius vices licet immeriti in terris gerimus, vestigiis inherentes ad inquirendum de predictis ratione previa duximus procedendum, multosque de preceptoribus presbyteris militibus et aliis fratribus dicti ordinis reputationis non modice in nostra presentia constitutos prestito ab eis iuramento, quod super premissis meram et plenam nobis dicerent veritatem, super predictis interrogavimus et examinavimus usque ad numerum septuaginta duorum multis ex fratribus nostris nobis assistentibus diligenter eorumque confessiones per publicas manus in autenticam scripturam redactas illico in nostra et dictorum fratrum nostrorum presentia ac deinde, interposito aliquorum dierum spatio, in consistorio legi fecimus coram ipsis et illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi. Qui perseverantes in illis eas expresse et sponte, prout recitate fuerant, approbarunt. Postque cum magistro et precipuis preceptoribus prefati ordinis intendentes super premissis inquirere per nos ipsos, ipsum magistrum et .. Francie, .. terre Ultramarine, .. Normannie, .. Aquitanie ac .. Pictavie preceptores maiores nobis tunc Pictavis existentibus mandavimus presentari. Sed quoniam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant nec ad nostram presentiam quoquomodo adduci, nos cum eis scire volentes de premissis omnibus veritatem et an vera essent, que continebantur in eorum confessionibus et depositionibus, quas coram inquisitore pravitatis heretice in regno tuo prefato presentibus quibusdam notariis publicis et multis aliis bonis viris dicebantur fecisse, nobis et fratribus nostris per ipsum inquisitorem sub manibus publicis exhibitis et ostensis, dilectis filiis nostris Berengario tituli sanctorum Nerei et Achillei et Stephano tituli sancti Ciriaci in Termis presbyteris ac Landulfo sancti Angeli diacono cardinalibus, de quorum prudentia experientia et fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus et mandavimus, ut ipsi cum prefatis magistro et preceptoribus inquirerent tam contra ipsos et alias singulares personas dicti ordinis generaliter quam contra ipsum ordinem super premissis cum diligentia veritatem, et quicquid super hiis invenirent, nobis referre ac eorum confessiones et depositiones per manum publicam in scriptis reddactas nostro apostolatui deferre ac presentare curarent, eisdem magistro et preceptoribus absolutionis beneficium a sententia excommunicationis, quam pro premissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter ac devote peterent ut deberent, iuxta formam ecclesie impensuri. Qui cardinales ad ipsos magistrum et preceptores personaliter accedentes eis sui adventus causam exposuerunt, et quoniam tam persone quam res ipsorum et aliorum Templariorum in dicto regno tuo consistentium in manibus nostris erant, quod libere absque metu cuiusquam

FUNDACIÓ NOGUERA

plene ac pure super premissis omnibus ipsis cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate apostolica iniunxerunt. Qui magister et preceptores Francie terre Ultramarine Normannie Aquitanie ac Pictavie coram ipsis tribus cardinalibus presentibus quatuor tabellionibus publicis ac multis aliis bonis viris ad sancta dei evangelia ab eis corporaliter tacta prestito iuramento, quod super premissis omnibus meram et plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter libere ac sponte absque coactione qualibet et terrore deposuerunt et confessi fecerunt inter cetera Christi abnegationem et spuitionem super crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt, et quidam ex eis sub eadem forma se scilicet cum abnegatione Christi et spuitione super crucem fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quedam alia horribilia et inhonesta confessi, que ut eorum ad presens parcamus verecundie, subticemus. Dixerunt preterea et confessi fuerunt esse vera, que in eorum confessionibus et depositionibus continentur, quas dudum fecerunt coram inquisitore heretice pravitatis, que confessiones et depositiones dictorum magistri et preceptorum in scripturam publicam per quatuor publicos tabelliones reddacte in ipsorum magistri et preceptorum et quorundam aliorum bonorum virorum presentia ac deinde interposito aliquorum dierum spatio coram ipsis eidem lecte fuerunt de mandato et in presentia cardinalium predictorum et in suo vulgari exposite cuilibet eorundem. Qui perseverantes in illis eas expresse ac sponte, prout recitate fuerant, approbarunt et post confessiones et depositiones huiusmodi ab ipsis cardinalibus ab excommunicatione, quam pro premissis incurrerant, absolutionem flexis genibus manibusque complosis humiliter et devote ac cum lacrimarum effusione non modica petierunt. Ipsi vero cardinales, quia ecclesia non claudit gremium reddeunti, ab eisdem magistro et preceptoribus heresi abiurata expresse ipsis secundum formam ecclesie auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt, ac deinde ad nostram presentiam redeuntes confessiones et depositiones prelibatorum magistri et preceptorum in scriptura publica per manus publicas, ut est dictum, redactas nobis presentaverunt et, que cum dictis magistro et preceptoribus fecerant, retulerunt, ex quibus confessionibus et depositionibus ac relatione invenimus, sepefatos magistrum et fratres in premissis et circa premissa licet quosdam ex eis in pluribus et alios in paucioribus graviter deliquisse. Attendentes autem quod scelera tam orrenda transire incorrecta absque dei omnipotentis et omnium catholicorum iniuria non poterant nec debebant, decrevimus de fratrum nostrorum consilio per ordinarios locorum et per alios fideles et sapientes viros ad hoc deputandos a nobis contra singulares personas ipsius ordinis necnon et contra dictum ordinem per certas discretas personas, quas ad hoc duximus deputandas, super premissis

FUNDACIÓ NOGUERA

criminibus et excessibus inquirendum. Hiis nempe que magis flere cogimur quam narrare, cor nostrum passione nimia cruciatur et cum tanta proinde nobis immineat gemendi materia, fletum non possumus declinare. Quis nam catholicus hec audiens nimis non doleat et prorumpat in luctum. Quis fidelis huiusmodi sinistrum eventum intelligens amara non emittat suspiria verbaque lamentationis et mestitudinis non eruptet, cum tota christianitas huiusmodi doloris sit particeps et hic casus fideles percutiat universos. Ex hiis etiam dum ministerio debite considerationis nostre mentis presentatur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit et ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus, zelus accenditur et spiritus anxiatur, ad quod cum nos sufficere comode non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem dei, montem uberem, montem pinguem, unde oportunum nobis provenire auxilium et humiliter petimus et devote speramus, et quia salubre in hiis adhiberi remedium interest generaliter omnium, nos cum eidem fratribus nostris aliisque viris prudentibus exacto ac frequenti tractatu prehabito, prout tante necessitatis instantia exigebat, de ipsorum fratrum consilio universale concilium sicut imitatione digna sanctorum patrum consuetudo laudabilis longeve observationis exemplo nos instruit, a proximis kalendis Octobris ad duos annos immediate sequentes decrevimus congregandum, ut in eo tam circa dictum ordinem et personas singulares et bona eiusdem et alia, que statum tangunt fidei catholice, quam circa recuperationem et subsidium Terre sancte ac recuperationem ordinationem et stabilitatem ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum et libertatum earum illa deo auspice communi consilio inveniatur provisio et eiusdem approbatione concilii roboretur, per cuius salutiferam executionem virtus altissimi elimatis erroribus roborata fide ad tramitem veritatis reductis errantibus, reintegrata eiusdem fidei unitate, extirpatis vitiis virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida, stabilitate munita, recuperatis deperditis et eiusdem Terre statu prospero reparato, occupata restituat, vastata restauret et restaurata conservet nobisque viam aperiat idem ipse, qui nobit et facultatem tribuat ipse, qui potest, ut sic in premissis iuxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter, quod idem verus eiusdem universalis sponsus ecclesie ipsam dilectam suam purgatam maculis, munitam virtute, monilibus ac ornatam, unam semper habeat et formosam ad sui nominis laudem et gloriam, ad animarum profectum, robur fidei, pacem et exaltationem populi christiani. Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturius facilius auctore domino effectum debitum sortiatur, predictum tempus ad id duximus deputandum. Unde venerabilibus fratribus nostris

FUNDACIÓ NOGUERA

archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis electis abbatibus prioribus decanis prepositis archidiaconis archipresbiteris et aliis ecclesiarum prelatis exemptis et non exemptis eorumque capitulis et conventibus per alias nostras litteras precipiendo mandamus, ut iidem archiepiscopi et ceteri episcopi per ipsorum archiepiscoporum provincias constituti in eisdem litteris nominati, reliquis ipsorum episcoporum in dictis provinciis remanentibus ad ea que pontificale officium exigunt, tam in suis quam illarum dictarum provinciarum, qui ad huiusmodi concilium universale accesserint, civitatibus et diocesibus exercenda omni negligentia relegata, cunctis prout talis et tanti negotii qualitas exigit, dispositis et paratis sic medio tempore se accingant ad iter, quod in huiusmodi decreto termino, quem eis et aliis peremptorie assignamus, in Viennensi civitate, nostro iidem archiepiscopi et episcopi taliter nominati personaliter, alii vero remanentes episcopi electi abbates priores decani prepositi archidiaconi archipresbiteri et prelati capitula et conventus per eosdem archiepiscopos et episcopos ad predictum concilium accessuros, quibus ad omnia que in eodem concilio statuentur, fient et ordinabuntur et fuerint oportuna, concedant plenariam potestatem, de qua sufficienter constet per publica documenta, conspectui representent. Quod si forsan ipsis archiepiscopis et episcopis accessuris huiusmodi noluerint concedere potestatem, eo casu venire vel alios procuratores ydoneos cum potestate simili ad idem teneantur concilium destinare. Non obstantibus quibuslibet privilegiis seu indulgentiis quibuscunque personis ordini dignitati seu collegio sub quacunque verborum forma vel expressione a predicta sede concessis, per que possit effectus huiusmodi mandati nostri quomodolibet impediri aut eidem in aliquo derogari. Mandavimus insuper, ut iidem archiepiscopi et prelati per se vel alios viros prudentes deum timentes et habentes pre oculis omnia, que correctionis et reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter et conscribentes fideliter eadem ad ipsius concilii notitiam deferant. Et nos nichilominus variis modis et viis solers studium et efficacem operam dare proponimus, ut omnia talis in examen huiusmodi deducta concilii correctionem et directionem recipiant oportunam. Hoc etiam in eisdem nostris litteris adiecto, ut nullus inobedientie notam et canonice ultionis acrimoniam vitare desiderans fallacium excusationum velamento se muniat vel ex impedimentis itinerum, que domino prava in directa et in vias plenas aspera sua omnipotentia convertente cessabunt, frivole allegationis munimenta confingat, ut a tam sancti prosecutione operis se subducat, set occurrant singuli voluntarii ad id, quod et divine congruit voluntati et salutem animarum ac utilitatem respicit singulorum. Ceterum quia multipliciter expedit, ut tam celebre concilium tua et aliorum catholicorum prin-

FUNDACIÓ NOGUERA

cipum decoretur presentia, ut salubri consilio et auxilio fulciatur, serenitatem regiam rogamus et hortamur attentius in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatinus prescriptis loco et termino in eodem concilio captata interim ad hoc oportunitate studeas personaliter interesse, meditatione provida prudenter attendens, quod in hoc non solum labor, quem ad tam sancti et utilis negotii promotionem assumes, tibi cedet ad meritum, verum etiam aliorum, qui ad veniendum ad idem concilium efficacius tuo inducentur exemplo et nichilominus vota tua nobis poteris familiarius aperire, que in omni benivolentia libenter ad exauditionis gratiam, quantum cum deo ac ecclesie honore poterimus, admittemus.

Dat. Pictavis, II Idus Augusti, pontificatus nostri anno Tertio.

642

1308 desembre 30, Tolosa (de Llenguadoc)

Climent V exhorta el rei Jaume II d'Aragó a detenir els templers lliures que quedin en els seus regnes i a entregar-los als ordinaris, als quals prestarà concurs quan se li requereixi.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 26.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 277, doc. 4649.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 175, doc. 331.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 46, doc. 4950.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Callidi serpentis vigil intuitus quosdam lupos sub ovilis velleris specie latitantes ad ovile transmittit dominicum, ut mactent crudelius et disperdant, quos fidei vivificat sacramentum, et unit in unum habitantes unius moris in domo indissolubile vinculum caritatis. Quare nos quibus licet immeritis disponente domino eiusdem gregis est cura commissa eo vigilantius notis oportet observare vigilias temporibus vocati novissimis, quo humani generis minutus in fideles Christi sevit nequius sciens, quia modicum tempus habet. Ad tuam siquidem carissime fili et omnium fere notitiam pervenisse iam credimus, qualiter ordo et persone Templariorum qui ad defensionem patrimonii eiusdem domini nostri Ihesu Christi in transmarinis partibus fuerant deputati, a via unitatis prorsus aversi contra ipsum dominum in scelus apostasie nephandum et hereses varias non levibus argumentis sed violentis presumptionibus non immerito incidisse creduntur, sicque

FUNDACIÓ NOGUERA

infamia contra eos super hiis excrebrescente validuis et imminentibus scandalis plurimis, que non leviter totam scandalizabant ecclesiam urgente conscientia Templarios ipsos per totum orbem terrarum iam dudum capi mandavimus et personaliter detineri. Et tandem presentatis nobis certis personis dicti ordinis grandi quidem numero non levis sed magne auctoritatis viris olim in ordine supradicto sacerdotibus preceptoribus militibus et servientibus per eorum confessiones et depositiones spontaneas libere factas coram nobis et nonnullis ex fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus in secreto prius et postmodum coram nobis et toto collegio cardinalium eorundem patuit manifeste quo ad personas ipsas confitentes predicta crimina et scelera esse vera iidemque confitentes omnes et singuli suum humiliter recognoscentes errorem, nostram et apostolice sedis non iustitiam sed misericordiam et veniam implorarunt. Quibus cum omni humilitate et reverentia et proprii eorum recognitione erroris omnino persistentibus pro absolutione ab excommunicationis sententia quam ex heresis reatibus incurrerant, ipsis misericorditer impendenda. Nos qui licet indigni vicarii sumus illius cuius miserationes super omnia opera eius existunt et quia Romana mater ecclesia non claudit prout nec claudere debet gremium redeunti, facta a supradictis confitentibus cum humilitate et reverentia abiuratione huiusmodi hereseos secundum canonicas sanctiones ipsis iuxta formam ecclesie fecimus, munus absolutionis impendi, potestate iniungendi eis propterea salutarem penitentiam nobis et dicte sedi seu quibus id committendum duxerimus specialiter reservata. Post que cum magistro et preceptoribus precipuis prefati ordinis intendentes super premissis inquirere per nos ipsos, ipsum magistrum et .. Francie, .. Terre ultramarine, .. Normannie, .. Aquitanie ac .. Pictavie preceptores maiores, nobis Pictavis existentibus mandavimus presentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant nec nostram presentiam quoquomodo adduci, nos cum eis de premissis et nonnullis confessionibus et depositionibus dictorum fratrum factis coram inquisitoribus heretice pravitatis regni Francie certiorari volentes dilectis filiis nostris Berengario tituli sanctorum Nerei et Achillei et Stephano tituli sancti Ciriaci in Termis presbiteris et Landulfo sancti Angeli diacono cardinalibus, de quorum prudentia experientia et fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus et mandavimus, ut ipsi cum prefatis magistro et preceptoribus inquirerent tam contra ipsos et alias singulares personas dicti ordinis generaliter quam etiam contra ipsum ordinem super premissis diligentius veritatem et nobis quod super hiis invenirent referre, ipsorumque confessiones et depositiones sub manu publica deferre ac presentare curarent, impensuri

FUNDACIÓ NOGUERA

eisdem magistro et preceptoribus iuxta formam ecclesie absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia quam propter premissa si vera erant incurrerant, si absolutionem humiliter ac devote peterent ut debebant. Dictis autem cardinalibus ad castrum de Caynone Turonensis diocesis in quo tunc erant ipsi magister et preceptores personaliter accedentibus, iidem magister et preceptores maiores de mera et plena veritate dicenda ab eis corporaliter prestare iuramento singulariter libere ac sponte absque coactione qualibet et terrore coram ipsis tribus cardinalibus quatuor tabellionibus publicis et multis aliis probis viris deposuerunt et confessi fuerunt inter cetera Christo abnegationem et spuitionem super crucem, cum in ordine Templi recepti fuerunt, et quidam ex eis se sub eadem forma scilicet cum abnegatione Christi et spuitione super crucem fratres plurimos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quedam alia horribilia et inhonesta confessi, que ut eorum ad presens parcamus verecundie subticemus, ac deinde in confessionibus et depositionibus factis per ipsos antea coram inquisitore pravitatis predicte ipsis et eorum cuilibet lectis et expositis de mandato et in presentia cardinalium predictorum firmiter perseverantes et approbantes easdem absolutionem ab excommunicatione predicta petitam ab eis humiliter et devote sibi obtinerunt iuxta premissam formam per cardinales ipsos impendi heresi expresse ac publice abiurata, de quibus omnibus per fidelem relationem dictorum cardinalium nobis facta extitit plena fides huiusmodi confessionibus et depositionibus eorundem nobis sub manu publica presentatis. Ut igitur inimici fidei in suis sceleribus soli pereant nec involuant in dampnate pestis ruinam simpliciter ambulantes ac tue sinceritatis zelus contra eos tibi ad meritum et ceteris luceat in exemplum, serenitatem regiam rogamus et hortamur in domino Ihesu Christo, cuius res agitur in hac parte, in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus pro reverentia ipsius domini nostri et sedis apostolice atque nostra prefatos Templarios et eorum singulos tanquam de heresi violenter suspectos in terris tue iurisdictioni subiectis, si qui sint qui capti non fuerint, sine more dispendio capi facias et eos ordinariis locorum singulis eorum videlicet in suis civitate et diocesi sine difficultate qualibet assignari ac tradi facere non postponas, si et quandocunque ab eisdem ordinariis fueris requisitus vel ad ipsorum ordinariorum requisitionem eosdem Templarios sub fida et tuta custodia teneas representandos eisdem ordinariis vel inquisitoribus deputatis seu deputandis a nobis et ipsis tradendos ad eorum requisitionem pro inquisitione seu inquisitionibus huiusmodi faciendis et alias quotiens et quandocunque eis videbitur faciendum, dictisque ordinariis et inquisitoribus heretice pravitatis qui huiusmodi inquisitioni iuxta mandatum nostrum sub certa forma si

FUNDACIÓ NOGUERA

voluerint poterunt interesse, necnon aliis qui dicte inquisitioni intererunt iuxta mandatum nostrum predictum et cuilibet eorum alias in hiis que ad executionem et promotionem negotii inquisitionis eiusdem oportuna fuerint potenter assistas auxiliis et consiliis ac favoribus oportunis. Ita quod tuo mediante favore iidem ordinarii inquisitores et alii libere exequi et perficere valeant iniunctum eis per sedem predictam tam pium ministerium in hac parte et antedicti ordinarii ipsos Templarios securius custodire tuque proinde preter nostram et dicte sedis benedictionis gratiam perempnis retributionis gloriam, quam dominus talibus pollicetur, non immerito consequi merearis.

Dat. Tholose, III Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

643

1309 gener 6, Tolosa (de Llenguadoc)

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que atès que els templers dels seus regnes d'Aragó i província de Catalunya accepten acatar les disposicions de la Seu Apostòlica, segons lletres que ha rebut d'ells, presti el seu concurs a Bertran, prior de Cassiano, capellà seu, de la diòcesi de Besiers, enviat a les seves terres per fer-se càrrec de les persones, dels castells, de les viles i dels béns d'aquells, que deixarà en dipòsit a les seves reials mans fins que ell disposi.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 27.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 435-436, doc. 5012.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 175, doc. 332.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 48, doc. 4957.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonie illustri salutem et apostolicam benedictionem. In gremio matris ecclesie de tua celsitudine spes firma reconditur, quod tu sicut benedictionis filius dei beneplacitum studio diligentis indaginis exquirens, que sui nominis laudem respiciunt, dilatant fidei catholice palmites et ipsius ecclesie ac nostris affectibus grata proveniunt, tuarum virtutum promotione confoveas et ferventer ministerio actionum laudabilium prosequaris. Inter alia siquidem que litterarum ex parte fratrum ordinis Templariorum per regnum tuum Aragonie et provinciam Cathalonie consistentium, noviter nostro apostolatui transmissarum series explicabat, hoc in eis specialiter vidimus contineri, quod ipsi sicut filii ecclesie predicte fideles nostris beneplacitis

FUNDACIÓ NOGUERA

et mandatis erant in omnibus obedire parati, seque ac castra villas et cetera ipsorum bona tradere ac reddere nobis et ecclesie supradicte, prout nostra providentia duceret ordinandum. Nos igitur super hoc cum fratribus nostris, qui tunc nobiscum erant presentes, deliberatione prehabita de ipsorum consilio dilectum filium Bertrandum priorem de Cassiano Biterrensis diocesis capellanum nostrum, de cuius industria et fidelitate probata plenam in domino fiduciam obtinemus, ad partes ipsas duximus destinandum, mandantes eidem ut ipse ad loca in quibus dicti fratres morari noscuntur accedens, illos quod in manibus dicti capellani se ponant, ac terras castra villas loca et quelibet alia ipsorum bona mobilia et immobilia ecclesie predicte ac nostro nomine assignent eidem, iuxta datam sibi a deo prudentiam requirere studeat diligenter et prout expedire viderit exhortari, ac personas eorum si se in manibus suis exhibere necnon terras castra villas loca et bona predicta, si ei sicut nobis per litteras ut predicitur scripserunt easdem, tradere voluerint, nomine predicto recipiat, tibique cum illos et illa ad suas manus habuerit, eodem nomine studeat assignare per te custodiendos et gubernanda nomine sepedicto, quousque apostolice sedis providentia super hoc aliud duxerit ordinandum. Quare celsitudinem regiam rogamus et hortamur in filio dei patris, quatinus prefatum capellanum cum ad te pervenerit in huiusmodi negotio dirigens consiliis et auxiliis oportunis et dictos fratres, quod in manibus dicti capellani se ponant ac terras castra villas et loca ac bona predicta tradant et assignent eidem, pro divina et apostolice sedis reverentia requiras sollicite ac moneas attentius et inducas, ipsos ad hoc quantum in te fuerit compescendo. Et nichilominus dictos fratres terras castra villas loca et bona predicta tibi per dictum capellanum tradendos et assignanda recipere nomine sepedicto et sollicite studeas eodem nomine custodire et fideliter gubernare. Volumus autem quod de traditione et assignatione huiusmodi et quod tu fratres terras castra villas loca et bona prefata nomine predicto recipias et custodias et gubernes, patentes litteras tuas tuo pendenti sigillo munitas, in quibus tenor litterarum apostolicarum super assignatione huiusmodi tibi facienda directarum dicto capellano sit insertus, concedere studeas et liberaliter exhibere, illam in premissis efficatiam et sollicitudinem impensurus, quod ab illo qui pro minimis grandia recompensat, celestis retributionis premium consequaris, nosque magnitudinem tuam dignis laudum preconiis attollamus.

Dat. Tholose, VIII Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

FUNDACIÓ NOGUERA

644

1309 gener 7, Tolosa (de Llenguadoc)

Climent V comunica al rei Jaume II d'Aragó que s'ha reservat, per aquesta vegada, la provisió de la seu vacant de l'església de Tarragona, malgrat el dret d'elecció que els sufraganis al·leguen que tenen.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 28.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b VILLANUEVA, *Viage literario*, XIX, p. 315-316, doc. 46.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 176, doc. 333.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 48, doc. 4959.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Circa filiales affectus intentum dirigentes animum more patris semper in votis gerimus, et habemus ut desideria tua, sicut filii predilecti, votivis prosequamur affectibus et personam regiam honoribus attollamus. Nuper siquidem tue magnitudinis litteras affectione paterna recepimus, per quas nobis inter cetera supplicasti, ut provisionem faciendam ecclesie Terraconensis pastoris regimine destitute dignaremur dispositioni nostre ac sedis apostolice reservare. Licet igitur carissime fili huiusmodi petitio tua pro eo potissime, quod suffraganei eiusdem ecclesie Terraconensis vocem in electione Terraconensis archiepiscopi habere dicuntur, satis gravis nostris sensibus redderetur, considerantes tamen eximie devotionis affectum, quem ad nos et apostolicam sedem habere dinosceris, et propter hoc intendentes ut in nobis, que tua delectent precordia et ex quibus honoris tibi cumulus augeatur, reperias per effectum, huiusmodi tuis supplicationibus benignius inclinati, provisionem ipsius ecclesie in festo Epiphanie domini proxime preterito de fratrum nostrorum consilio, qui tunc presentes erant nobiscum, ea vice dispositioni nostre ac dicte sedis auctoritate apostolica duximus reservandam.

Dat. Tholose, VII Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

645

1309 gener 27, Gaudièrs

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, a procurar la pau entre Roger de Comenge, fill d'Arnau d'Hispània, vescomte de Coserans i familiar seu, i Hug de Mataplana, en el plet que sostenen sobre el comtat de Pallars, tenint en compte allò pactat entre ell i Arnau.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 29.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 176, doc. 334.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio .. regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quanto personam regiam brachiis sincerioris dilectionis amplectimur [et] ut de bono in melius in conspectu reddaris altissimi gratiosus, desiderio ducimur ampliori tanto te ad illa invitamus libentius que sunt dei pietatis opera continent tueque salutis et fame respiciunt incrementum. Sane ad nostri apostolatus auditum relatio fidedigna perduxit, quod occasione contrastus qui inter dilectum filium nobilem virum Rogerium de Convennis natum dilecti filii nobilis viri Arnaldi de Ispania vicecomitis Conseranensis familiarem nostrum ex parte una et dilectum filium nobilem virum Huguetum de Mataplana super comitatu de Palhars ex altera fuisse dinoscitur, timentur priorum guerrarum incendia renovari, que tanto potius redderentur contraria votis nostris quanto magis ipsos pacis et quietis cupimus ubertate letari. Quare celsitudinem regiam rogamus et hortamur attentius, quatinus personarum et bonorum dispendiis que possent ex huiusmodi guerrarum turbinibus provenire, pro apostolice sedis et nostra reverentia obvians remedio salutari inter eosdem nobiles iuxta tractatum cum dicto Arnaldo hactenus per tuam celsitudinem habitum studeas pacem et concordiam reformare, illam in premissis diligentiam habiturus quod preter divine retributionis premium quod inde mereberis nos magnitudinem tuam commendare dignis in domino laudibus valeamus.

Dat. Gauderiis Tholosanensis diocesis, VI Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Quarto.

646

1309 febrer 13, Caunes

Climent V comunica al rei Jaume II d'Aragó que no li sembla prudent accedir a la seva demanda de facultar algun dels bisbes sufraganis de la província de Tarragona per confirmar, consagrar i donar el pal·li al canonge (Guillem de Rocabertí) d'aquesta església, elegit unànimement per aquest arquebisbat, en haver-ne reservat la Seu Apostòlica la provisió de la vacant de l'església de Tarragona a petició del col·legi de cardenals i del mateix rei. Malgrat tot, com que vol complaure'l en tot, li indica que qui hagi estat elegit es personi davant seu per rebre la confirmació, la consagració i el pal·li.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 30.
a Lletra tancada. Plica en part retallada. Butlla perduda.
b VILLANUEVA, *Viage literario*, XIX, p. 316, doc. 47.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 176-177, doc. 335.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 50, doc. 4965.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Per litteras tuas quas nuper benignitate consueta recepimus inter cetera nostro apostolatui supplicasti, quod cum dilectus filius .. prepositus Terraconensis electus concorditer in Terraconensem archiepiscopum extitisset, electionem suam per aliquem de suffraganeis ecclesie Terraconensis in illis partibus confirmari sibique consecrationis munus impendi ac exhiberi palleum de speciali gratia mandaremus. Ad que tue celsitudini duximus respondendum, quod pridem super provisione eidem ecclesie facienda volentes annuere votis tuis, illam ad tue supplicationis instantiam dispositioni sedis apostolice duximus specialiter reservandam. Verum licet in cunctis, que possumus, cum deo et apostolice sedis honore libenter tuis desideriis placeamus, scire tamen te volumus quod cum simus ad presens in itinere constituti et fratres nostri absentes a nobis fore noscantur, honori nostro non convenit quod absque ipsorum consilio in talibus negotiis procedatur. Quare volumus quod electus prefatus pro receptione confirmationis consecrationis et pallei predictorum ad sedem veniat supradictam, cuius iustitiam dei et tui contemplatione benigne in hac parte habere proponimus commendatam.

Dat. apud monasterium Caonense Narbonensis diocesis, Idus Februarii, pontificatus nostri anno Quarto.

647

1309 març 21, Avinyó

Climent V mana al bisbe de València (Ramon Despont) i a l'abat del monestir de Foixà, diòcesi de Pamiers, col·lectors de la dècima als regnes d'Aragó, que aquesta la donin íntegrament al rei Jaume II d'Aragó per poder prosseguir la guerra de Granada, contràriament a allò disposat de lliurar-li només la tercera part i reservar les altres dues per a la conquesta de les illes de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 31.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 46, doc. 3819.

FUNDACIÓ NOGUERA

c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 177, doc. 336.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 51, doc. 4968.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino et dilecto filio .. abbati monasterii Fuxensis Appamiarum diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Plenis in domino gaudiis exultantes sibi plenitudinem exolvimus gratiarum, quod carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Aragonum illustrem filium devotionis habemus, qui circa redemptoris obsequia se reddens revota mente sollicitum ad prosequendum illa ferventer invigilat, eiusque beneplacitum studio diligentis indagationis exquirit, dum sicut orthodoxe religionis cultor eximius ad extirpandum de regno Granate fetidam nationem inimicos videlicet fidei christiane ipsumque regnum reducendum ad cultum religionis eiusdem pro divini nominis gloria et eiusdem fidei dilatandis palmitibus, sicut letanter accepimus, ferventer intendit, solerter invigilat et suas laudabiles dirigit actiones, super quo sibi tanto libentius apostolici presidio favoris assistimus tantoque ad id ferventius auxilii manum extendimus oportuni, quanto magis ex hoc placere speramus altissimo et quanto potius in eiusdem exaltatione fidei delectamur. Dudum siquidem de vestra circumspecta prudentia et fidelitate probata plenam in domino fiduciam obtinentes vobis decimam omnium ecclesiasticorum reddituum in regno Aragonum et aliis terris regis prefati subiectis dominio per nostras certi tenoris litteras commisimus colligendam vobis litterarum ipsarum auctoritate mandantes, ut tertiam ipsius decime regi exhibere predicto, residuas vero duas partes in subsidium acquisitionis seu recuperationis regni Sardinie convertendas vel alias expendendas, prout deliberatio nostra duceret ordinandum, conservare fideliter curaretis. Cum igitur regi prefato in dicti prosecutione negotii multarum sint necessaria profluvia expensarum, volumus et discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus easdem duas partes dicte decime tam collecte quam colligende convertendas in subsidium expensarum ipsarum dicto regi sine difficultate qualibet assignare curetis.

Dat. Avinione, XII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Quarto.

648

1309 març 21, Avinyó

Climent V comunica al noble Jaume, primogènit del rei Jaume II d'Aragó i de la seva muller Elionor, filla del rei Ferran IV de Castella, a petició d'aquell i per l'afiançament de la concòrdia entre ambdós reis en l'empresa de Granada, que els dispensa de l'impediment d'afinitat i

FUNDACIÓ NOGUERA

consanguinitat en segon i tercer grau, d'una banda, i en tercer i quart, d'una altra, dispensa fins ara mai donada per la Seu Apostòlica.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 32 A.
a Butlla reaprofitada amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 62, doc. 3885.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 178, doc. 337.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 50, doc. 4967.

CLEMENS V episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Iacobo primogenito carissimi in Christo filii nostri Iacobi Aragonum et dilecte in Christo filie nobili mulieri Alienore nate carissimi in Christo filii nostri Fernandi Castelle regum illustrium salutem et apostolicam benedictionem. Cum summus pontifex collatis sibi in persona beati Petri ab eo, qui eterna providentia celestia simul et terrena disponit, clavibus regni celestis ligandi obtineat pontifitium et solvendi, nonnunquam supra ius de iure dispensans necessitatis vinculum, quo ad ipsius iuris observantiam cuncti tenentur, laxat proinde de sua potestatis plenitudine circa quosdam et presertim circa personas generis nobilitate sublimes, erga deum et sedem apostolicam devotione precipua refulgentes. Insinuante siquidem nobis carissimo in Christo filio nostro Iacobo rege Aragonum illustri genitore tuo, fili Iacobe, nuper accepimus, quod cum propter graves discordias et dissensiones multiplices abolim inter eum et carissimum in Christo filium nostrum Fernandum regem Castelle illustrem genitorem tuum filia Alienora et progenitores suos pacis emulo incentore malorum superseminante zizania suscitatas scandala plurima sint secuta, pro sedandis huiusmodi scandalis et ut stabilis pacis et dilectionis vinculum inter eos incommutabiliter perseveret ac negotium acquisitionis regni Granate, quod idem rex Aragonum pro reverentia divina ferventer assumpsit, salubrius dirigatur et celerioris ac felitioris expeditionis, quod nisi dicti reges concordes existerent, provenire non posset, sortiatur effectum, vos coniugali federe, super quo iam habitus est tractatus, desiderat copulari. Sed quia ex uno in secundo et tertio et ex aliis lateribus in tertio et quarto consanguinitatis gradibus vobis invicem attinetis, non potest in hac parte dicti regis desiderium adimpleri. Nos igitur licet non audiverimus alias fuisse in casu simili dispensatum, tamen zelo sincere devotionis, qua idem rex Aragonum erga nos et Romanam ecclesiam sicut benedictionis filius fervere dinoscitur et magne dilectionis affectu, quo nos ad sublimationem sui honoris et status afficimur, et tam pii negotii consideratione, quod ferventer prosperari desideramus, inducti eiusdem regis Aragonum supplicationibus inclinati, vobiscum ut matrimonium invicem impedimentis consanguinitatis non obstantibus supradictis contrahere libere valeatis

FUNDACIÓ NOGUERA

et in contracto licite remanere auctoritate apostolica de spetiali gratia dispensamus, prolem suscipiendam a vobis ex huiusmodi matrimonio de apostolice plenitudine potestatis legitimam nuntiantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis et nuntiationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Quarto.

649

1309 març 27, Avinyó

Climent V substancia el procés contra els venecians per la invasió de la ciutat de Ferrara.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 32B.
a Butlla perduda.
b LÜNIG, *Codex Italiae diplomaticus*, IV, p. 1589-1600, doc. 44.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 178, doc. 338.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 51, doc. 4970.

CLEMENS (V) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. In omnem terram vocis apostolice sonus egreditur, ut clamor patris a filiis audiatur et ad stuporem patratorum excessuum cunctorum corda fidelium excitentur. In voce quidem virtutis altissimi vocavimus populum nostrum ex Egipto, ut colonus esset nobis, et Assur absque ulla causa calumpniatus est eum. Populum enim Ferrariensem, populum peculiarem, populum antique acquisitionis matris ecclesie et populum in sacrario pectoris apostolici predilectione nimia recunbentem flagellis attritum, scorpionibus cesum et peste diutine severitatis afflictum, quasi novam prolem dominicam de manu fortiorum pii patris more vocavimus, ut eo de iugo servitutis erepto, educto de lacu miserie et de luto fecis, nostre virtutis ministerio liberato, eandem ecclesiam sicut matrem et dominam coleret, sub alarum ipsius velamento quiesceret et libertatis perpetue gloria potiretur. Sed dux consilium et commune Venetiarum, quos sancta Romana mater ecclesia semper dilexit ut filios et multis privilegiis ac gratiis insignivit, in Assur calumpniam consurgentes et extendentes indignationis sue baculum contra eum, virgamque furoris sui elevantes detestandis ausibus supra mare populum ipsum, in vocatione qua sunt per eandem deo miserante vocati, permanere non sustinent, quinimmo elationis sue currum dampnabiliter ascendentes, eundem

FUNDACIÓ NOGUERA

populum obprobriis nituntur afficere servitutis pristine, ignorantes forte, quos est nec esse desiit, qui proiecit in mare currum et exercitum Pharaonis. Sane ut nostra et ecclesie Romane iustitia et Venetorum insolentia et iniustitia pateat evidentius, universis facti seriem duximus presentibus breviter inserendam. Est enim certo certius, quod civitas Ferrariensis cum suo comitatu atque districtu et omnimoda iurisdictione ac iuribus et pertinentiis ad ius et proprietatem ecclesie Romane in temporalibus pertinet et pertinuit ab antiquo, licet tirampnica rabies civitatem ipsam comitatum territorium et districtum et habitatores eiusdem aliquibus temporibus oppresserit violenter, qua persecutione deo, cuius esset negotium, inspirante, cessante, ecclesia Romana fuit et erat in possessione vel quasi pacifica et quieta, omnium predictorum tempore quo Veneti ab octo mensibus citra inceperunt nos et ecclesiam Romanam in possessionem vel quasi predictorum indebite indebite molestare et temere impedire. Et quod dilectus filius Arnaldus abbas monasterii Tutellensis Lemovicensis diocesis et magister Onufrius de Trebis decanus ecclesie Meldensis capellani nostri et nuntii ad partes illas a nobis et ecclesia Romana propter hoc specialiter destinati, civitatem comitatum et districtum predictos nomine nostro et ecclesie Romane in temporalibus plenarie quiete ac pacifice possidebant tempore, quo dicti Veneti prefatum impedimentum prestiterunt et ante, et inter cetera et superabundanti coram predictis nuntiis populus universus predictorum civitatis comitatus atque districtus pluries et publice recognovit illos ad ius et proprietatem Romane ecclesie in temporalibus pertinere, eandem civitatem fore Romane cameram ecclesie specialem ad instantiam etiam populi supradicti potestates et capitaneos in dicta civitate nomine nostro et ecclesie Romane prefati nuntii ponebant prout et quando expediens videbatur, tam predicti potestates et capitanei quam ansiani consiliarii ceterique officiales civitatis eiusdem, quandocumque denuo mutabantur, ipsis nuntiis nomine nostro et ecclesie Romane recipientibus, iurabant officium suum ad mandatum ipsorum et ecclesie Romane bene et fideliter exercere. Claves quoque dicte civitatis dictis nuntiis nostris nostro et ecclesie Romane nomine recipientibus tradebantur, qui eas commendabant certis personis, que ipsas nostro et ecclesie Romane nomine custodirent ad mandatum et voluntatem nostram seu nuntiorum ipsorum. Ponebant etiam dicti nuntii nomine quo supra custodes in portis civitatis eiusdem per bulletas ipsorum nuntiorum in civitatem ipsam intrabant homines et exibant. Scindicus insuper civitatis ipsius ad hoc specialiter constitutus prestitit dictis nuntiis nomine nostro et ecclesie Romane recipientibus fidelitatis debite iuramentum, et idem fecit maius consilium, quod fuit quingentorum hominum, capita quoque societatum et quilibet de socie-

FUNDACIÓ NOGUERA

tate sicque omnes de civitate dictis nuntiis nostris nomine quo supra recipientibus iuramentum simile prestiterunt. Ponebant etiam prefati nuntii nostro et ecclesie Romane nomine potestates Massa Fiscaria et aliis locis comitatus seu districtus predicti edicta etiam banniri et proponi faciebant nomine quo supra per civitatem eandem et de appellationum causis ad eos interpositarum a potestate dicte civitatis nostro et ecclesie Romane [nomine] cognoscebant. In consiliis insuper omnibus dicte civitatis prefati nuntii nostri quando eis placebat, erant presentes et diffinitio consilii fiebat ipsis presentibus et ordinabant ipsi nomine nostro et ecclesie Romane prout ipsis expediens et rationi consonum videbatur, et predicta omnia et hiis similia ad dominium et iurisdictionem dicte civitatis et sui districtus spectantia prefati nuntii nostri nomine nostro et ecclesie Romane publice et solenniter faciebant et exercebant sine resistentia et contradictione cuiusquam, et de predictis omnibus erant nomine nostro et ecclesie Romane in possessione vel quasi pacifica et quieta, tempore quo Iohannes de Sourantia Venetus nomine Venetorum in iniuriam et preiudicium nostrum et ecclesie Romane pro potestate civitatem Ferrariensem intravit. Verum cum prefati nuntii nostri audivissent et intellexissent diu ante adventum dicti Iohannis potestatis pro Venetis, quod dux consiliarii et commune Venetiarum se ad impediendum et perturbandum prefatam ecclesie Romane possessionem vel quasi civitatis comitatus et aliorum iurium predictorum se parabant, eosdem duces consiliarios et commune dicti nuncii auctoritate apostolica per suas litteras et nuntios primitus monuerunt et subsequenter per venerabilem fratrem nostrum Castellanum episcopum loci diocesanum canonice moneri fecerunt, ne ipsos seu ecclesiam Romanam in possessione vel quasi predictorum per se vel per alios impedirent turbarent seu quomodolibet molestarent, dictus etiam abbas Tutellensis propter hoc Venetias personaliter accedens, ducem consiliarios et commune predictos auctoritate nostra presentialiter monuit, quod a predicto impedimento cessarent et penitus abstinerent; in iniuriam autem sedis apostolice ac contemptum Veneti tunc contra dictum abbatem ecclesie Romane nuntium publice clamaverunt mortiatur legatus, et contra eum et suos familiares multos lapides proiecerunt, ac spretis monitionibus antedictis dux consiliarii et commune predicti ad iura ipsius ecclesie manus avidas extenderunt et civitatem predictam Ferrariensem peculiarem ecclesie Romane cameram et peculium speciale in ipsius ecclesie iniuriam et manifestam offensam ac totius provincie scandalum temerariis ausibus hostiliter cum machinis balistis et aliis armorum generibus impugnantes violantes treuguas initas inter eos, castrum seu fortellicium Thedaldi eidem civitati contiguum, burgum civitatis ipsius, pontem supra flumen Padi iuxta

FUNDACIÓ NOGUERA

civitatem eandem et turrim iuxta ipsum pontem positam nequiter occuparunt et in dictam civitatem et cives ipsius ecclesie Romane fideles quasi flamma vorax furore indignationis accensi, detestabiliter irruentes, quamplures domos et navigium valde pulcrum et magnum civitatis eiusdem et multa bona civium predictorum incendio concremarunt et impietatis laxatis habenis, etati vel sexui non parcentes, quamplures ex fidelibus ipsis ac nonnullis mulieres et pueros dire mortis suppliciis tradiderunt et alimenta dictis nuntiis nostris et ecclesie Romane fidelibus inhumaniter subtraxerunt, et venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Cerviensem in dictorum nuntiorum nostrorum subsidium venientem hostiliter dei timore postposito et abiecta sedis apostolice reverentia invadentes ipsum rebus propriis spoliarunt et familiares eius carceri manciparunt, propter que predicti nuncii nostri et apostolice sedis prefatum ducem et consiliarios ac maiorenses et capitaneos necnon et omnes qui ea fecerant seu Venetiarum, qui dicta maleficia fieri fecerant commiserant vel perpetraverant sive ad ea facienda consilium vel auxilium dederant, legitima monitione premissa, auctoritate apostolica excommunicationis vinculo innodarunt et terram et universitatem Venetiarum ac civitatem Castellanensem supposuerunt ecclesiastico interdicto ad penas alias contra eos ipsorum crescente contumacia et malitia procedentes. Nos insuper predictis excessibus intellectis, ignorantes tamen a predictis nunciis nostris excommunicationis et interdicti propter hoc sententias promulgatas et quod predictus Iohannes ut potestas venisset Ferrariam pro Venetis nescientes, prefatis duci consilio et communi affectione paterna compatientes, quod per hoc indecoris sui gloria maculam posuissent et in indevotionis semitam abiissent, quia nos Romane ecclesie iura iurisdictiones et bona oportet ex debito pastoralis officii defensare, ipsos ducem consiliarios et commune Venetiarum per nostras litteras requisivimus et monuimus gratiose ipsisque per apostolica scripta mandavimus, quatinus a quibuslibet occupationibus molestiis impugnationibus iniuriis violentiis atque dampnis dicte civitatis Ferrariensis eiusque comitatus territorii et districtus et personarum ipsarum per se ac per alios cessarent omnino ac deinceps a similibus abstinerent, castrum seu fortellicium burgum pontem et turrim predicta et quelibet alia bona et iura, que ad dictam civitatem Ferrariensem contingere quomodolibet dinoscuntur, prefatis .. abbati et decano nostris cappellanis et nuntiis vel ipsorum alteri aut alii vel aliis ad mandatum ipsorum vel alterius eorum, revocatis expresse omnibus per quos predicta faciunt detineri, vacua libera et penitus expedita infra certum temporis spatium in ipsis litteris comprehensum, totaliter dimittentes, civitatis comitatus et castri aliorumque predictorum quolibet impedimento sublato possessione vel quasi permitterent

FUNDACIÓ NOGUERA

eosdem nuntios nostro et ecclesie Romane nomine libera pacifica et quieta gaudere, nullam super predictis nobis vel ecclesie Romane seu prefatis nunciis molestiam illaturi, alioquin dissimulare non possemus, quin spiritualiter et temporaliter procederemus contra eos, sicut nobis expediens videretur et iustitia suaderet, per venerabiles quoque fratres nostros .. Constantinopolitanum videlicet patriarcham, qui de terra dictorum ducis consilii et communi oriundus existit et quem paulo ante ad magnam eorundum instantiam et suis exigentibus meritis Constantinopolitanum prefeceramus ecclesie patriarcham et per Castellanum loci diocesanum et per Paduanum eiusdem vicarium episcopos necnon et per carissimos in Christo filios nostros Sicilie ac Trinacrie reges illustres, in quorum regnis et terris quamplures ex Venetis commorantur ibidem suas negotiationes et mercimonia exercentes, ad predicta facienda et complenda eosdem ducem consilium et commune Venetiarum moneri efficaciter mandavimus et induci per ipsos insuper nuntios et per venerabiles fratres nostros .. archiepiscopum Ravennatensem, .. episcopum Ferrariensem et alios quamplures prelatos et religiosos predicti Veneti super predictis pluries requisiti fuerunt. Ipsi vero superbi et spiritu inflati mala malis accumulantes et peiora prioribus committentes, ad prefatam civitatem Ferrariensem cum ingenti armorum multitudine venientes et in eam et in nuntios nostros predictos, qui civitatem ipsam comitatum atque districtum cum sua iurisdictione aliisque iuribus et pertinentiis suis nostro nomine possidebant ac in cives et habitatores civitatis comitatus atque districtus ipsorum per terram et per aquam cum machinis balistis et aliis diversis armis hostiliter irruentes, non parcentes ecclesiis monasteriis vel aliis piis locis nec sexui vel etati, civitatem ipsam comitatum atque districtum et domos eorum in magna parte incendio et machinis et interdum aquarum decursibus consumpserunt et personas ipsorum nequiter peremerunt et tandem civitatem ipsam et palatium nostrum et ecclesie Romane iurisdictionem et dominium civitatis comitatus districtus et territorii predictorum per violentiam occuparunt et detinent occupata, subicientes servituti et sue ditioni homines ipsius civitatis, licet invitos et contradicentes, de iure Romane ecclesie publice protestantes. Potestatem etiam et alios officiales, qui nomine Venetorum ipsam regerent civitatem atque districtum ibi ponentes exclusis a regimine civitatis atque districtus predictorum nuntiis prefatis et potestate ac capitaneo aliisque officialibus qui nostro et ecclesie Romane nomine civitatem et districtum supradictos regebant et sic nos et ecclesiam Romanam et prefatos nuntios et officiales qui nostro et ecclesie Romane nomine prefatos civitatem comitatum atque districtum cum iurisdictione aliisque iuribus et pertinentiis plene ac pacifice possidebant vel quasi eadem possessio-

FUNDACIÓ NOGUERA

ne vel quasi per violentiam spoliarunt. Ecce videant ecclesie Romane fideles filii an exagerari ac exagerata puniri tanta temeritas meruit offensorum. Quis enim nisi ferreum pectus habens vel caput saxeum seu cor gerens durissimi adamantis eidem terre destructioni exposite non aperiat viscera pietatis. Quis non provocetur ex intimitis, quis non accendatur ad iram et quis non animetur ad actum debite ultionis. Certe clamare potest ecclesia in vocem lamentationis prorumpens filios enutrivi et exaltavi ipsis multas gratias et privilegia concedendo, ipsi autem spreverunt me, dotem meam pretiosam et caram contra ecclesie monita superbe mihi et ambitiose per apertam iniuriam auferendo. Attendere debuerunt Veneti, quod Lucifer perfectionem sublimitatem dignitatem ac excellentiam habuit super omnes alios angelos ante lapsum sed quia in superbiam se voluit exaltare, humiliatus et depressus est usque ad profundum abissi, quodque primi parentes de paradiso deliciarum, ubi a domino collocati ante casum omnium bonorum opulentiam et omnis mali carentiam obtinebant, propter inobedientie vitium eiecti fuerunt, expositi periculis inediis laboribus et erumpnis. Sed nec illud est omittendum, quod Dathan et Abiron eo quod insurgebant contra Moysen et Aaron typum principum ecclesie gerentes, terra vivos absorbuit cum tabernaculis et tota substantia eorundem et in profundum Baratri sunt demersi. Ex eadem quoque causa quatuordecim milia et septingenti, preter illos qui perierant in sedictione chore contra Moysen divino miraculo per incendium perierunt. Propter ingratitudinem insuper, quam contra Moysen rectorem populi Israelitici, qui eos de Egiptiaca eduxerat servitute et eis contulerat multa bona, ipsi temere commiserunt, fuerunt ex eis divino iudicio quasi viginti tria milia interfecti. Quid vero contigerit Assaloni propter ingratitudinem commissam contra patrem suum et quid propter igratitudinem commissam contra David contigerit amonitis libri Regum lectio manifestat. Sed attendant, quesumus, Veneti, quis cui dixerit verbum illud Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et certe verbum fuit domini dei nostri, cuius vices in terris licet immeriti gerimus, ad Saulum persecutorem populum peculiaris eiusdem. Unde non volentes ulterius tam temerarios et notorios excessus, nec tantum et tam manifestum ecclesie Romane obprobriosum preiudicium et preiudiciale vituperium sub dissimulatione transire, licet absque alia monitione vel dilatione qualibet iuxte possemus animadvertere in ducem consiliarios et commune ac alios malefactores predictos, volentes tamen probare adhuc de solito sedis benignitatis affectu, si aliqua in eis scintillata devotionis remanserit, volentes etiam oves errantes ad ovile humilitatis humeris reportare, ipsos ducem consiliarios et commune Venetiarum universaliter singulos et singulariter universos et nominatim dictum Iohannem Souran-

FUNDACIÓ NOGUERA

tiam civem Venetorum, qui exercitum Pharaonis, hoc est ducis et communis Venetorum contra nos et ecclesiam Romanam civitatemque Ferrariensem predictam ductor et capitaneus fuit pro Venetis in eadem civitate in magnum nostrum et ecclesie Romane preiudicium et iniuriam manifestam pro potestate se gessit et Vitalem Michaelem, qui nunc se gerit omnesque alios qui auctoritate vel nomine Venetorum capitaneatus vel aliud quodcumque gerunt officium vel gesserunt eorundum Venetorum nomine in civitate prefata vel aliqua parte comitatus seu districtus eiusdem ac alios etiam, qui palatium nostrum Ferrariense, castrum seu fortellicium Thedaldi, pontem Ferrarie supra Padum et turrim eidem ponti contiguam vel civitatem et comitatum predictos in totum vel in partem preter voluntatem nostram et predictorum nuntiorum nostrorum detinuerunt et detinent per se vel per alios et omnes illos etiam, qui prefatas spoliationem seu spoliationes depredationes molestias iniurias violentias et excessus fecerunt per se vel per alios vel fieri fecerunt seu mandaverunt sive factos ratos habuerunt seu ad faciendum dederunt consilium vel favorem publicum vel occultum, hortamur in domino et monemus et ipsis per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quod ipsi dux consiliarii et commune Venetiarum dictusque Iohannes de Sourantia, Vitalis Michaelis et alii, qui pro dictis Venetis Ferrarie vel in eius comitatu seu districtu morantur, predictos civitatem comitatum et districtum palatium castrum pontem et turrim cum suis iuribus et pertinentiis et quecumque alia bona et iura, que dictam civitatem et eius comitatum quomodolibet contingere dinoscuntur, prefatis abbati et decano capellanis nostris et nuntiis vel ipsorum alteri aut alii vel aliis ad mandatum ipsorum seu alterius eorundem plene ac integre restituant et ea omnino dimittant vel dimitti faciant, revocatis et exclusis omnino cunctis, per quos detinentur, predicta ipsa vacua libera et penitus expedita predictis nuntiis nostris totaliter dimittentes, sic quod civitatis comitatus districtus palatii atque castri ac aliorum predictorum quolibet impedimento sublato, possessione vel quasi prefati nuntii nostri nomine nostro et ecclesie Romane possint gaudere libere plene pacifice et quiete nullam super predictis vel eorum aliquo nobis vel ecclesie Romane seu nuntiis sepefatis turbationem molestiam seu violentiam illaturi. Deinceps quoque de illatis iniuriis atque dampnis nobis et ecclesie Romane seu prefatis nuntiis nostris vel eorum alteri necnon et hominibus seu habitatoribus prefate civitatis Ferrariensis et sui comitatus et districtus plenariam et competentem satisfactionem impendant. Quod si prefati dux consiliarii et commune Venetiarum dictusque Iohannes Sourantia, Vitalis Michaelis et alii qui super hoc habeant pro Venetis potestatem dictis nuntiis nostris vel eorum alteri aut alii vel aliis ad mandatum ipsorum seu alterius

FUNDACIÓ NOGUERA

eorundem infra triginta dierum spacium postquam presens mandatum ad eorum notitiam pervenerit seu per eos steterit quominus pervenerit vel potuerit pervenisse prefatos civitatem comitatum et districtum palatium castrum et turrim cum suis iuribus et pertinentiis et quecumque alia bona et iura, que dictam civitatem et eius comitatum atque districtum quomodolibet contingere dinoscuntur, plene ac integre non restituerint et ea libera et penitus expedita non dimiserint vel dimitti fecerint, revocatis et exclusis omnino cunctis, per quos detinentur predicta, sic quod extunc civitatis comitatus palatii atque castri et aliorum predictorum quolibet impedimento sublato, possessione vel quasi prefati nuntii nostri nostro nomine et ecclesie Romane possint gaudere libere plene pacifice et quiete, nullam deinceps super predictis vel eorum aliquo nobis vel ecclesie Romane seu nuntiis sepefatis turbationem, molestiam seu violentiam illaturi, ducem consiliarios et singulares dicti communis personas facto verbo auxilio consilio vel consensu aut favore, quocumque culpabiles in predictis ac Iohannem et Vitalem Michaelis prefatos et alios, qui a dictis Venetis dictas restitutionem ac dimissionem faciendi habeant potestatem, de fratrum nostrorum consilio excommunicationis sententiam incurrere volumus eo ipso, a qua nullus preter quam in mortis articulo ab alio quam a Romano pontifice unquam possit absolutionis beneficium obtinere, et si aliquis de predictis in mortis articulo a dicta sententia fuerit absolutus, licet super hoc satis sit de iure provisum, ne tamen aliquis pretextu iuris ignorantie se satagat excusare, volumus et declaramus, quod taliter absolutus, nisi postquam ad convalescentiam pervenerit, quam primum comode poterit, de predictis restitutione ac dimissione satisfecerit, ut est dictum, in eandem excommunicationis sententiam recidat ipso facto. Et nichilominus civitatem Castellanam et terram seu locum Venetiarum et universitatem Venetorum necnon et alias terras castra civitates et villas ac universitates dictis duci et communi Venetiarum subiectas ad penam ipsorum ecclesiastico supponimus interdicto. Et quia utilius esurienti panis tollitur, quam si de cibo securus iustitiam vilipendat, eo casu duci consilio et communi Venetorum communionem participationem et comertium quorumlibet Christi fidelium exnunc ut extunc interdicimus et prohibemus omnino, ita videlicet quod nullus eis bladum vinum carnes pannos ligna vel quascumque alias res vel merces deferre portare vel vendere aut quocumque alio modo in eosdem transferre audeat vel emere ab eisdem vel sustinere quod hec fiant, si potuerit prohibere, et siquis contra fecerit si persona fuerit singularis, quantacumque prefulgeat dignitate excommunicationis, si vero fuerit civitas castrum villa vel universitas, interdicti incurrat sententiam ipso facto, a qua quidem sententia excommunicationis ab alio quam a

FUNDACIÓ NOGUERA

Romano pontifice numquam valeat liberari, nisi in mortis articulo, ut in alio casu superius est expressum. Quia etiam beneficia propter ingratitudinem merito revocantur, ipsos ducem consilium et commune et alios suprascriptos civitatem ipsam et universitatem omnibus privilegiis libertatibus et immunitatibus realibus et personalibus ipsis sub quacumque forma verborum ab apostolica sede concessis necnon feudis et bonis, que a Romana vel aliis tenent ecclesiis, exnunc ut extunc sententiando privamus. Vassallos et homines eorundem a iuramento et fidelitate ac quacumque obligatione, qua tenebantur eisdem, penitus absolventes. Volumus insuper et statuimus, quod exnunc sint fiant et habeantur infames, ita quod nec ad testimonium nec ad alios actus legitimos admittantur, fiant etiam intestabiles, sic quod non possint condere testamentum nec ad cuiusquam successionem ex testamento seu ab intestato aliquatenus admittantur. Nullus preterea ipsis super quocumque negotio sed ipsi aliis respondere cogantur nec cause ad eorum audientiam perferantur, si iurisdictionem habeant, non valeant eorum sententie vel processus; nullus eis quacumque causa vel negotio patrocinium prestet nec ipsi ad patrocinandum aliis admittantur, et siqui eorum tabelliones fuerint, instrumenta per eos confacta non valeant, sed cum auctore dampnato dampnentur; filii quoque ipsorum et nepotes usque ad quartam generationem ad nullos honores ecclesiasticos et mundanos ad nullas dignitates ad nulla beneficia vel officia ecclesiastica admittantur. Quod si secus actum fuerit, illud carere volumus omni robore firmitatis. In penam insuper predictorum ducis consilii et communis episcopo Castellano, abbatibus prioribus canonicis monachis necnon universis et singulis ordinum fratrum Predicatorum Minorum Heremitarum sancti Augustini et Carmelitarum et aliorum quorumcumque ordinum et religiosorum prioribus ministris custodibus guardianis et aliis clericis secularibus et regularibus quibusque nominibus censeantur, in civitate Castellana vel loco Venetiarum vel circa ad decem miliaria morantibus, districte precipiendo mandamus, quod infra decem dies post predictos triginta dies immediate sequentes exeant de terra seu civitate Castellana et Venetiarum et eius districtu ad locum ipsum minime reversuri, donec dicti Veneti sedis apostolice gratiam obtinuerint et a nobis aliud receperint in mandatis. Quod siquis de predictis contrafecerit, excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, a qua non possit absolvi ab alio quam a papa nisi in mortis articulo, sicut in alio casu est dictum, quocumque privilegio non obstante. Concedimus tamen quod in ecclesiis et domibus pro ipsarum custodia, cathedrali vel aliis collegiatis et non collegiatis Predicatorum et Minorum et aliorum religiosorum et secularium, duo tres quatuor quinque vel sex secundum magnitudinem vel paucitatem ipsarum ecclesiarum vel

FUNDACIÓ NOGUERA

domorum, conversi et inliterati vel clerici in minoribus ordinibus constituti et in ecclesiis parrochialibus, parrochiales presbiteri pro ministrandis baptismate parvulorum, penitentiis morientium et aliis sacramentis ecclesiasticis, qui ministrantur tempore interdicti de iure licite valeant remanere. Verum cum crescente contumacia pena debeat augmentari, si dux consiliarii et commune predicti per triginta dies post alios supradictos triginta immediate sequentes in contumacia perstiterint supradicta, ipsum ducem a dignitate ducatus et alios supradictos in dignitatibus seu publicis officiis constitutos ab ipsis dignitatibus seu officiis exnunc ut extunc deponimus et per sententiam removemus, et eos inhabiles reddimus ad publica officia et consilia et honores quoscumque. Et ne ipsorum temeritas transeat presumptoribus in exemplum, bona ipsorum mobilia et immobilia de eorundem fratrum consilio confiscamus et personas ipsorum ducis consiliariorum et aliorum Venetorum exponimus fidelibus ut capientium fiant servi et bona eorum mobilium concedimus quibuscumque fidelibus occupanda, bonorum immobilium, que dicti dux consilium et commune et singulares persone Venetiarum habent et habere dicuntur Venetiis in Romania et alibi ubicumque, dispositione et ordinatione nobis et nostris successoribus specialiter reservatis. Illud insuper prefatos ducem consiliarios et commune nolumus ignorare, quod contra eos, universorum regum et principum universitatum et aliorum fidelium quorumcumque proponimus invocare subsidium et per omnem modum et viam, per quos cum honore ecclesie poterimus, ipsorum superbiam ingratitudinem proterviam et rebellionem domare, sic quod illis reatus suos penarum acerbitate deflentibus, penales ipsorum fletus cedant perpetuo ipsorum posteris ad terrorem. Et si prefati dux consilium et commune, Iohannes, Vitalis Michaelis ac alii supradicti necnon et alii quicumque, qui predictas molestias iniurias et offensas violentias depredationes incendia homicidia seu maleficia contra nos et ecclesiam Romanam nuntios aut homines et fideles nostros civitatis Ferrariensis comitatus et districtus eiusdem fecerunt commiserunt seu perpetraverunt vel qui ad ea facienda dederunt auxilium consilium vel favorem, infra tres menses computandos a tempore quo presens mandatum ad eorum notitiam pervenerit vel per eos steterit quominus pervenerit vel potuerit pervenisse, nobis et ecclesie Romane nuntiis et fidelibus nostris dictorum civitatis comitatus et districtus Ferrariensis plene non satisfecerint de dampnis et iniuriis irrogatis, et quicumque cum dictis Venetis contumacia supradicta durante confederationem societatem colligationem seu ligam fecerit vel inierit seu consilium vel auxilium dederit seu favorem directe vel indirecte publice vel occulte prefatis Venetis in detentione civitatis ac comitatus predictorum vel ne Veneti et alii supradicti

FUNDACIÓ NOGUERA

restitutionem et satisfactionem faciant nobis et ecclesie Romane et fidelibus nostris predictis de civitate Ferrariensi et eius comitatu atque districtu cum suis iuribus et pertinentiis universis et de iniuriis atque dampnis, ut superius est expressum, si singulares persone fuerint, quantacumque prefulgeant dignitate anathematis. Si vero civitas castrum villa universitas collegium seu communitas interdicti sententias ipso facto incurrant, a quibus vel eorum aliqua nullus absolutionem remotionem seu relaxationem valeat obtinere, preter quam ab excommunicatione in mortis articulo, ut in casu superius iam expresso colligationes autem confederationes actiones conventiones societates submissiones et obligationes quascumque factas inter ipsos Venetos et Ferrarienses vel inter ipsos Venetos et alias civitates universitates vel communitates quaslibet etiam si sint iuramento promissione personarum adiectione vel alia quacumque firmitate vallate, annullamus cassamus et penitus irritamus et eas haberi volumus pro infectis. Ceterum quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur errore, ut infra tempus sui regiminis predictas penas vel aliquam earum sustineat, quasi post illud non sit ad satisfactionis debitum compellendus, nam et ipsum qui satisfacere recusaverit et successorem ipsius nisi satis fecerit infra quindecim dies remanere decernimus eisdem penis conclusum et per omnia et in omnibus obligatum. Ne vero circa scientiam vel auditum huiusmodi processus Veneti possint ignorantiam allegare neve alii, quibus prohibuimus ne Venetis bladum vinum vel quascumque alias res deferant vendant seu quocumque modo in eos transferant vel ab eis aliquid emant, seu ne ipsis faveant in predictis vel contra prohibitiones nostras predictas in aliquo veniant, pretextu ignorantie contra prohibitiones huiusmodi velamen excusationis assumant, ipsum Avinione in platea, que est ante ecclesiam fratrum Predicatorum dicti loci, in quorum domibus habitamus ad presens, in die Cene domini, qua Romani pontifices predecessores nostri consueverunt suos solennes publicare processus, presente clericorum et aliorum fidelium multitudine copiosa fecimus publicari et menbranas processum huiuusmodi continentes ecclesie cathedralis Avinionensis et Predicatorum predictorum appendi vel affigi hostiis seu superliminaribus faciemus, que plenius processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ita quod hii quos processus ipse contingit, nullam possint postea excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum in dicto loco Avinionensi, ipsa die cene domini, pontificatus nostri anno Quarto.

FUNDACIÓ NOGUERA

650

1309 abril 5, Avinyó

Climent V mana a l'oficial de Vic que decideixi la querella entre Berenguer de Lacera i Ramon de Vilalta, canonges de Barcelona i administradors de les almoines de la seu episcopal de Barcelona, d'una banda, i, l'ardiaca de Sent Lon (Landes) de l'església d'Aira, d'una altra, sobre alguns censals i rèdits anuals.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-194.
a Butlla perduda.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. officiali Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis Berengarius de Lateria et Raymundus de Vilalta canonici Barchinonenses administratores elemosine pauperum episcopalis sedis Barchinonensis per venerabilem fratrem nostrum .. episcopum et dilectos filios capitulum Barchinonenses deputati petitione monstrarunt, quod .. archidiaconus Silocensis in ecclesia Adurensi falso imponens eisdem administratoribus quod ipsi quosdam census et redditus annuos ad dictam elemosinam pertinentes, quos fuisse asserebat quondam magistri Petri archipresbiteri ecclesie de Lauracho Tholosane diocesis detinebant, contra iustitiam occupatos ex arrupto sine aliqua causa rationabili, quanquam sibi de occupatione huiusmodi aliquatenus non constaret prout nec constare poterat, cum id non esset notorium neque verum administratores ipsos pretextu litterarum dilecti filii Bertrandi electi Albiensis cammerarii nostri nullam super hoc iurisdictionem habentis moneri fecit, ut predictos census et redditus Bernardo archipresbitero ecclesie supradicte sine difficultate qualibet restituerent et etiam assignarent, alioquin in eos extunc excommunicationis sententiam promulgabat ipsosque mandabat excommunicatos publice nuntiari, propter quod ex parte ipsorum fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, Nonas Aprilis, pontificatus nostri Anno Quarto.

FUNDACIÓ NOGUERA

651

1309 abril 24, Avinyó

Climent V comissiona el bisbe de València (Ramon Despont) per publicar al regne d'Aragó, (València i Catalunya), la croada per la conquesta de Granada, capitanejada pel rei Jaume II d'Aragó, València, Sardenya i Còrsega, a la qual concedeix les mateixes indulgències que les atorgades per la de Terra Santa.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 33.
B Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 33 doble.
a Butlla amb fil de cànem *A*. Butlla perduda *B*.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 97-98, doc. 3989.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 178-179, doc. 339.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 52, doc. 4971.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino salutem et apostolicam benedictionem. Indesinentis cure velut totius dominici gregis pastor solicitudine premimur et assidue meditationis excitamur instantia cunctique renati fonte baptismatis, quos Christus proprii sanguinis aspersione redemit, debent nedum ardenter aspicere, nedum aspirare ferventer, sed potenter et devote consurgere ac efficaciter conflare vires et operationes exponere ad extirpandas ubilibet Sarracenorum fetidas nationes, quibus patria celestis offenditur, christianus populus vexatur angustiis et fidei claritas impugnatur, ut eorum abhominatione propulsa et feritate nepharia extirpata fidelium limites et prefate cultus fidei dilatentur. Leti profecto et cum exultatione referimus ac largitori bonorum omnium, qui suorum corda fidelium ad ipsius exequenda beneplacita potenter inflammat, gratiarum reverenter exolvimus actiones, quod carissimus in Christo filius noster Iacobus Aragonie Valentie Sardinie et Corsice rex illustris, prout ex litterarum et nuntiorum suorum relatione collegimus, ad ipsius obsequia redemptoris divino flamine inspiratus in eorum executione domino auxiliante felici propriam volens personam exponere ac laborum et expensarum onera sub spe divini auxilii subire potenter tanquam tanquam Christi pugil et cultor fidei memorate ad acquisitionem regni Granate, quod Sarracenica colit seu fedat potius feda progenies, ferventer intendit et ad procedendum ad id regali potentia se preparat et accingit ad dei laudem, exaltationem matris ecclesie, exterminationem huiusmodi abhominabilis nationis, ibique propagandos fidei predicte cultores et votivis successibus ampliandos. Nos igitur cupientes ut huiusmodi negotium, in quo causa dei specialiter agitur, laudabilibus proficiat incrementis, illudque prose-

FUNDACIÓ NOGUERA

qui favoribus apostolicis intendentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus contra huiusmodi Sarracenos predicti regni Granate in eiusdem regis Aragonie subsidium, per ipsius regis regna et terras, Sardinie et Corsice regno eiusque terris dumtaxat exceptis, per te ac alios tam seculares quam regulares, quorumcunque ordinum fuerint, quos ad hoc ydoneos esse cognoveris, per eadem regna et terras constitutos proponas iuxta datam a deo tibi prudentiam verbum Crucis, et eam tam ipsi regi quam aliis incolis dicti regni volentibus ipsam recipere largiaris. Nos enim de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius meritis et auctoritate confisi fidelibus eisdem, qui cum eodem rege vel eius vicariis in personis propriis sive per mare sive per terram per unum annum continue vel interpolatim infra triennium a die, quo propter hoc iter arripuerint, necnon et illis de predictis, qui in prosecutione dicti negotii decesserint, ipsi vero regi statim, cum in persona propria contra Sarracenos ipsos duxerint procedendum, plenam suorum peccatorum, de quibus vere penitentes et confessi fuerint, veniam indulgemus, que conceditur transeuntibus in subsidium terre sancte. Eis autem qui non in personis propriis sed in suis dumtaxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros ydoneos destinaverint per tempus quod supra predicitur moraturos, et illis similiter qui licet in alienis expensis in propriis tamen personis accesserint per tempus moraturi predictum, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huiusmodi autem remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius negotii de bonis suis congrue ministrabunt aut circa predicta consilium et auxilium impenderint oportunum. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus per te vel alium seu alios huiusmodi nostram concessionem in ecclesiis et locis regni et terrarum predictarum, de quibus expedire videris, solenniter publicare procures.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Quarto.

652

1309 abril 24, Avinyó

Climent V comunica al rei Jaume II rei d'Aragó, Sardenya i Còrsega, a petició pròpia, la concessió als clergues dels seus regnes, croats a Granada, gaudir de les rendes dels seus beneficis encara que siguin residencials i la venda d'aquests fruits per biennis renovables.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 36.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 96-97, doc. 3988.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 179, doc. 340.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 52, doc. 4974.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo Aragonie Sardinie et Corsice regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Precelsa celsitudinis tue merita, quibus deo et sedis apostolice gratum te reddis multipliciter et acceptum, digne merentur, ut sedes eadem se tibi liberalem exhibeat in tuis petitionibus et benignam ac presertim in hiis, que promocionem christiane fidei, exterminacionem infidelium et ipsius ecclesie ac tuam exaltacionem respicere dinoscantur. Cum itaque sicut ex parte tua nuper accepimus, tu tanquam Christi pugil et cultor fidei memorate ad acquisicionem regni Granate ac ad evellendum de illo Sarracenorum perfidam nacionem et ad propagandum ibidem fidei prelibate cultores ferventer intendas et ad procedendum ad id regali potencia te prepares et accingas, nosque propter hoc in regnis et terris tuis, Sardinie et Corsice regno eiusque terris exceptis, proponi mandemus in tuum subsidium verbum crucis, volentes ut clerici eorundem regnorum et terrarum eo fervencius ad huiusmodi subsidium invitentur, quo maiori eiusdem sedis gracia se noverint communitos, tuis supplicacionibus inclinati omnibus clericis secularibus predictorum regnorum et terrarum non exceptorum, qui tecum vel cum vicariis tuis contra Sarracenos ipsos duxerint personaliter procedendum, auctoritate presentium indulgemus, ut quandiu in huiusmodi negociis personali prosecucione permanserint, fructus redditus et proventus omnium personatuum dignitatum officiorum administracionum et beneficiorum suorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, quantumcunque residenciam exigant personalem, cum ea integritate percipere libere valeant, cotidianis distribucionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in ecclesiis, quibus personatus dignitates officia administraciones et beneficia huiusmodi obtinent, personaliter residerent nec interim ad faciendum in eis personalem residenciam teneantur neque ad id a quoquam compelli possint inviti, eis de uberiori gracia concedentes, quod fructus ipsos possint arrendare et vendere ad biennium et finito illo biennnio ad aliud biennium, et si infra illud biennium morerentur, arrendaciones et vendiciones antedicte in sua remaneant firmitate. Non obstantibus quibuslibet statutis et consuetudinibus contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacunque alia firmitate vallatis, etiam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et de ipsis litteris non utendo per se vel alios prestiterint iuramentum aut quibuscunque constitucionibus privilegiis et indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per que

FUNDACIÓ NOGUERA

presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi concessionis et gracie impediri possit quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus seu de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Proviso quod interim personatus dignitates officia administraciones et beneficia supradicta debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Quarto.

653

1309 abril 24, Avinyó

Climent V mana a l'ardiaca de l'església de Benasc, diòcesi de Lleida, al sagristà d'Osca i al precentor de Barcelona, concedir als seus clergues, croats a Granada, gaudir de les rendes dels seus beneficis encara que siguin residencials i la venda d'aquests fruits per biennis renovables.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 35.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 179, doc. 340b.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 52, doc. 4973.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. archidiacono Benascensi Ilerdensis et .. sacriste Oscensis ac .. precentori Barchinonensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Precelsa celsitudinis merita carissimi in Christo filii nostri Iacobi Aragonie Sardinie et Corsice regis illustris, quibus deo et sedi apostolice gratum se reddit multipliciter et acceptum, digne merentur, ut sedes eadem se ei liberalem exhibeat in suis petitionibus et benignam ac presertim in hiis, que promotionem christiane fidei, exterminationem infidelium et ipsius ecclesie ac ipsius regis exaltationem respicere dinoscantur. Cum itaque sicut ex parte ipsius regis nuper accepimus, ipse tanquam Christi pugil et cultor fidei memorate ad acquisitionem regni Granate ac ad evellendum de illo Sarracenorum perfidam nationem et ad propagandum ibidem fidei prelibate cultores ferventer intendat et ad procedendum ad id regali potentia se preparet et accingat, nosque propter hoc in regnis et terris suis, Sardinie et Corsice regno eiusque terris exceptis, proponi mandemus in ipsius regis subsidium verbum crucis, volentes ut clerici eorundem regnorum et

FUNDACIÓ NOGUERA

terrarum eo ferventius ad huiusmodi subsidium invitentur, quo maiori eiusdem sedis gratia se noverint communitos. Ipsius regis supplicationibus inclinati omnibus clericis secularibus predictorum regnorum ac terrarum non exceptorum, qui cum eodem rege vel cum vicariis suis contra Sarracenos ipsos duxerint personaliter procedendum, auctoritate litterarum nostrarum duximus indulgendum, ut quandiu in huiusmodi negotii personali prosecutione permanserint, fructus redditus et proventus omnium personatuum dignitatum officiorum administrationum et beneficiorum suorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, quantumcunque residentiam exigant personalem, cum ea integritate percipere libere valeant, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in ecclesiis, in quibus personatus dignitates officia administrationes et beneficia huiusmodi obtinent, personaliter residerent nec interim ad faciendum in eis personalem residentiam tenerentur neque ad id a quoquam compelli possent inviti, eis de uberiori gratia concedentes, quod fructus ipsos possent arrendare et vendere ad biennium et finito illo biennnio ad aliud biennium, et si infra illud biennium morerentur, arrendationes et venditiones antedicte in sua remanerent firmitate. Non obstantibus quibuslibet statutis et consuetudinibus contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacunque alia firmitate vallatis, etiam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et de ipsis litteris non utendo per se vel per alios prestiterint iuramentum aut quibuscunque constitutionibus privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per que nostris litteris non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi concessionis et gratie impediri posset quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus seu de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Proviso quod interim personatus dignitates officia administrationes et beneficia supradicta debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios auctoritate nostra prefatis clericis predictos fructus redditus et proventus faciatis per dictum tempus iuxta huiusmodi concessionis nostre tenorem integre ministrari. Non obstantibus omnibus supradictis seu si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici aut excommunicari nequeant aut suspendi per litteras dicte sedis non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Quarto.

FUNDACIÓ NOGUERA

654

1309 abril 24, Avinyó

Climent V mana al prior de l'església de Daroca, diòcesi de Saragossa, i al sagrista de l'església de Barcelona, intimar els col·lectors de la dècima al regne d'Aragó, el bisbe de València (Ramon Despont) i l'abat del monestir de Foixà, diòcesi de Pamiers, sota pena d'excomunió de tots dos i de suspensió en l'administració espiritual i temporal d'aquesta als col·lectors, perquè lliurin íntegra al rei Jaume II d'Aragó, València, Sardenya i Còrsega una tercera part de la dècima que se li assignà pels estipendis fets en la seva visita a Roma, i les dos restants per les empreses de Granada, en concepte de la de Sardenya i Còrsega, com es va dir quan es va fer la primera concessió.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 34.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 180, doc. 341.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 52, doc. 4972.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. priori Darocensi Cesaragustane diocesis et .. sacriste ecclesie Barchinonensis salutem et apostolicam benedictionem. Dudum nostri primo pontificatus anno decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum regnorum Aragonie ac Valencie comitatus Barchinonie omniumque terrarum carissimi in Christo filii nostri Iacobi Aragonie Valentie Sardinie et Corsice regis illustris ditioni subiectis eodem Sardinie et Corsice regno eiusque terris exceptis tam pro exoneratione expensarum, quas fecerat ad nos tunc personaliter veniendo quam pro conquisitione regni Sardinie et Corsice, ad quam idem rex ferventer prout ex ipsius parte percepimus intendebat, per nostras certi tenoris litteras per certi temporis spatium in eisdem expressum litteris duximus imponendam, collectione ipsius decime venerabili fratri nostro .. episcopo Valentino et dilecto filio .. abbati monasterii Fussensis Appamiarum diocesis facienda per se ac alios per alias nostras certi tenoris litteras delegata. Iniungentes eisdem ut tertiam ipsius decime pro predictis expensis regi exhibere predicto, residuas vero duas partes in subsidium huiusmodi conquisitionis seu recuperationis dicti regni Sardinie et Corsice convertendas vel alias exponendas prout nostra deliberatio duceret ordinandum fideliter conservare curarent ac demum aliarum litterarum nostrarum auctoritate ipsis episcopo et abbati duximus iniungendum, ut predictas duas partes decime prelibate tam collecte quam colligende convertendas in subsidium expensarum que regi predicto imminent ad prosecutionem negotii acquisitionis regni Granate ac ad extirpandam exinde Sarracenicam nationem, ad quod

FUNDACIÓ NOGUERA

rex idem prout ex sua insinuatione collegimus se potenter preparat et accingit, absque difficultate persolverentur ipsi regi. Volentes igitur ut dicta decima ipsi regi iuxta mandata nostra huiusmodi sublato difficultatis obstaculo integraliter persolvatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eosdem episcopum et abbatem et quoslibet collectores deputatos ab ipsis ad ipsam decimam colligendam ad reddendum ipsi regi de dicta decima plenariam rationem et totum quod de ipsa nondum persolverint iuxta nostrarum continentiam litterarum sibi absque difficultate persolvant monitione premissa per excommunicationis in personas et dictos episcopum et abbatem per suspensionis ab administratione spiritualium et temporalium aliosque collectores predictos per privationis beneficiorum suorum sententias, quas nolumus per alium quam per Romanum pontificem relaxari preterquam in mortis articulo auctoritate nostra compellatis. Non obstante si eis vel eorum aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Quarto.

655

1309 maig 14, Avinyó

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que permeti la sortida dels seus regnes cap a Terra Santa al mestre Foulques (de Villaret) de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, amb tots els priors i frares, cavalleries i armes perquè en té necessitat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 37.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b DELAVILLE LE ROULX, *Cartulaire*, IV, p. 212-213, doc. 4860.
c FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 199-200, doc. 91 (en part).
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 188-189, doc. 358.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 53, doc. 4976.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dum sollicitudinem diligentem affectionem plenam ac studium efficax, que dilectus filius frater Fulco magister Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani circa terre sancte subventionem tamquam deo devotus et filius devotionis impendit, diligenter attendimus, plenis in domino gaudiis exultamus eique gratiarum exsolvimus actiones,

FUNDACIÓ NOGUERA

tantoque libentius proinde prefatum magistrum favoribus apostolicis presertim circa dicte terre negotium prevenimus, quanto inter cetera desideria cordis nostri liberationem terre predicte ferventiori desiderio affectamus. Ex parte siquidem ipsius magistri fuit nuper expositum coram nobis, quod ipse circa negotium passagii per nos ordinati ad cuius executionem nostra solerter vacat intentio prout a nobis receperat in mandatis, diligenter intentus universis prioribus et fratribus dicti Hospitalis districte mandavit, ut se equis armis et aliis necessariis ad dictum passagium communirent essentque ad transfretandum in constituto eis ad hoc termino preparati, et quia solum de ipsius ordinis fratribus huiusmodi passagium non poterat utiliter adimpleri, plures ex diversis regnis et partibus strenuos conduxit, ad magna stipendia bellatores eis ad preparationem necessariorum pecuniarum summas non modicas persolvendo. Verum licet ipsius magistri circa huiusmodi prosecutionem negotii iugiter laboret intentio quia tamen tu tam dictis fratribus quam aliis infra tui regni limites constitutis nuper districte mandasti ut se ad veniendum tecum contra .. regem Granate preparare curarent nec equos aut arma extra regnum tuum extraherent, huiusmodi pia dicti magistri intentio prepeditur, quod est valde contrarium votis nostris. Cum igitur ex tali mandato negotio dicte terre, quod nostris insistit precordiis, obstaculum grave proveniat ac timeatur gravius proventurum ex eo quod vicini reges videlicet Castelle Portugallie et Maioricarum, qui circa negotium regni Granate tecum confederati dicuntur, mandatum ipsum, si forte procederet, de facili traherent in exemplum, in eorum regnis et terris mandata similia faciendo, nos attendentes quod si dicti fratres et alii stipendiarii regnorum et terrarum predictorum ab huiusmodi passagio totaliter subducantur, idem magister non posset dictum passagium iuxta nostrum et suum desiderium prosecutione utili ad effectum ducere peroptatum, magnificentiam tuam rogamus et hortamur attente, quatinus tu tamquam devotionis et obedientie filius premissa omnia pia meditatione recogitans divinisque ac nostris beneplacitis te conformans, mandatum predictum circa fratres et stipendiarios prelibatos pro divina et apostolice sedis reverentia revocare procures dictosque fratres et stipendiarios transfretare ac de regno et terris tuis predictis cum equis armis et rebus aliis ad passagium oportunis libere permittas exire, aliquam eis difficultatem seu molestiam aut aliquod obstaculum seu dampnum in personis aut rebus eorum propter hoc nullatenus inferendo, te in hac parte taliter habiturus quod ex tuo mandato predicto nulla tam pio dicte terre negotio prepeditio ingeratur, sed felicem divina favente clementia tuoque cooperante favore idem negotium sortiatur effectum nosque celsitudinem tuam exinde

FUNDACIÓ NOGUERA

possimus de devotionis affectu et obedientie promptitudine dignis in domino laudibus commendare.

Dat. Avinione, II Idus Maii, pontificatus nostri anno Quarto.

656

1309 juny 10, Avinyó

Climent V mana a Gilbert de Creus, canonge de Girona, resoldre la causa entre el prior i el convent de Manresa de l'orde de Santa Maria del Mont Carmel, de la diòcesi de Vic, i el bisbe de Vic (Berenguer de Guàrdia) sobre el privilegi de sepultura en les seves esglésies, a petició del prior general i altres priors i convents d'aquest orde.

A Manresa, Arxiu de la Seu, Pergamins, Segle XIV, núm. 20.
a Plica en part retallada. Butlla perduda.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Guillaberto de Crucil(is) canonico Gerundensi salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis .. prior et conventus domus de Minorissa ordinis beate Marie de Monte Carmeli Vicensis diocesis petitione monstrarunt, quod licet .. priori generali et aliis prioribus et conventibus universis dicti ordinis [...]stitutis per spetialia privilegia sedis apostolice sit indultum, ut apud ecclesias et loca ipsorum liberam habeant sepulturam et in huiusmodi [privilegi]is per eandem sedem inhibeatur expresse ne quisquam diocesanus aut prelatus alius deputatus ab eis eosdem priores et conventus in sepelliendis [def]unctorum corporibus, qui dum viverent, illic suam eligerent sepulturam quavis occasione vel causa presumerent impedire, tamen venerabilis frater noster .. episcopus Vicensis dictis priori et conventui dicte domus de Minorissa contra tenores privilegiorum ipsorum ex arrupto propria auctoritate mandavit, ne ipsi aliquem ad sepulturam admitterent seu in dicta eorum ecclesia sepelire quomodolibet attemptarent. Ex parte vero dictorum prioris et conventus de Minorissa fuit coram eodem episcopo excipiendo propositum quod cu[m ... p]redictis priori generali et aliis prioribus et conventibus universis dicti ordinis ubilibet constitutis per specialia privilegia sedis apostolice foret indultum, ut apud ecclesias et loca ipsorum de quibus ecclesia dicti prioratus de Minorissa tunc erat liberam habeant sepulturam, in cuius possessione pacifica vel quasi [rest]ebant ac in huiusmodi privilegiis per dictam sedem inhibeatur expresse, ne quisquam diocesanus aut prelatus alius deputatus [ab eis] eosdem priores et conventus seu ipsorum quoslibet in sepeliend[is] defunctorum corporibus, qui dum viverent, illic suam eligerent sepulturam quamvis occasione vel causa presumerent

FUNDACIÓ NOGUERA

aliquatenus impedire, prout erant per exhibitionem dictorum privilegiorum et alias legitime probare parati sibi super hoc parere minime tenebantur nec ad id de iure compelli poterant nec debebant. Et quia idem episcopus eos super hiis audire contra iustitiam recusavit, ex parte ipsorum sentientium ex hoc indebite se gravari fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis quod iustum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, IIII Idus Iunii, pontificatus nostri Anno Quarto.

657

1309 juny 20, Avinyó

Climent V comunica al rei Jaume II d'Aragó, València, Sardenya i Còrsega que accedeix a la seva petició que la dècima imposada en els seus regnes per a la conquesta de Sardenya i Còrsega sigui aplicada per un any a la conquesta del regne de Granada, de la qual nomena collectors el bisbe de València (Ramon Despont) i Galceran de Barberà, canonge de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 11.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 180, doc. 342.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 53, doc. 4978.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo Aragonie Valentie Sardinie et Corsice regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Affectione qua decuit receptis et perlectis excellentie tue litteris ac consideratis hiis, que a nobis per easdem litteras postulasti circa traditionem videlicet tibi pro acquisitionis regni Granate prosequendo negotio faciendam de decima, quam pridem in regnis et terris tuis, Sardinie et Corsice regno eiusque terris dumtaxat exceptis, usque ad triennium per nostras sub certa forma litteras duximus imponendam, petitionem tuam in hac parte, quatinus adpresens convenienter potuimus, ad gratiam exauditionis admisimus. Ita quod venerabili fratri nostro .. episcopo Valentino et dilecto filio Galcerando de Barberano canonico Barchinonensi collectoribus ipsius decime deputatis a nobis per alias nostras damus

FUNDACIÓ NOGUERA

litteras in mandatis, ut decimam huiusmodi de uno videlicet anno prout eam duxerint colligendam tibi insistenti iuxta celsitudinis tue decentiam in prosecucione dicti negotii aut illi vel illis, quos ad hoc duxeris deputandos, curent integraliter et celeriter assignare. Et quia dum in mente revolvimus inclita gesta tua que abolim magnifici nominis extolli gloria meruerunt, datur nobis secura fidutia quod tu velut princeps christianissimus actus regios in eterni regis beneplacito dirigens ad extirpandum de dicto regno Granate fetidas infidelium nationes ac propagandum et dilatandum in eo cultores fidei orthodoxe ferventibus curabis desideriis laborare ac indefessa sollicitudine vigilare. Scire te volumus quod in hiis que utilitatem tuam respicient ac honorem, nos quantum cum deo et honore nostro poterimus tibi favorabiles semper invenies et benignos.

Dat. Avinione, XII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quarto.

658

1309 juny 21, Avinyó

Climent V envia al rei Jaume II d'Aragó els processos dels venecians que envaïren Ferrara, per tal que mani empresonar aquells que estan en els seus regnes i en confisqui els béns. Explica com, havent recuperat aquesta ciutat l'any anterior i haver-ne estat expulsat Fresco, fill natural d'Azzo III, marquès d'Este, conferí el govern a l'abat del monestir de Tulle i al mestre Onofre de Trebis, degà de l'església de Meaux, legats seus; però el dux (Pere Gardénigo) i el conseller major de Venècia enviaren Joan de Sourancia de Venècia amb un exèrcit, el qual, després d'haver destruït la fortificació de Tedaldi, la torre i el pont sobre el Po, va envair-la el 27 de novembre de 1308. Per tot això, i no havent obeït els requeriments del papa perquè l'abandonessin, se'ls processà i conferí al cardenal Arnau de Pelagrua de Santa Maria del Pòrtic (Campitelli) la predicació d'una croada a Itàlia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 12.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 181, doc. 343.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 54, doc. 4979.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Habet carissime fili Romana ecclesia mater tua constantem in regali serenitate fiduciam, ut sicut ipsa personam tuam brachiis materne dilectionis amplectitur, sic tu ad illam per grate recognitionis

FUNDACIÓ NOGUERA

affectum habens reverentiam filialem, que ipsius honorem respiciunt sollicitis studiis prosequaris et que suis affectibus insidere perceperis efficaci prosecutione operum et devotione vigili non desinas exercere. Dudum siquidem post recuperationem civitatis nostre Ferrariensis ab antiquo ad nos et Romanam ecclesiam pleno iure spectantis, dilecti filii cives civitatis ipsius ecclesie Romane fideles, Frescho filio naturali quondam Azonis marchionis Estensis qui civitatem ipsam detinebat per violentiam occupatam, per cives ipsos violenter de illa fugato dilectis filiis .. abbati monasterii Tutellensis et magistro Onufrio de Trebis decano ecclesie Meldensis capellanis et nuntiis nostris propter hoc ad partes illas specialiter destinatis, eam nostro et ecclesie Romane nomine devotis et exultantibus animis assignantes ipsius civitatis comitatus territorii et districtus populus universus coram eisdem nuntiis pluries et publice recognovit, illos ad ius et proprietatem dicte Romane ecclesie in temporalibus pertinere ipsamque civitatem fore cameram ipsius ecclesie specialem. Demum vero prefati nuntii diversos potestates et capitaneos ad instantiam populi supradicti in dicta civitate nostro et ecclesie Romane nomine posuerunt, prout eis expediens videbatur, et tam ipsi potestates et capitanei quam anciani consiliarii ceterique officiales civitatis eiusdem quandocumque denuo mutabantur, nuntiis ipsis nomine predicto recipientibus iurabant officia sua ad mandatum nostrum et ecclesie predicte ac nuntiorum ipsorum fideliter exercere. Claves insuper portarum civitatis eiusdem recipientes nuntii memorati, illas predicto nomine certis personis fidelibus que ipsas eodem nomine custodirent fideliter commendabant. Prefati etiam nuntii ad mandatum et voluntatem nostram vel ipsorum in dictis portis custodes ponentibus per bulletas ipsorum intrabant civitatem ipsam singuli et exibant syndicus etenim ad hoc specialiter constitutus, necnon et maius consilium civitatis predicte, in quo erant quingenti homines de ipsa civitate presentes capita quoque societatum civitatis eiusdem et quilibet de societatibus ipsis et sic quasi omnes de civitate ipsa prefatis nuntiis quo supra nomine recipientibus prestabant fidelitatis debite iuramentum. In Massa quidem Fiscaria et aliis locis civitatis seu districtus predicti nuntii memorati potestates diversos instituebant pro eorum libito voluntatis. Edicta vero proponi et bandiri faciebant per civitatem eandem prout ipsis expediens videbatur, de appellationum autem causis a potestatibus supradictis interiectarum ad nuntios memoratos iidem nuntii plenarie cognoscebant. In consiliis etiam civitatis eiusdem ipsi nuntii cum eis placebat suam exhibebant presentiam et ipsorum consiliorum diffinitio presentibus nuntiis fiebat eisdem ipsique ordinabant in eisdem consiliis nomine supradicto sicut eis expediens et rationi consonum videbatur, et nonnulla alia ad dominium et iurisdictionem civitatis ac districtus

FUNDACIÓ NOGUERA

predictorum spectantia prefati nuntii eodem nomine publice et solenniter sine resistencia vel contradictione qualibet faciebant et etiam exercebant, et de predictis omnibus eramus nos et eadem ecclesia seu prefati nuntii nostro et ipsius ecclesie nomine in possessione pacifica et quieta. Verum nobis et eadem ecclesia existentibus in huiusmodi possessione plenaria .. dux consilium et comune Venetiarum ad eandem civitatem Ferrariensem aviditatis oculos extendentes post multas ac innumeras iniurias multasque strages fidelium post incendia plurima et post enormitates scelerum diversorum per ipsos contra civitatem et cives eosdem commissa dictam civitatem cum machinis et balistis et aliis missilibus adeo graviter oppresserunt castrum seu fortellitium Thedaldi eidem civitati contiguum burgum civitatis ipsius, pontem supra flumen Padi iuxta civitatem eandem et Turrim iuxta ipsum pontem nequiter occupando, quod viribus superatis ipsorum coacti sunt eorum se subicere servituti. Et subsequenter Iohannes de Sourrancia de Venetiis qui per ducem consilium et comune predictos cum multitudine armatorum hostiliter contra civitatem ipsam accesserat eandem ingrediens et occupare dampnabili temeritate presumens illam ipse Iohannes aliquandiu et demum nonnulli alii pro dictis duce consilio et comuni licet nullum eis ius competeret in eadem in apostolice sedis et nostram iniuriam et contemptum violenter detinuerunt indebite occupatam, quamvis de voluntate civium predictorum in dicta civitate prefati nuntii morarentur et partem palatii civitatis tenerent eiusdem dictique cives in nostra et ipsius ecclesie fidelitate sicut benedictionis filii stabiliter persisterent et ferventer. Et demum nos illius summi pastoris exemplo qui ad gregis sui caulam propriis humeris perditam ovem reduxit, volentes eosdem ducem consilium et commune mansuetudinis apostolice veritate ad matris ecclesie ovile reducere et a via mala viros impios revocare ac exhortationis paterne funiculo a casu retrahere, ne irreparabili collapsu deciderent et perirent sine spe aliqua resurgendi eosdem ducem consilium et commune per nostras sub certa forma litteras rogandos et monendos duximus et etiam exhortandos eis per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, ut a quibuslibet molestiis impugnationibus iniuriis violentiis et dampnis dicte civitatis Ferrariensis eiusque comitatus territorii et districtus ac personarum ipsorum per se et alios cessarent omnino, et a similibus deinceps abstinentes castrum seu fortelitium et pontem predicta et quelibet alia bona que dictam civitatem Ferrariensem quomodolibet contingebant prefatis capellanis et nuntiis aut ipsorum alteri vel aliis pro eisdem revocatis expresse omnibus per quos illa faciebant ut predicitur detineri vacua libera et expedita penitus infra certum dierum spatium totaliter dimiterent, nullam super illis nobis et eidem

FUNDACIÓ NOGUERA

ecclesie ac prefatis nuntiis molestiam illaturi, quinimmo civitatis comitatus territorii et districtus ac castri seu fortelitii burgi pontis et turris predictorum quolibet impedimento sublato, eosdem nuntios permitterent nostro et ecclesie prefate nomine pacifica et quieta possessione gaudere. Verum oculis ducis consilii et comunis predictorum caligine iniquitatis ne respicerent veritatem obiectis et sicut plumbum in aquis validissimis in malorum profundum tracti suorum mole ac magnitudine peccatorum et ne intelligerent ut bene agerent more aspidis, que a voce incantantium ut veneficia que incantantur a sapiente non audiat mentis obturantes auditum precibus monitis et mandatis huiusmodi acquiescere temeritate dampnabili contempserunt, propter quod in die cene domini proxime preterito non absque amaritatione cordis et animi certos processus fecimus et habuimus contra eos diversas sententias et penas varias continentes et inter alias penas in processibus ipsis inflictas eisdem bona ipsorum mobilia et immobilia de fratrum nostrorum consilio duximus confiscanda et personas ducis consiliariorum et aliorum Venetorum predictorum necnon et eadem bona mobilia fidelibus exposuimus capienda et etiam occupanda, bonorum vero immobilium eorundem que dicti dux consilium et comune et singulares persone Venetorum ipsorum Venetiis et in Romanie et in quibuscunque aliis partibus habere noscuntur, dispositione et ordinatione nobis et nostris successoribus specialiter reservatis prout in eisdem processibus quos tibi sub bulla nostra per latorem presentium destinamus, poteris intueri. Profecto dux consilium et comune prefati non propter hoc penitudine ductos non corde contritos non humiliatos spiritu, non mente placabiles nec se devotos animis exhibentes, sed sue currum elationis in faustu ascendentes pestifero contra dictam civitatem insultibus renovatis illam obsidionibus artant durissimis similibus machinis et aliis messilibus lacerant et ipsam dictumque comitatum territorium et districtum per torrentes et inundationes aquarum per illos eorum pravis operibus defluentes enormiter dissipant depopulationibus vastant hostilibus et alias a Pharaone qui sacerdotum possessiones et bona in pristina libertate dimisit, servituti subiectis omnibus aliis, superati ad exterminium civitatis eiusdem suas vires exercent illamque suo dominio nituntur dolosis conatibus subiugare. Populum autem civitatis eiusdem qui transibant simpliciter converterunt in bellum desuper tunicam, palleum substulerunt populi mulieres ipsius de domibus eiecerunt, delicarum suarum a parvulis enim ipsarum, laudem matris ecclesie subtraxerunt dicentes ite quia hic requiem non habetis. Nos vero considerantes quod dicti Veneti propter immundiciam peccatorum et iniquitatum huiusmodi corrumpi putredine pessima et cum Dathan et Abiron maledictionis premia meruerunt, contra ipsos per dilectum

FUNDACIÓ NOGUERA

filium nostrum Arnaldum sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem apostolice sedis legatum proponi mandavimus per partes Italie, de quibus sibi videbitur verbum crucis. Intendentes igitur ut dux consilium et comune prefati acerbitatem penarum defleant predictarum, regalem magnificentiam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus omnes et singulos ex dictis Venetis eorumque bona mobilia et immobilia, qui et que infra limites regni tui et terrarum tuo dominio subiectarum consistere dinoscuntur, absque dilatione capi facias iuxta tenorem processuum predictorum et alias processus ipsos et sententias supradictas in eisdem regno et terris inviolabiliter observari, ut dolor eorum in caput redundet ipsorum et in illorum vertices eorum iniquitas convertatur. Sic igitur in premissis te promptum exhibeas sic te reddas sollicitum et attentum, quod promptitudinem reverentie filialis quam ad nos et eandem ecclesiam te habere confidimus operum exhibitione demonstres. Nos proinde magnitudinem tuam commendare dignis in domino laudibus valeamus et ad exaltationis regie incrementum intendere paternis studiis teneamur.

Dat. Avinione, XI Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quarto.

659

1309 juny 28, Avinyó

Climent V comunica al rei Jaume II d'Aragó que li urgeix l'execució de la butlla "Habet, carissime fili" (21 de juny de 1309), referent als venecians processats per la presa de Ferrara, i li prega que vigili i guardi les costes del seus regnes perquè no s'apoderin d'algun dels seus ports i treguin queviures.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 13.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 181-182, doc. 344.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 54, doc. 4980.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pridem tibi per alias nostras litteras scripsisse meminimus, quod dudum post recuperationem civitatis nostre Ferrariensis ab aliquo ad nos et Romanam ecclesiam pleno iure spectantis dilecti filii cives civitatis ipsius ecclesie Romane fideles Frescho filio naturali quondam Azonis marchionis Estensis qui civitatem ipsam detinebat, per violentiam occupatam per cives ipsos violenter de illa fugato dilectis filiis .. abbati monasterii Tutellensis et magistro Onufrio de

FUNDACIÓ NOGUERA

Trebis decano ecclesie Meldensis capellanis et nuntiis nostris propter hoc ad partes illas specialiter destinatis, eam nostro et ecclesie Romane nomine devotis et exultantibus animis assignarant et ipsius civitatis comitatus territorii et districtus populus universus coram eisdem nuntiis pluries et publice recognoverat illos ad ius et proprietatem dicte Romane ecclesie in temporalibus pertinere, ipsamque civitatem fore cameram Romane ecclesie specialem, quodque demum prefati nuntii diversos potestates et capitaneos ad instantiam populi supradicti in dicta civitate nostro et ecclesie Romane nomine posuerant, prout eis expediens videbatur, et nonnulla alia ad dominium et iurisdictionem civitatis comitatus ac districtus predictorum spectantia prefati nuntii publice et sollenniter sine resistentia vel contradictione qualibet fecerant et exercuerant nomine supradicto, et de hiis omnibus fueramus nos et eadem ecclesia seu prefati nuntii nostro et ipsius ecclesie nomine in possessione pacifica et quieta, quodque nobis et eadem ecclesia existentibus in huiusmodi possessione plenaria .. dux consilium et commune Venetiarum ad eandem civitatem Ferrariensem aviditatis oculos extendentes post multas et innumeras iniurias multasque strages fidelium post incendia plurima et post enormitates scelerum diversorum per ipsos contra civitatem et cives eosdem commissa dictam civitatem cum machinis et balistis et aliis missilibus adeo graviter oppresserant castrum seu fortelicium Thedaldi eidem civitati contiguum burgum civitatis ipsius, pontem supra flumen Padi iuxta civitatem eandem et turrim iuxta ipsum pontem ipsum nequiter occupando, quod viribus superatis ipsorum coacti fuerant eorum se subicere servituti, et subsequenter Iohannes Saorantia de Venetiis qui per ducem consilium et commune predictos cum multitudine armatorum hostiliter contra civitatem ipsam accesserat eandem ingrediens et occupare dampnabili temeritate presumens illam ipse Iohannes aliquandiu et demum nonnulli alii pro dictis duce consilio et communi, licet nullum eis ius competeret in eadem, in apostolice sedis et nostram contumeliam et contemptum violenter detinuerant indebite occupatam, quamvis de voluntate civium predictorum in dicta civitate prefati nuntii morarentur et partem palatii civitatis tenerent eiusdem dictique cives in nostra et ipsius ecclesie fidelitate sicut benedictionis filii stabiliter persisterent et ferventer, et quod demum nos illius summi pastoris exemplo qui ad gregis sui caulam propriis umeris perditam ovem reduxerat, volentes eosdem ducem consilium et commune mansuetudinis apostolice veritate ad matris ecclesie ovile reducere et a via mala viros impios revocare ac exortationis paterne funiculo a casu retrahere, ne irreparabili collapsu deciderent et perirent sine spe aliqua resurgendi eosdem ducem consilium et commune per nostras sub certa forma litteras rogandos et monendos

FUNDACIÓ NOGUERA

duxeramus attentius et eciam exhortandos eis per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, ut ab huiusmodi molestiis inpugnationibus iniuriis violentiis et dampnis cessarent omnino, et a similibus deinceps abstinentes castrum seu fortelicium et pontem predicta et quelibet alia bona que dictam civitatem Ferrariensem quomodolibet contingebant prefatis capellanis et nuntiis aut ipsorum alteri vel aliis pro eisdem revocatis ut predicitur omnibus per quos illa faciebant ut premittitur detineri vacua libera et expedita penitus infra certum dierum spacium totaliter dimitterent, nullam super illis nobis et eidem ecclesie ac prefatis nuntiis molestiam illaturi, quinimo civitatis comitatus territorii et districtus ac castri seu fortelicii burgi pontis et turris predictorum obice impedimenti remoto cuiuslibet eosdem nuntios permitterent nostro et ecclesie prefate nomine pacifica et quieta possessione gaudere, quodque oculis ducis consilii et comunis predictorum caligine iniquitatis ne respicerent veritatem obtectis eisque precibus monitis et mandatis huiusmodi acquiescere temeritate dampnabili contempnentibus. Nos in die cene domini proximo preterito non absque amaricatione cordinis et animi certos processus feceramus et habueramus eciam contra eos diversas sententias et penas varias continentes et inter alias penas in processibus ipsis inflictas eisdem bona ipsorum mobilia et immobilia duxeramus de fratrum nostrorum consilio confiscanda et personas ducis consiliariorum et aliorum Venetorum predictorum necnon et eadem bona mobilia exposueramus fidelibus capienda et eciam occupanda, bonorum vero immobilium eorundem que dicti dux consilium et commune et singulares persone Venetorum ipsorum Venetiis et in Romanie et quibuscunque aliis partibus obtinebant, dispositione et ordinatione nobis et nostris successoribus specialiter reservatis, prout in eisdem processibus quos tibi sub bulla nostra duximus destinandos plenius continetur. Et quia dux consilium et commune prefati non propter hoc penitudine ductos non corde contritos non humiliatos spiritu, non mente placabiles nec se devotos animis exhibentes, sed sue currum elationis in fastu ascendentes pestifero contra dictam civitatem insultibus renovatis illam obsidionibus artabant durissimis similibus machinis et aliis messilibus lacerabant et ipsam dictumque comitatum territorium et districtum per torrentes et inundationes aquarum per illos eorum pravis operibus defluentes enormiter dissipabant depopulationibus vastabant hostilibus et alias Pharaonis malitiam qui sacerdotum possessiones et bona in pristina libertate dimisit, servituti subiectis omnibus aliis, superantes ad exterminium civitatis eiusdem suas exercebant vires illamque suo nitebantur dominio dolosis conatibus subiugare. Populum autem civitatis eiusdem qui transibant simpliciter in bellum converterant desuper palleum substulerant tunicam, populi mulieres ipsius de

FUNDACIÓ NOGUERA

domibus eiecerant, delitiarum suarum a parvulis enim ipsarum, matris ecclesie laudem subtraxerant dicentes ite quia hic requiem non habetis. Nos considerantes attentius quod dicti Veneti propter inmundiciam peccatorum et iniquitatum huiusmodi corrumpi putredine pessima et cum Dathan et Abiron premia maledictionis meruerant, contra ipsos per dilectum filium nostrum Arnaldum sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem apostolice sedis legatum proponi mandaveramus per partes Italie, de quibus sibi videretur expediens verbum crucis, et nichilominus intendentes ut dux et consilium et commune prefati dictarum deflerent acerbitatem penarum, te affectu paterno per supradictas litteras rogasse recolimus, ut omnes et singulos ex dictis Venetis eorumque bona mobilia, qui et que infra limites regni tui et in terris ac locis aliis tue dicioni subiectis quomodolibet consistebant, absque dilacione capi faceres et alias processus et sententias supradictos in eisdem regno et terris inviolabiliter observari. Cum itaque inter cetera desiderabilia mentis nostre huiusmodi negotium cordi nobis existat, dubitantes ne propter viarum pericula et alia impedimenta que potuerunt occurrere, nuntii nostri ad te cum eisdem litteris destinati ad presentiam regiam potuerint pervenisse, premissa omnia tibi tenore presentium duximus repetenda, magnitudinem regiam paterno rogantes et hortantes affectu, quatinus pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia ad captionem personarum et bonorum videlicet mobilium Venetorum predictorum presertim in regno et terris predictis consistentium procedas sollicite et alias processus ipsos facias in regno et terris eisdem firmiter observari iuxta predictarum tibi directarum apostolicarum continentiam litterarum. Speramus enim dilectissime fili quod tu sicut benedictionis alumpnus tam atrocem iniuriam ipsius ecclesie matris tue propriam reputabis, sicque ipsa tua pertinget precordia, quod ad ulciscendam illam zelus devotionis et debitum reverentie filialis tuos accendet et inflammabit affectus et manifestis demonstrabis indiciis, te gravibus confossum vulneribus, cum huiusmodi apostolicis precibus et horationibus devote susceptis, illa te operante solicite sortietur effectum debitum, quem desiderabiliter expectamus. Ex hoc enim letificabis multipliciter intima cordis nostri ac nos et prefatam ecclesiam constitues ad tui status exaltationem magnificam sollicitis studiis promptiores. Non enim nostre intentionis extitit nec existit, quod per ea que tibi scribimus per presentes vel per quevis alia, que tibi circa premissa per alias nostras litteras duxerimus intimanda ad bona immobilia quondam ducis et communis predictorum vel singularium personarum eiusdem terre Veneciarum, quorum dispositionem nobis et sedi apostolice duximus specialiter reservandam, extendas quousque per nos tibi fuerit aliud intimatum aliquatenus manus tuas, cum circa pre-

FUNDACIÓ NOGUERA

dictorum dispositionem bonorum non intendimus quo adpresens aliquid immutare. Ceterum ne dicti Veneti fiant in sua nequitia fortiores, portus regni et terrarum predictarum per aliquos fideles viros ad hoc per te specialiter deputandos sic diligenter facias custodiri, quod de ipsis regno et terris victualia vel mercationes seu mercimonia quelibet ad terram Venetiarum deferre non valeant supradictam.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quarto.

660

1309 juliol 11, Avinyó

Climent V reserva Pere Comte, clergue de la diòcesi de Girona, familiar de l'abat Arnau del monestir de Fontfreda de l'orde del Cister, diòcesi de Narbona, i vicecanceller de la cúria papal, el pròxim benefici vacant del monestir de Solsona de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-196.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 190, doc. 4322.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Petro Comitis clerico Gerundensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Ad illorum provisionem libenter dexteram nostre liberalitatis extendimus, quibus ad id non solum propria merita sed alias etiam condigna precamina suffragantur. Cum itaque dilectus filius .. prepositus monasterii Celsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis nuper nobis per suas litteras humiliter supplicarit, ut providere tibi de aliquo beneficio ad suam collationem vel presentationem spectante de benignitate apostolica dignaremur. Nos tue probitatis exigentibus meritis, super quibus laudabile tibi testimonium perhibetur ac huiusmodi dicti prepositi precum obtentu necnon et consideratione dilecti filii Arnaldi abbatis monasterii Fontisfrigidi Cisterciensis ordinis Narbonensis diocesis sancte Romane ecclesie vicecancellarii pro te familiari suo nobis super hoc humiliter supplicantis volentes gratiam tibi facere specialem beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura nulli alii de iure debitum ad ipsius prepositi collationem vel presentationem pertinens quod per te vel procuratorem tuum ad hoc a te specialiter constitutum infra unius mensis spatium postquam tibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, siquod ubicunque vacat adpresens vel proximo vacaturum conferendum tibi donationi apostolice reservamus districtius inhibentes eidem preposito, ne de huiusmodi beneficio etiam ante acceptationem huiusmodi nisi postquam ei constiterit, quod tu vel

FUNDACIÓ NOGUERA

procurator predictus illud nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumat, ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesie, in qua huiusmodi beneficium fuerit iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacumque alia firmitate vallatis seu si aliqui super provisione sibi facienda de beneficiis ecclesiasticis ad ipsius prepositi collationem vel aliam dispositionem spectantibus dicte sedis quibus per hoc nullum volumus preiudicium generari vel legatorum eis litteras impetrarint aut si dicto preposito vel personis ipsius ecclesie in qua tibi provideri contigerit aut quibuscunque aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint vel quod de beneficiis ecclesiasticis ad predicti prepositi collationem vel quamcunque aliam dispositionem spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore debeat in nostris litteris fieri mentio specialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis reservationis inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, v Idus Iulii, pontificatus nostri Anno Quarto.

661

1309 juliol 11, Avinyó

Climent V mana al mestre Bernat Roiard, ardiaca de Saintes i capellà papal, al degà de l'església de Barcelona i al prepòsit de l'església de Tarragona atorgar un benefici vacant, amb cura o sense cura d'ànimes, del monestir de Solsona de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell, al clergue Pere Comte de la diòcesi de Girona, familiar de l'abat Arnau del monestir de Fontfreda de l'orde del Cister, diòcesi de Narbona, i vicecanceller de la cúria papal.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 195.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis magistro Bernardo Roiardi archidiacono Xanctonensis capellano nostro et .. decano Barchinonensis ac .. preposito Terraconensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Ad illorum provisionem libenter dexteram nostre liberalitatis extendimus, quibus ad id non solum propria merita sed alias etiam condigna precamina suffragantur. Cum itaque dilectus filius .. prepositus monasterii Celsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis nuper nobis per suas litteras humiliter supplicarit, ut providere dilecto filio Petro Comitis clerico Gerundensis diocesis de aliquo beneficio ad suam collationem vel presentationem spectante de benignitate apostolica dignaremur. Nos probitatis dicti Petri exigentibus meritis, super quibus laudabile sibi testimonium perhibetur ac huiusmodi dicti prepositi precum obtentu necnon et consideratio dilecti filii Arnaldi abbatis monasterii Fontisfrigidi Cisterciensis ordinis Narbonensis diocesis sancte Romane ecclesie vicecancellarii pro eodem Petro familiari suo nobis super hoc humiliter supplicantis volentes sibi gratiam facere specialem beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura nulli alii de iure debitum ad ipsius prepositi collationem vel presentationem pertinens quod dictus Petrus per se vel procuratorem suum ad hoc a dicto Petro specialiter constitutum infra unius mensis spatium postquam ipsi Petro vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandum, siquod ubicunque tunc vacabat vel proximo vacaturum conferendum dicto Petro donationi apostolice reservavimus districtius inhibentes eidem preposito, ne de huiusmodi beneficio etiam ante acceptationem huiusmodi nisi postquam ei constiterit, quod dictus Petrus vel procurator predictus illud noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumeret, ac decernentes extunc irritum et inane, si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis ecclesie in qua huiusmodi beneficium fuerit iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacunque alia firmitate vallatis seu si aliqui super provisione sibi facienda de beneficiis ecclesiasticis ad ipsius prepositi collationem vel aliam dispositionem spectantibus dicte sedis quibus per hoc nullum volumus preiudicium generari vel legatorum eis litteras impetrarint, aut si dicto preposito vel personis ipsius ecclesie in qua dicto Petro provideri contigerit aut quibuscunque aliis communiter vel divisim ab eadem esset sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime tenerentur et ad id compelli non possent vel quod de beneficiis ecclesiasticis ad predicti prepositi collationem vel quamcunque aliam dispositionem spectantibus nulli provideri valeret per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi

FUNDACIÓ NOGUERA

mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existeret, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeret quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore deberet in eisdem nostris litteris fieri mencio specialis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios huiusmodi beneficium per nos ut premittitur reservatum si tempore huiusmodi nostre reservationis vacabat vel extunc vacavit vel cum vacaverit, dicto Petro prout huiusmodi acceptationem cum iuribus et pertinentiis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes ipsum vel procuratorem predictum eius nomine in corporalem possessionem beneficii iurium et pertinentiarum predictorum et defendentes inductum ac facientes ei de ipsius beneficii fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis aut si dictis preposito et personis vel aliquibus aliis ab eadem sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, V Idus Iulii, pontificatus nostri Anno Quarto.

662

1309 agost 8, Avinyó

Climent V requereix i exhorta el rei Jaume II d'Aragó que traslladi des de les seves presons a les del rei Jaume III de Mallorca fra Ramon de Guàrdia, mestre de l'orde del Temple de Masdéu, diòcesi d'Elna, i administrador dels seus béns.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 14.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 182, doc. 345.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 55, doc. 4984.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus fratrem Raymundum de Guardia preceptorem domus Mansi dei ordinis Militie Templi Elenensis diocesis, qui olim tempore captionis fratrum dicti ordinis in regno tuo inventorum in eodem regno, ad quod tunc accesserat, inventus et captus extitit, cum eisdem teneas iuxta nostrum et apostolice sedis mandatum carcerali

FUNDACIÓ NOGUERA

custodie mancipatum. Nos quia idem frater Raymundus in dominio carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris administrationem huiusmodi obtinebat, volentes supplicationibus nobis ex parte ipsius regis Maioricarum porrectas annuere in hac parte, et intendentes ut ipse frater Raymundus una cum aliis fratribus dicti ordinis in carcere dicti regis Maioricarum existentibus teneatur, serenitatem tuam requirimus et hortamur attente, quatinus eundem fratrem Raymundum ad predictum regem seu carcerem eius sub tuta et fida custodia sine difficultatis vel tarditatis obstaculo destinare procures. Nos enim eidem regi Maioricarum per alias nostras scribimus litteras, ut predictum fratrem Raymundum cum illum sibi destinaveris recipi faciat et in carcere suo sicut alios fratres dicti ordinis detentos inibi custodiri.

Dat. Avinione, VI Idus Augusti, pontificatus nostri anno Quarto.

663

1309 setembre 11, Avinyó

Climent V faculta el bisbe de València (Ramon Despont) per anul·lar o commutar vots, excepte el de castedat en els religiosos i el de pelegrinatge a Jerusalem, a aquells que ajudin el rei Jaume II d'Aragó en la croada contra els sarraïns del regne de Granada.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 15.
a Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 245, doc. 4524.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 182, doc. 346.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos olim tibi super predicatione et concessione crucis contra Sarracenos regni Granate nostras certi tenoris litteras duxerimus dirigendas, cupientes ut negotium huiusmodi quod carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris assumpsit et prosequitur viriliter et potenter, ad felicem exitum deducatur ac gerentes de circumspectione tua fiduciam in domino spetialem, fraternitati tue commutandi huiusmodi negotii prosecutione durante vota illorum qui ad expugnationem dictorum Sarracenorum in propriis personis accesserint vel ydoneos miserint bellatores seu de bonis eorum ad id iuxta suarum exigentiam facultatum competens subsidium erogarint, votis continentie religionis et Ierosolimitanibus dumtaxat exceptis in accessionem missionem vel erogationem huiusmodi aut alia opera pietatis prout animarum

FUNDACIÓ NOGUERA

suarum saluti videris expedire liberam et plenam concedimus tenore presentium facultatem.

Dat. Avinione, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno Quarto.

664

1309 setembre 11, Avinyó

Climent V faculta el bisbe de València (Ramon Despont) a absoldre mitjançant ell mateix o confessors idonis seus els croats de Granada i els seus benefactors, excepte en cas d'assassinat de clergues o captura de prelats.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 16.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 244, doc. 4521.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 183, doc. 347.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 56, doc. 4988.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos olim tibi super predicatione et concessione crucis contra Sarracenos regni Granate nostras certi tenoris litteras duxerimus dirigendas, cupientes ut negotium huiusmodi quod carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris assumpsit et prosequitur viriliter et potenter, ad felicem exitum deducatur ac gerentes de circumspectione tua fiduciam in domino spetialem, fraternitati tue audiendi per te vel alium seu alios sacerdotes ydoneos quem vel quos ad hoc duxeris deputandos dum in exercitu regis fueris antedicti confessiones eorum qui peccata sua voluerint confiteri ac iniungendi eis undecumque fuerint pro modo culpe penitentiam salutarem et absolutionis etiam beneficium impendendi occisoribus clericorum et captoribus prelatorum dumtaxat exceptis liberam et plenam concedimus tenore presentium facultatem.

Dat. Avinione, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno Quarto.

665

1309 setembre 11, Avinyó

Climent V faculta el bisbe de València (Ramon Despont) a absoldre mitjançant ell mateix o confessors idonis seus els croats de Granada i els seus benefactors de l'excomunió contreta per persecució violenta a persones del clergat sense conseqüències de mort.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 17.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 243-244, doc. 4519.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 183, doc. 348.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 56, doc. 4989.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino salutem et apostolicam benedictionem. Devotas laudes altissimo referimus creatori, quod carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris negocium per eum assumptum contra Sarracenos regni Granate victoriose prosequitur et potenter et iam civitatem Almarie in regno consistentem predicto, sicut veridica relatione didicimus, cum suo exercitu detinet sic obsessam, quod eam in brevi speratur divina sibi assistente clementia obtinere. Cum autem nos olim tibi super predicatione et concessione crucis contra Sarracenos eosdem nostras certi tenoris litteras duxerimus dirigendas, cupientes ut negotium ipsum de bono semper in melius prosperetur et ad felicem ducatur exitum ad exaltationem fidei christiane ac gerentes de circumspectione tua fiduciam in domino specialem, fraternitati tue absolvendi per te vel alium seu alios iuxta formam ecclesie omnes illos, qui ad expugnationem dictorum Sarracenorum eiusdem regni in propriis personis accesserint vel ydoneos miserint bellatores ac illos etiam qui ad hec de bonis a deo sibi collatis iuxta suarum exigentiam facultatum congruum subsidium erogarint, ab excommunicationis sententia a canone promulgata, si eam forsan incurrerint pro violenta manuum iniectione in clericos canonicos et cuiuslibet religionis conversos, dummodo exinde mors non fuerit subsecuta, ipsique manuum iniectores passis iniuriam satisfecerint competenter, plenam concedimus tenore presentium facultatem.

Dat. Avinione, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno Quarto.

666

1309 setembre 11, Avinyó

Climent V mana al bisbe de València (Ramon Despont) que un cop erigida l'església d'Almeria, ciutat del regne de Granada, a punt d'ésser conquerida pel rei Jaume II d'Aragó als sarraïns, nomeni la canònica, el bisbe i consagri qui aquella elegeixi.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 18.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 253, doc. 4556.

FUNDACIÓ NOGUERA

c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 183-184, doc. 349.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino salutem et apostolicam benedictionem. Supra gregem dominicum superni dispositione pastoris licet insufficientibus meritis constituti ad ea ferventibus aspiramus affectibus nostrosque precipue dirigimus cogitatus ex quibus religio fidei christiane fructificet ac divini nominis cultus nostris presertim temporibus augeatur. Dudum siquidem tibi super predicatione et concessione crucis contra Sarracenos de regno Granate ad quorum expugnationem carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris victoriose procedit nostras certi tenoris litteras duximus dirigendas. Idemque rex huiusmodi assumens negotium illud tanquam athleta Christi prosequitur et iam sicut veridica relatione didicimus civitatem Almarie in regno consistentem predicto cum suo exercitu detinet sic obsessam, quod eam speratur in brevi dextera domini sibi assistente propitia obtinere, in qua rex ipse proponit ecclesiam erigi cathedralem. Nos igitur ad ordinationem dicte ecclesie inibi erigende paternis studiis intendentes ac gerentes de circumspectione tua fiduciam in domino specialem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus in eadem ecclesia postquam erecta fuerit hac vice aliquos ydoneos de quibus tibi videbitur creare canonicos quibus liceat episcopum Almariensem eligere secundum canonicas sanctiones auctoritate nostra procures, ac electionem huiusmodi hac vice si per eos de persona ydonea canonice fuerit celebrata eadem auctoritate confirmans ipsi electo munus consecrationis ascitis et in hoc tibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis episcopis vicinarum partium gratiam et communionem apostolice sedis habentibus non differas impertiri, recepturus postmodum ab eodem nostro et ecclesie Romane nomine iuxta formam quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam fidelitatis debite solitum iuramentum. Forma autem iuramenti quod ipse prestabit, nobis per suas patentes litteras eius sigillo signatas per proprium nuntium quantotius destinare procures.

Dat. Avinione, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno Quarto.

667

1309 setembre 11, Avinyó

Climent V faculta el bisbe de València (Ramon Despont) perquè un cop conquerida la ciutat Almeria, ell o un bisbe elegit per ell, governi la ciutat i diòcesi fins a la provisió definitiva de la seu.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 19.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 244-245, doc. 4523.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 184, doc. 350.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 57, doc. 4990.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino salutem et apostolicam benedictionem. Dudum tibi super predicatione et concessione crucis contra Sarracenos regni Granate ad quorum expugnationem carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris tamquam athleta Christi se tunc viriliter accingebat nostras certi tenoris litteras duximus dirigendas. Cum autem rex ipse huiusmodi negotii tamquam felici progressu prosecutus fuerit et iugiter prosequatur iamque civitatem Almarie in regno consistentem predicto prout veridica relatione didicimus cum exercitu suo detineat sic obsessam quod eam speratur in brevi divina sibi favente clementis obtinere, nos nolentes quod Christi fideles ipsius incole civitatis et eius diocesis postquam ad manus christianorum devenerint ob carentiam presulis cum nondum sit ibi episcopus ordinatus defectum in spiritualibus patiantur, fraternitati tue de cuius circumspectione fiduciam gerimus in domino spetialem exercendi postmodum in civitate et diocesi predictis per te vel alium catholicum antistitem gratiam et communionem apostolice sedis habentem quem ad hoc duxeris deputandum donec ecclesie Almariensis inibi erigende fuerit de pastore provisum omnia que ad pontificale officium pertinent ac ministrandi per te vel alium seu alios interim in dictis civitate et diocesi cetera ecclesiastica sacramenta plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem.

Dat. Avinione, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno Quarto.

668

1309 setembre 13, Avinyó

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, perquè continuï la conquesta contra els sarraïns subjectes al regne de Granada. Lloa la recuperació de Ferrara amb el castell de Tedaldi, la torre i el pont sobre el riu Po, a més de totes aquelles coses conservades pels venecians.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 20.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 206-207, doc. 96 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 184, doc. 351.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 57, doc. 4992.

NOGUERA

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gloria laus et honor sit redemptori piissimo, qui tecum misericordiam suam faciens copiose nationem perversam Sarracenos videlicet .. regi Granate subiectos, hostes catholice fidei, cum quibus una cum tuo exercitu venisse dinosceris ad conflictum, triumpho mirifico divine potentie fultus auxilio superasti. De quibus cuiusdam filius et multa milia ex natione predicta, sicut nobis per tuas litteras et nuntium earum portitorem, quas cum multa mentis alacritate recepimus, intimasti, in eodem conflictu gladio ceciderunt. Ex triumpho quidem huiusmodi in laudis iubilium exultat altissimo mater ecclesia et dominum deum nostrum anima nostra magnificat sibique plenitudinem gratiarum exoluit, quod te filium benedictionis habentes sic alliceris ductus beate considerationis spiritu ad obsequia salvatoris quod sicut felicium operum indicia manifestant tibi delectabile reputes exponere in ipsorum prosecutione personam et laborum subire multiplicium gravitatem. Ideoque dilectissime fili quesumus tuamque celsitudinem rogamus et hortamur in illo cui regna terre decantant et psallunt, quatinus victoriam huiusmodi ab eo qui regibus dat salutem in humilitatis spiritu, recognoscens ut facis prout tue littere continebant contra predictos hostes in nomine domini, cuius agitur in hac parte negotium, strenua magnanimitate procedas, ut ipsos prout incepisti tanquam pugil victoriosus altissimi persequi non desistas. Speramus enim quod dextera domini tecum faciente virtutem de hostibus ipsis ad divini nominis laudem et gloriam et exaltationem ipsius catholice fidei triumphabis. Nos enim devotis partibus exoramus altissimum, ut personam regiam ac eius exercitum a feritate predictorum hostium incolumes sua pietate custodiat, sicque feliciter tuos actus dirigat et processus quod ex illis palmites memorate fidei ad sui glorificationem honoris amplis spatiis dilatentur tibique ab ipso in regno celesti corona immarcescibilis glorie preparetur. Preterea carissime fili quia sicut veris colligimus argumentis persone nostre statum incolumem te multipliciter delectat audire tueque mentis precordia in ecclesie predicte votivis successibus, cum ad regiam notitiam perferuntur, recreationis augmenta suscipiunt tibi ad gaudium duximus intimandum, quod illo faciente qui potest plena vigemus corporis sospitate quodque negotium civitatis nostre Ferrariensis sic prospere immo quasi miraculose continue celestis consilii altitudo direxit, quod Venetorum stolidorum nephanda superbia, qui civitatem ipsam eorum conabantur dominio perversis conatibus subiugare, depressa dei potentia nostro exercitu mediante civitatem predictam, castrum nostrum Thedaldi eidem civitati contiguum, pontem supra flumen Padi, quod iuxta ipsam defluit civitatem, ac turrim iuxta pontem ipsum necnon omnia, que in terra

FUNDACIÓ NOGUERA

versus Ferrariam per eosdem Venetos detinebantur nequiter contra iustitiam occupata, hiis diebus recuperata de manibus eorundem sicut alie civitates et terre nostre et ecclesie supradicte retinentur et gubernantur ad nostrum et ipsius ecclesie beneplacitum et mandatum. Verum ut super premissis tue magnitudini veritas clarius innotescat, ecce quod transumptum quarundam litterarum nostro apostolatui iam est diu et aliarum nobis et .. camerario nostro super predicto negotio transmissarum, quas die Mercurii tercio presentis mensis Septembris recepimus et aliarum, que in vigilia nativitatis beate Marie virginis proxime preterita tarda hora de sero noctis, in terra tenebris iam diffusis, dum sompni quietem capere volebamus, super recuperatione castri pontis et turris predictorum ac pluribus aliis nobis presentate fuerunt, tibi mittimus presentibus interclusum.

Dat. Avinione, Idus Septembris, pontificatus nostri anno Quarto.

669

1309 novembre 4, Groseau (Malaucena)

Climent V dóna comptes al rei Jaume II d'Aragó sobre el resultat de les peticions dels seus legats fra Pere de l'orde dels predicadors i el cavaller Fortuny Martí. Han estat desestimades la del subsidi de la Seu Apostòlica per continuar la guerra de Granada, atès que ha quedat exhaust l'erari del papa amb motiu de la conquesta de Ferrara i dels dispendis a Terra Santa i Xipre; la de la dècima duplicada, perquè no ha estat mai donada per l'Església ni en la croada contra Frederic II de Sicília ni en la recuperació del cos de Sant Lluís en poder dels orientals; i la que sigui nomenat penitenciari seu, càrrec vacant per l'òbit de fra Pere, un successor originari de la seva terra, perquè ha estat ja elegit fra Domènec, carmelità, natural dels seus dominis. En canvi, li concedeix les mateixes indulgències que foren donades per a Terra Santa al mestre i religiosos hospitalers de Granada; l'absolució en els seus regnes de les censures pel comerç il·lícit de queviures i armes amb els sarraïns; l'indulgència plenària a aquells que prenguin part a la croada de Granada, personalment o amb subsidis. Finalment, li comunica que el castell de Marcamò, construït pels venecians prop de Ferrara, fou guanyat per les tropes de la Santa Seu.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 21.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 207-211, doc. 97.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 185-186, doc. 352.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 58, doc. 4996.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Spiritus timoris et amoris domini de superne gratia pietatis tuis precordiis se infundens te viam salutis edocuit et mandatorum suorum semitam qua progrederis erudivit, dum ad exaltationem catholice fidei ferventer intendis et ad extirpandum inimicos eiusdem convertis desideria mentis tue, propter quod personam tuam gerentes in visceribus caritatis multipliciter exultamus in animo cum per tuorum relationem fidelium commemoratur in nostris conspectibus nomen tuum. Sane carissime fili venientes ad presentiam nostram dilectos filios fratrem Petrum ordinis Predicatorum et Fortunium Martini militem nuntios tuos ipsos et litteras nobis per eos ex parte regia presentatas consideratione mittentis affectione paterna recepimus inter cetera continentes, quod super hiis, que iidem nuntii pro parte tue celsitudinis exponerent coram nobis, fidem eis adhibere plenariam dignaremur. A nobis igitur eis audientia benigne concessa predicti nuntii pecuniarium subsidium exhibendum tibi de nostra camera in prosecutione negotii regni Granate, quod laudabiliter assumpsisti, inter cetera cum instantia postularunt, ad quod eis sicut alias primis tuis nuntiis propter hoc ad nostram presentiam destinatis duximus respondendum, videlicet quod propter multa profluvia expensarum, quas pro defensione terrarum ecclesie, quas Venetorum nephanda temeritas iam pro magna parte occupaverat violenter, necnon et passagio, quod per dilectos filios .. magistrum et fratres Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani feceramus in subsidium Terre sancte ad preparationem passagii generalis, ad quod nostra suspirat intentio, defensione quoque regni Cipri et aliarum terrarum, quas adhuc tenent in partibus illis fidei predicte cultores, et ne perversi christiani, sicut usque nunc fecerant, deferrent arma et victualia Sarracenis et pro dictis inimicis fidei impugnandis adeo camere nostre erat exaustum erarium, quod de huiusmodi subsidio, quod tibi sicut novit ille, qui nichil ignorat, exhiberemus liberaliter et libenter, non poteramus aliquatenus subvenire. Petiverunt insuper nuntii memorati, quod tibi ut homines ecclesiarum regni tui ad exercitum contra dictos inimicos fidei habere posses et ducere necnon per illud tempus, per quod simplicem tibi duxeramus decimam concedendam, duplicatam de novo decimam et nichilominus, quod similes indulgentias magistro et fratribus supradictis in dicte terre subsidium per nos in passagio memorato concessas in negotio acquisitionis regni predicti concedere dignaremur. Nos vero cum fratribus nostris, qui presentes erant nobiscum, et aliis qui Avinione tunc temporis morabantur, super petitis per ipsos nuntios consilio et deliberatione prehabitis, quasi nullorum fuit ex eisdem consilium, quod ultra ea concederemus tibi, que alias tue celsitudini concessa

FUNDACIÓ NOGUERA

fuerant in negotio memorato. Verumtamen necessitates multiplices, quas tibi pro dicto negotio credimus imminere, paterna consideratione pensantes, deliberavimus et nuntiis obtulimus memoratis, prelatos regni et terrarum tuarum per litteras apostolicas per nostros eis speciales nuntios deferendas rogare cum instantia et efficaciter exhortari, quod de bonis eorum ac suarum et aliarum eis subiectarum ecclesiarum necnon et hominum subiectorum eisdem tale tibi subsidium exhiberent, quod posses merito contentari ac tibi exinde et statui tuo periculum non posset aliquod evenire. Sperantes quod cum a nobis preces alique ad prelatos non emanassent eosdem, ipsi huiusmodi precum nostrarum primitias sic libenter et devote succiperent, quod tibi ex eis maximi fructus commodum, quam si predictarum supplicationum duas concessissemus, proveniret. Et licet passagio, quod dicti magister et fratres prosequi dinoscuntur, per concessionem a nobis faciendam de similibus indulgentiis, quas eisdem concessimus, non modicum detrahatur, illas tamen tuis in hac parte satisfacere volentes affectibus tibi duximus concedendas. Super petita duplicata decima tibi, prout eis fecimus, respondemus, quod nunquam habetur memoria, quod pro subsidio terre sancte pro persecutionis tyrampnide, quam olim Fredericus dum viveret contra Romanam ecclesiam exercebat, seu pro redemptione beati Ludovici dum a gentibus nationis perverse detinebatur carceribus in ipsis partibus eiusdem terre sancte, aut quovis alio negotio, quantumcunque ecclesiam predictam urgeret, talis cuiquam concessa decima extitisset. Diximus tamen eis, quod cum finis concessionis eiusdem decime contigerit imminere, de ipsa decima pro tempore, quo nobis videretur expediens, tibi inceptum negotium prosequenti intendebamus libentius gratiam elargiri. Super eo vero, quod etiam supplicarunt, quod aliquem oriundum de terra tua loco olim fratris Petri penitentiarii nostri in penitentiarium admittere dignaremur, respondimus eis, quod cum frater Dominicus ordinis sancte Marie de Monte Carmeli de tuo dominio oriundus iam fuisset in loco huiusmodi subrogatus, non poteramus super hoc satisfacere votis tuis. Ceterum carissimus in Christo filius noster Robertus rex Sicilie illustris tunc presens nobiscum tangens vias huiusmodi videlicet, quod omnes penas quas iuxta constitutiones apostolice sedis homines regni et terrarum predictorum mittendo aut deferendo victualia arma et alia prohibita Sarracenis incurrerant, ex concessione nostra posses habere, nos volentes in hiis et aliis, quantum cum deo possumus, satisfacere votis tuis, tibi easdem penas hac vice concessimus gratiose. Tu autem constitutiones huiusmodi in regno et terris tuis taliter in futurum facias observari, quod sit gratum altissimo, ac proinde nostram et apostolice sedis gratiam uberius valeas promereri. Et nichilominus votum illud, videlicet quod illi qui in propriis expensis aut mittendo

FUNDACIÓ NOGUERA

alium vel alios ad predictum exercitum loco sui et morando ibidem per certum tempus litteris apostolicis denotatum, concessa erat indulgentia peccatorum, in hunc modum duximus commutandum, scilicet quod ipsi exhibendo tibi tantam pecunie summam, quantam expenderent eundo vel mittendo alium seu alios ad exercitum supradictum et per dictum tempus in eodem exercitu commorando vel illam, de qua tecum poterunt convenire, easdem indulgentias assequantur, sed nuntii memorati, nedum quod responsiones et concessiones nostras huiusmodi cum devotione susciperent, verum etiam satis irreverenter et in verba gravia temerarie prorumpentes a nostra presentia recesserunt, super quo scire te volumus, quod nisi ad honorem tuum habuisset consideratio nostra respectum, taliter correxissemus eosdem, quod fuisset ceteris in exemplum. Et quia tue salutis augmentum et honoris incrementa magnifica concupimus, quesumus et magnificentiam regiam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus bellum domini prout incepisti strenue prelians sic contra barbaras nationes procedas viriliter, sic in extirpandis illis iniuriam vindices salvatoris, quod ipse qui bene servientibus multa maiora retribuat, quam valeant promereri, adaugeat in benedictionibus dies tuos nomenque tuum magnificet felicibus incrementis et post vite presentis excursum tibi coronam glorie preparet in excelsis. Preterea quia sine dubitatione tenemus, quod in honore ipsius matris ecclesie delectaris, tibi significamus ad gaudium, quod in manibus exercitus nostri castrum vocatum de Marcamo, quod Venetorum detestanda superbia in territorio eiusdem ecclesie olim construxerat violenter, divini iudicii virga conclusit, prout in transumpto quarundam litterarum nobis et aliarum dilecto filio Raymundo sancte Marie Nove diacono cardinali et .. camerario nostris transmissarum de partibus illis, quod tibi mittimus presentibus interclusum, tua celsitudo poterit intueri.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, II Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Quarto.

670

1309 novembre 12, Groseau (Malaucena)

Climent V prega a l'arquebisbe de Tarragona (Guillem de Rocabertí) i als bisbes dels regnes d'Aragó, València i comtat de Barcelona, terres del rei Jaume II, excepte Sardenya i Còrsega, i els exhorta, que tots els seus sacerdots quan escoltin les confessions i durant les seves predicacions recomanin als fidels subsidis per la croada del regne de Granada i resin en la santa missa l'oració "contra paganorum perfidiam".

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 22.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 471-473, doc. 5093.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 186, doc. 353.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 58-59, doc. 4997.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Terraconensi et universis .. episcopis per regnum Aragonie et Valentie, comitatum Barchinonie ceterasque terras carissimi in Christo filii nostri Iacobi Aragonie Valentie Sardinie et Corsie regis illustris constitutis regno Sardinie et Corsie eiusque terris dumtaxat exceptis salutem et apostolicam benedictionem. Indesinentis cure velut totius dominici gregis pastor sollicitudine premimur et assidue meditationis excitamur instantia cunctique renati fonte baptismatis, quos Christus proprii sanguinis aspersione redemit, debent nedum aspirare ferventer, sed potenter et devote consurgere ac efficaciter operationes exponere ad extirpandas ubilibet Sarracenorum fetidas nationes, quibus patria celestis offenditur, christianus populus vexatur angustiis et fidei claritas impugnatur, ut eorum abhominatione propulsa et feritate nepharia extirpata, fidelium limites et prefate cultus fidei dilatentur. Sane carissimus in Christo filius noster Iacobus Aragonie Valentie Sardinie et Corsie rex illustris actus suos in eterni regis beneplacito dirigens tanquam Christi pugil et athleta inclitus fidei orthodoxe ad acquisitionem regni Granate ac evellendum de illo hostes impios in christiani nominis inimicos, Sarracenorum videlicet habitantium, immo coinquinantium regnum ipsum sordidas nationes et in eo cultum divini nominis et fidelium limites dilatandum virtute tota desideranter aspirans, conflatis regalis potentie viribus in effectum, regnum ipsum in manu potenti et extenso brachio cum suo exercitu ad ipsorum confusionem hostium victoriosus intravit, ibique militans ad obsequia redemptoris, civitatem Almarie in regno consistentem predicto, multo nimirum robore stabilitam plenamque copiosa multitudine paganorum, obsessam per mare et terram sic fortiter coangustat, quod eam in brevi sicut veridica relatione didicimus, dextera sibi assistente dominica, obtinebit, ex qua cum sit ut fertur clavis et sera difficilis digni regni, preparabitur aditus, in spe fertili divine potentie ad extremum exterminium hostium eorundem, ad cuius promotionem negotii et ad regis eiusdem tam acceptum deo propositum confovendum tanto ferventius aspirare debent fidelium desideria singulorum, quanto per id eiusdem fidei tangitur generalis utilitas et ex regni conquisitione ipsius ac ipsorum exterminatione hostium deo et pulcritudini ecclesie catholice sponse sue immense laudis decor adveniet totaque christiana religio utilitatis et exaltationis grande

FUNDACIÓ NOGUERA

compendium auctore domino consequetur. Verum cum prosecutioni tanti negotii sit fidelium subsidium multipliciter oportunum. Nos ad huiusmodi tam pium fidei predicte negotium, immo Christi feliciter ipso auspice promovendum ferventibus desideriis intendentes, de animarum quoque salute solliciti, quamplurimum gratiarum et indulgentiarum beneficia copiosa fidelibus incolis regnorum et terrarum regis eiusdem, Sardinie et Corsie regno eiusque terris dumtaxat exceptis, qui dicto regi ad prosequendum negotium ipsum subvenerint, duximus concedenda. Ut autem tante salutis negotium tantique boni felix auspicium non desidiosa subventio prosequatur, volumus quod vos et singuli vestrum fideles quoslibet vestrarum civitatum et diocesium, cum vos confessiones eorum audire contigerit eisque proponere verbum dei, moneatis attentius et efficaciter inducatis et nichilominus omnes ecclesiasticas seculares et regulares personas exemptas et non exemptas vestrarum civitatum et diocesium confessiones audiendi et proponendi verbum dei potestatem habentes, iuxta datam vobis a deo prudentiam, studeatis efficaciter exhortari, quod fideles ipsos confitentes eisdem et sermones et predicationes audientes ipsorum solerter moneant et diligentius exhortentur, quod ipsi dum vixerint et demum tempore obitus eorundem grata caritatis subsidia dicto regi in auxilium eiusdem negotii studeant erogare. Nos enim ut negotium huiusmodi eo libentius prosequi studeatis, quos vos exhortatores ipsi in vestris laboribus potioris salutis fructum noveritis percepturos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, et illa quam nobis licet indignis deus ipse ligandi ac solvendi contulit potestatem, singulis vestrum et exhortantium predictorum vere penitentibus et confessis diebus singulis, quibus exhortationis huiusmodi exercebitis pium opus, unum annum de iniunctis vobis et eis penitentiis misericorditer relaxamus. Omnibus quoque Christi fidelibus, incolis videlicet memoratis subvenientibus dicto regi dictum negotium prosequenti, ut assumpsit viriliter et potenter, diebus Veneris maioris ebdomade pro eodem negotio in vigintiquatuor denariis parvorum Turonensium vel ipsorum valore vigintiquatuor annorum, illis vero qui aliis diebus Veneris duodecim denariorum subventionem prestabunt, duodecim annorum et eis qui aliis diebus de sex denariis monete predicte aut eorum valore ipsi regi impendent subsidium, sex annorum indulgentiam misericorditer elargimur, ita quod pro quolibet denario dato in subsidium antedictum iuxta ordinationem huiusmodi largitor ipse unius anni. Qui vero tantum noluerit vel nequiverit exhibere, sed dederit tantum obolum vel pictam iuxta huiusmodi quantitatem subsidii et devotionis affectum, eandem indulgentiam consequatur. Volumus autem quod predicta subsidia infra triennium largientes predic-

FUNDACIÓ NOGUERA

tas indulgentias assequantur. Concedimus enim quod omnes qui totum subsidium exhibebunt insimul uno die, quod singulariter singulis maioris ebdomade vel aliis Veneris et singulis diebus triennii memorati impensuri essent pro subsidio antedicto, totam illam indulgentiam prout eam per eosdem dies secundum magis et minus diverso modo concessimus, integre assequantur, quam assequerentur singulariter diebus singulis quibus huiusmodi subsidium exhiberent. Verum quia devote crebreque orationes fidelium aures divine pietatis inclinant et ipsarum interventione illius propiciatio facilius impetratur, vestre mentis aciem devotis affectibus ad conditoris omnipotentiam dirigatis et apud ipsius clementiam, ut ipse dictum regem suum utique bellatorem cum suis omnibus sue benigne clementie dextera protegat, sibique vires et virtutes adaugeat et corroboret contra paganicas nationes ac ad dictum negotium, ad ipsius omnipotentis gloriam et totius christianitatis honorem salubriter et prospere dirigendum clementer prospiciat, sedulis supplicationibus contrito et humiliato corde insistite, et presertim quotienscumque vos missarum officia celebrare contigerit, orationes contra paganorum perfidiam per ecclesiam ordinatas, quarum prima omnipotens sempiterne deus, secunda specialiter ad Secretam, Sacrificium domine et tercia dici post communionem precipue consueta, Protector, incipiunt, devotis mentibus effundatis et per singulas personas ecclesiasticas in sacerdotio constitutas vobis subiectas, pio cordis affectu dici in missarum earundem officiis faciatis. Omnibus insuper et singulis tam clericis quam laicis cuiuscumque dignitatis preheminentie ordinis conditionis vel status existant, sub interminatione maledictionis eterne districtius inhibemus, ne quempiam volentem quodvis subsidium eidem regi in dicto negotio exhibere, ab huiusmodi voluntate retrahere vel in quodvis aliud etiam pium opus commutare vel quominus huiusmodi largiatur subsidium verbo vel opere impedire presumat. Siquis vero contra nostram inhibitionem huiusmodi attemptare presumpserit eandem et apostolorum ipsorum ac nostram, a qua nullum absolvi volumus preterquam in mortis articulo, quousque exhibuerit duplum eiusdem subsidii, quod per impedimenti prestationem huiusmodi dicto negotio subtractum extiterit, se noverit incursurum. Ideoque fraternitatem vestram monemus et hortamur in filio dei patris vobis nichilominus in virtute obedientie districte precipiendo mandantes, quatinus tenorem et formam indulgentiarum huiusmodi predictis fidelibus eis proposito verbo dei singulis dominicis et festivis et aliis diebus de quibus expediens fuerit, in ecclesiis et locis vestrarum civitatum et diocesium in missarum solenniis et aliis horis congruentibus publicetis ac per rectores ecclesiarum et Predicatorum Minorum Heremitarum sancti Augustini et beate Marie de Monte Carmeli ordinum fratres et alios

FUNDACIÓ NOGUERA

religiosos et personas ecclesiasticas earundem civitatum et diocesium in eisdem sollenniis et horis faciatis sollicite et vulgariter publicari. Et nichilominus tu archiepiscope supradicte statim receptis presentibus premissa omnia per tuas patentes litteras de verbo ad verbum harum seriem continentes cum omni celeritate qua poteris, prout tam pio negocio videris expedire, dictis episcopis studeas intimare eisque mandare districtius, quod illa eorum subditis huiusmodi tuo mandato recepto omni dilatione precisa intimare aliquatenus non omittant. Sic igitur huiusmodi pium opus et acceptum altissimo sollicite ac laudabiliter exequi studeatis, quod de vestris laboribus fructus sperati proveniant vobisque proinde apud retributorem bonorum omnium desiderabile premium eterne retributionis accrescat.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, II Idus Novembris, pontificatus nostri anno Quarto.

671

1309 novembre 12, Groseau (Malaucena)

Climent V faculta l'arquebisbe de Tarragona (Guillem de Rocabertí) i altres bisbes dels regnes d'Aragó, València i comtat de Barcelona del rei Jaume II, excepte Sardenya i Còrsega, per tal que els clergues que siguin encarregats d'una parròquia o la tinguin dins del trienni, amb la condició d'ésser ordenats sacerdots dins de l'any, poden retardar l'ordenació un quinquenni, mentre que dins l'any exerceixin en el sagrament i donin els fruits d'un any a benefici de la croada del regne de Granada que capitaneja el rei Jaume II d'Aragó, València, Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 24.
a Butlla amb fil de cànem.
b RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, XV, p. 53-54, cap. 28-30.
c *Regestum Clementis V*, IV, p. 475-476, doc. 5095.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 186-187, doc. 354.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 59, doc. 4998.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Terraconensi et universis episcopis per regnum Aragonie et Valentie, comitatum Barchinonensem ceterasque terras carissimi in Christo filii nostri Iacobi Aragonum Valentie Sardinie et Corsice regis illustris constitutis regno Sardinie et Corsice eiusque terris dumtaxat exceptis salutem et apostolicam benedictionem. Dignum et congruum reputamus, ut eos qui ad dei obsequia prosequenda se

FUNDACIÓ NOGUERA

offerunt specialibus gratiis honoremus. Intendentes igitur ut negotium acquisitionis regni Granate quod carissimus in Christo filius noster Iacobus Aragonum Valentie Sardinie et Corsice rex illustris ad dei laudem assumpsit et prosequitur viriliter et potenter tanto libentius personarum ecclesiasticarum fulciatur auxilio, quantomagis persone ipse favorem apostolicum sibi senserint gratiosum, dispensandi usque ad triennium, dicto rege predictum negotium prout ipsum assumpsit potenter et viriliter prosequente, cum quibuscunque ad regimen parrochialium ecclesiarum assumptis consistentium videlicet in regnis et terris regis eiusdem, Sardinie et Corsice regno eiusque terris dumtaxat exceptis, vel usque ad triennium assumendis, qui infra triennium ipsum fructus unius anni ecclesie parrochialis quam singuli eorum obtinent vel infra dictum triennium obtinebunt, ratione cuius haberent infra annum ad presbiteratus ordinem promoveri, dicto regi vel eius procuratori pro subsidio dicti negotii exhibebunt, quod ipsi dummodo infra annum ordinem subdiaconatus recipiant, non teneantur usque ad quinquennium a tempore huiusmodi suscepti regiminis, ratione ipsius ecclesie ad sacerdotium promoveri nec ad id a quoquam compelli possint inviti, qualibet constitutione contraria non obstante, quocienscunque a prefato rege seu eius procuratore fueritis requisiti, plenam vobis et singulis vestrum concedimus auctoritate presentium facultatem. Proviso quod ecclesie ipse debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis nullatenus negligatur.

Dat. in prioratu de Gausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, II Idus Novembris, pontificatus nostri anno Quarto.

672

1309 novembre 12, Groseau (Malaucena)

Climent V atorga al bisbe de València (Ramon Despont) la facultat per absoldre de l'excomunió, pel comerç il·lícit amb els sarraïns, els habitants dels regnes de Jaume II d'Aragó, València i comtat de Barcelona, excepte Sardenya i Còrsega, els quals satisfaran un subsidi per la croada de Granada, quantitat que deixa a discreció del bisbe.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 25.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, IV, p. 469, doc. 5090.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 187, doc. 355.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 59, doc. 4999.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens V episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos olim tibi super predicatione et concessione crucis contra Sarracenos regni Granate nostras certi tenoris litteras duxerimus dirigendas,[4] cupientes ut negotium huiusmodi, quod carissimus in Christo filius noster Iacobus Aragonum rex illustris assumpsit et prosequitur viriliter et potenter, eo facilius ad felicem exitum perducatur, quo maiori fidelium auxilio fulcietur. Gerentes quoque de tua circunspectione fiduciam in domino spetialem, fraternitati tue incolas regnorum et terrarum eiusdem regis, Sardinie et Corsice regno dumtaxat excepto, qui ex eo quod in Alexandriam seu ad alia loca Sarracenorum terre Egipti merces victualia et arma seu alia prohibita portaverunt vel miserunt aut Sarracenis eisdem impenderunt auxilium consilium vel favorem, excommunicationis vel alias sententias latas a nobis vel a predecessoribus nostris Romanis pontificibus incurrerunt, absolvendi hac vice ab eisdem sententiis iuxta formam ecclesie, dummodo quantum ad partes predictas detulerunt vel miserunt aut deferre vel de portubus ipsorum extrahi permiserunt deferendum, dicto regi vel suo procuratori exolverint in subsidium dicti negotii convertendum aut alias eidem regi pro eiusdem prosecutione negotii congruum iuxta tue discretionis arbitrium, super quo tuam conscientiam oneramus, subsidium exhibebunt, plenam concedimus tenore presentium facultatem, constitutione nostra super hoc incontrarium edita non obstante. Porro ne huiusmodi gratia, quam in favorem dicti regis pro tam accepti deo prosecutione negotii tam gratiose duximus concedendam, proveniat transgressoribus in exemplum, fraternitati tue districte precipiendo mandamus, quatinus eandem nostram constitutionem, quam tibi sub bulla nostra transmittimus, in civitatibus castris et locis insignibus regnorum ac terrarum seu dominii dicti regis coram populis earundem solenniter et sollicite publices et per alios facias publicari, aperte predicendo eisdem, ut contra tenorem predicte vel aliarum super hoc ab eisdem predecessoribus editarum constitutionum venire decetero aliquatenus non presumant, cum non sit nostre intentionis sic in hiis delinquentibus inantea misereri, quin idem tenor et rigor etiam ipsarum integraliter observetur.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, II Idus Novembris, pontificatus nostri anno Quarto.

4. Vegeu doc. 651.

FUNDACIÓ NOGUERA

673

1309 novembre 12, Groseau (Malaucena)

Climent V comunica al rei Jaume II d'Aragó que, accedint a les peticions del seu legat Bernat de Libiano, cavaller, i del rei Ferran IV de Castella, ha manat a l'arquebisbe de Toledo (Gonçal Diéguez Palomeque) i al bisbe de Zamora (Gonçal Rodríguez), col·lectors de la dècima dels rèdits eclesiàstics a Castella, que per un trienni l'entreguin al noble Gilbert, vescomte de Castellnou, almirall de l'armada marina d'aquest regne, que lluita contra els sarraïns per mar per conquerir el regne de Granada.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 25, núm. 23.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 187-188, doc. 356.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 60, doc. 5000.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatis tue litteras nobis per dilectum filium Bernardum de Libiano militem et nuntium tuum noviter presentatas grata mente recepimus ac visis et consideratis, que tam ipsarum quam litterarum nobis a carissimo in Christo filio nostro Fernando rege Castelle illustri missarum perlecta series continebat, tuis et ipsius supplicationibus favorabiliter annuentes, venerabilibus fratribus nostris .. archiepiscopo Tholetano et .. episcopo Çamorensi collectoribus decime ecclesiasticorum reddituum per nos usque ad triennium in regnis et terris ipsius regis imposite damus per nostras litteras in mandatis, ut decimam ipsam prout eam per idem triennium duxerint colligendam, dilecto filio nobili viro Iasperto vicecomiti Castrinovi in ammiratum armate marine ipsius regis ad prosequendum per mare acquisicionis regni Granate negotium ordinate ab eodem rege prefecto vel cui nobilis ipse voluerit et nulli alii sicut idem rex per dictas suas litteras postulavit, postquam ipsi collectores super hoc per eiusdem regis patentes litteras per eos postmodum nostro camerario destinandas fuerint requisiti. Ipso tamen rege dictum negotium prout illud assumpsit, potenter et viriliter prosequente integraliter assignare procurent, in dicte armate subsidium et non in usum alium convertendam. Ea insuper que dictus nuntius nobis ex regia parte oraculo sue vocis exposuit, benigne audivimus sibique ad illa respondimus, prout ipse tue magnificentie poterit oretenus enarrare. Quasdam preterea gratias tibi et prosecutioni dicti negotii, quod tu etiam assumpsisti et ferventer prosequeris utiles, magnificentie tue imbrevi per dictum nuntium vel alium intendimus destinare.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, II Idus Novembris, pontificatus nostri anno Quarto.

674

1310 gener 13, Avinyó

Climent V atorga a Pere Comte, clergue de la diòcesi de Girona, l'ofici de notari després de l'examen fet pels examinadors Arnau, bisbe electe de Coserans, i el mestre Guillem Méchin, canonge de Noyon i capellà papal.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 197.
B Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 198.
a Existeix fil de seda *B*. Butlles perdudes.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Petro Comitis clerico Gerundensis diocesis in minoribus tantum ordinibus constituto salutem et apostolicam benedictionem. Ne contractuum memoria deperiret, inventum est tabellionatus officium quo contractus legitimi ad cautelam presentium et memoriam futurorum manu publica notarentur. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, predictum officium ad quod per dilectos filios fratrem Arnaldum electum Conseranensem et magistrum Guilelmum Meschini canonicum Noviomensem capellanum nostrum examinatores super hoc deputatos a nobis fuisti repertus ydoneus, tibi duximus concedendum ut illud prudenter et fideliter exequaris et ad te cum necesse fuerit in hiis que ad officium ipsum pertinent recurratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Idus Ianuarii, pontificatus nostri Anno Quinto.

675

1310 abril 4, Avinyó

Climent V comunica al rei Jaume II d'Aragó que l'obertura del Concili Universal de Viena fou ajornada per un any, a fi de poder aconseguir la informació oberta sobre l'orde del Temple i altres assumptes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 42.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 188, doc. 357.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 60, doc. 5003.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Alma mater ecclesia nonnulla plerumque rationabiliter ordinat, que postmodum prout secundum varietatem temporum et qualitatem etiam emergentium agendorum considerata suadet utilitas, in melius consulta deliberatione comutat. Sane licet ecclesiarum prelatos et celsitudinem tuam ad universale concilium, quod dudum a proximis tunc kalendis Octobris ad duos annos inmediate sequentes apud civitatem Viennensem de fratrum nostrorum consilio decrevimus congregandum, per nostras sub certa forma litteras prelatis ipsis et tibi super ipsius concilii convocatione directas duxerimus evocandos, quia tamen negotium inquisitionum quas per diversas mundi partes contra ordinem Militie Templi eiusque singulares personas fieri mandavimus, completum non est et quod in brevi compleri valeat non speramus, nec videmus ipsum negotium et nonnulla alia, que in eodem sunt tractanda concilio, posse usque ad prefatum statutum terminum taliter preparari quod ad ipsius examen concilii decenter valeant introduci, eundem terminum usque ad kalendas Octobris predictum primum terminum iam dudum per easdem nostras litteras assignatum inmediate sequentes, ex premissis et aliis certis iustis et legitimis causis, quas presentibus inseri non oportet, de fratrum eorundem consilio duximus prorogandum. Hec itaque ad tuam et universorum notitiam deducentes, serenitatem regiam rogamus et hortamur attentius in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatinus prescripto termino sic per nos ut predicitur prorogato studeas in eodem concilio iuxta priorum directarum tibi per nos super hoc litterarum tenorem in prelibato loco personaliter interesse.

Dat. Avinione, II Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno Quinto.

676

1310 maig 23, Avinyó

Climent V manifesta al rei Jaume II d'Aragó vius desitjos de complaure'l en les seves peticions, tal com li comunicarà el seu legat, el cavaller Vidal de Vilanova.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 43.
a Lletra tancada. Butlla perduda.

FUNDACIÓ NOGUERA

b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 190, doc. 361.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 62, doc. 5009.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatis tue litteras per dilectum filium Vitalem de Villanova militem et nuntium tuum latorem presentium nostro apostolatui presentatas benignitate paterna recepimus et seriose continentiam vidimus earundem, et ea que prefatus nuntius ex parte tua nobis exposuit, audivimus diligenter. Verum quia personam regiam tuumque regnum affectu multe dilectionis amplectimur, ad tuum et ipsius regni statum honorificum et felicem semper intendimus et super illis que ex parte tua a nobis petiit quam mansuete quam benigne eidem respondimus et quid de ipsis fecimus et bonam voluntatem quam ad ea complenda habuimus et habemus, idem nuntius tibi referre poterit oraculo vive vocis, cui super huiusmodi relatione adhibeas plenam fidem.

Dat. Avinione, x Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Quinto.

677

1310 juny 8, Avinyó

Climent V dóna resposta a les lletres del rei Jaume II d'Aragó pel contingut dels escrits (s'acusà Jaume II i el seu germà de dubtar de la inspiració divina dels Sants Evangelis) que li lliurà el mestre Arnau de Vilanova. Per tal d'evitar suspicàcies, li envia els mateixos originals que aquell donà al cardenal prevere Berenguer (Frégoli) dels Sants Nereo i Aquileo, bisbe de Frascati, per tal que fossin llegits en consistori privat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 38.
a Butlla perduda.
b VILLANUEVA, *Viage literario*, XIX, p. 320, doc. 49.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 189-190, doc. 360.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ex tuarum accepimus serie litterarum quod per aliquos tibi significatum extiterat, quod dilectus filius magíster Arnaldus de Villanova quedam te et carissimum in Christo filium nostrum Fredericum regem Trinaclie illustrem germanum tuum tangentia proposuerat coram nobis, super quibus per nos certificari humiliter supplicasti. Verum ut de huiusmodi propositis et nobis in scriptis oblatis per eundem magistrum Arnaldum in consistorio privato notitiam tua habeat celsitudo, ecce quod scripta et proposita ipsa que tunc venerabili fratri

FUNDACIÓ NOGUERA

nostro Berengario Tusculano episcopo tunc tituli sanctorum Nerei et Achillei presbitero cardinali per eundem magistrum Arnaldum tradi mandavimus, tibi mittimus presentibus interclusa.

Dat. Avinione, VI Idus Iunii, pontificatus nostri anno Quinto.

678

1310 juliol 24, Groseau (Malaucena)

Climent V mana a l'abat del monestir d'Arles de la diòcesi d'Elna, a Pere de Rocabertí, canonge de l'església de Girona, i a Ramon de Pujol, canonge de l'església de Barcelona, incorporar la possessió d'una dignitat eclesiàstica de l'església de Tarragona per a Hug de Cervera, canonge d'aquesta mateixa església.

A Àger, Arxiu Històric, núm. 1262.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. abbati monasterii de Arolis Elnensis diocesis et Petro de Roccabertino Gerundensi ac Raymundo de Podiolo Barchinonensi canonicis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis providentia circumspecta personarum merita provida deliberatione considerans illas libenter specialis gratie prerogativa prosequitur que nobilitate generis predicte vite ac morum honestate decore ac aliis virtutum meritis insignite necnon et sublimium personarum intercessionibus circumfulte dignas se apostolice munificentie gratia representant. Volentes itaque dilectum filium Hugonem de Cervilione canonicum Terraconensem genere nobilem vite ac morum honestate decorum ac aliis virtutum [... ... ...] Terraconensis ecclesia cuius existit canonicus premissorum obtentu et consideratione carissimi in Christo filii nostri Fernandi regis Castelle illustris et dilecti filii nobilis viri Iohanni Nunnii militis [...] ver[..] gratiam implorantium amplius honorare dignitatem seu personatum vel officium nulli alii de iure debitam seu debitum siqua vel siquis vel siquid in eadem ecclesia [...] omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica sibi auctoritate contulimus et de illa vel illo duximus etiam providendum. Si vero talis dignitas vel personatus aut officium tunc non vacabit in ecclesia [...] dignitatem seu personatum seu officium proxime in eadem ecclesia vacaturum seu vacaturam conferendam seu conferendum sibi cum vacaverit donationi apostolice reservavimus, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate contingeret attemptari. Non obstantibus quibuslibet ipsius ecclesie contrariis consuetudinibus

FUNDACIÓ NOGUERA

et statutis iuramento confirmatione sedis eiusdem vel quacunque firmitate alia roboratis seu si aliqui super provisione sibi facienda de dignitatibus seu personatibus aut officiis in eadem ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis quibus per hoc nullum volumus preiudicium generari vel legatorum eius litteris impetrarint seu si venerabili fratri nostro .. archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Terraconensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint seu quod de dignitatibus personatibus aut officiis ipsius ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem vel aliam quamcunque dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia eiusdem sedis indulgentia generalia vel specialia cuiuscunque tenoris existat per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in eisdem nostris litteris habenda sit mentio specialis aut quod dictus Hugo patitur in etate defectum cum in vicesimoquarto sue etatis anno vel circa constitutus esse dicitur seu si presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum et eam ad ecclesiam quantum accesserit corporaliter illud prestet. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eundem Hugonem vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem huiusmodi dignitatis vel personatus aut officii iurium et pertinentiarum ipsarum siqua vel siquis aut siquid in dicta ecclesia tempore collationis per nos sibi facte de illa vel illo vacabat inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum. Alioquin dignitatem personatum vel officium per nos sibi in dicta ecclesia ut premittitur reservatam vel reservatum si ab huiusmodi reservationis nostre tempore vacavit ibidem vel quamprimum illam vel illum aut illud in dicta ecclesia vacare contigerit dicto Hugoni vel eidem procuratori pro eo conferre et assignare curetis facientes eum vel dictum procuratorem pro ipso ad huiusmodi dignitatem vel personatum aut officium in dicta ecclesia ut est moris aduncti ac pacifica illius possessione gaudere sibique de ipsius fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis aut si eisdem archiepiscopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per

FUNDACIÓ NOGUERA

litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradicentes auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, VIIII Kalendas Augusti, pontificatus nostri Anno Quinto.

679

1310 juliol 24, Groseau (Malaucena)

Climent V concedeix a Hug de Cervera, canonge de Tarragona, la provisió d'una dignitat eclesiàstica amb la consideració del rei de Castella (Ferran IV) i del noble Joan Nuño.

A Àger, Arxiu Històric, núm. 1594.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Hugoni de Cervilione canonico Terraconensi salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis providentia circumspecte personarum merita provida deliberatione considerans illas libenter specialis gratie prerogativa prosequitur que nobilitate generis predite vite ac morum honestate decore ac aliis virtutum meritis insignite necnon et sublimium personarum intercessionibus circumfulte dignas se apostolice munificentie gratia presentant. Volentes itaque te genere nobilem vite ac morum honestate decorum ac aliis virtutum et consideratione carissimi in Christo filii nostri .. regis Castelle illustris et dilecti filii nobilis viri Iohannis Nunnii militis apostolicam pro te gratiam implorantium amplius honorare dignitatem seu personatum vel officium nulli alii de iure debitam debitam seu debitum si qua vel si quod in eadem ecclesia vacat ad presens cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa vel illo etiam providemus. Si vero talis dignitas vel personatus aut officium non vacat ad presens in ecclesia supradicta, nos huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium proximo in eadem ecclesia vacaturam seu vacaturum conferendam seu conferendum tibi cum vacaverit donationi apostolice reservamus, decernentes exnunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari. Non obstantibus quibuslibet ipsius ecclesie contrariis consuetudinibus et statutis iuramento confirmatione sedis eiusdem vel quacumque firmitate alia roboratis seu si aliqui super provisione sibi facienda de dignitatibus seu personatibus aut officiis in eadem ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales

FUNDACIÓ NOGUERA

dicte sedis quibus per hoc nullum volumus preiudicium generari vel legatorum eius litteras impetraverint seu si venerabili fratri nostro .. archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Terraconensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem vel aliam quamcumque dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de sua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis aut quod pateris in etate defectum cum in vicesimoquarto tue etatis anno vel circa constitutus esse dicaris seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie solitum iuramentum dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud prestes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis provisionis reservationis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, VIIII Kalendas Augusti, pontificatus nostri Anno Quinto.

680

1310 octubre 24, Groseau (Malaucena)

Climent V respon a les lletres del rei Jaume II d'Aragó, les quals desmenteixen les acusacions que Arnau de Vilanova li imputà a ell i al seu germà Frederic II, rei de Trinàcria. També treu importància a l'assumpte, però atenent els seus desitjos ordenarà que siguin llegides en consistori privat així que arribin a Avinyó, si de nou insisteix en l'assumpte.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 39.
a Lletra tancada. Existeix fil de cànem. Butlla perduda.
b VILLANUEVA, *Viage literario*, XIX, p. 320-321, doc. 50.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 190-191, doc. 362.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 66, doc. 5020.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem.

NOGUERA

Tue celsitudinis litteras per quas nobis inter cetera intimasti, quod in quibusdam, que magister Arnaldus de Villanova olim coram nobis et fratribus nostris duxerat proponenda, in quibus de tua et carissimi in Christo filii nostri Frederici Trinacrie regis illustris fratris tui personis fecerat mentionem, locutus non fuerat veritatem, paterna sicut decuit affectione recepimus et eas inspeximus et legimus diligenter. Verum quia, sicut ex litterarum ipsarum tenore collegimus, turbationis causam ex propositione huiusmodi assumpsisti, et nos exinde conturbamur, dum sentimus personam tuam, quam brachiis paterne dilectionis astringimus, fore proinde conturbatam. Verumtamen sicut regalis sinceritas quod ad scripturam illam, per quam dicta propositio facta extitit coram nobis, nos dum legebatur cogitantes circa alia negotia graviora, que nostris tunc cogitationibus iminebant, mentem nostram non curavimus apponendam, nec ad illa, que prelibata continebat scriptura, tunc vel postea nostrum direximus intellectum neque illis fidem vel credulitatem aliquam duximus adhibendam. Super eo vero quod per dictas litteras postulasti, ut eas legi coram nobis et dictis fratribus nostris in consistorio faceremus, scire te volumus, quod cum in loco ubi moramur adpresens non habeamus nobiscum ex ipsis fratribus nisi paucos, littere ipse ibidem in consistorio legi comode nequiverunt. Sed cum erimus in civitate Avinionensi, ad quam sumus imbrevi dante domino reversuri, faciemus illud fieri, si deliberate super hoc nobis tuam denuo rescripseris voluntatem. Hesitamus enim an ex motu animi ex propositione predicta forsitan concitati an ex consulta deliberatione id duxeris postulandum.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, VIIII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

681

1310 novembre 1, Pèrnas dei Fònts

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que no es desanimi per la mort de la seva muller, la reina Blanca d'Aragó.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 40.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 191, doc. 363.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 66, doc. 5021.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Replevit amaritudine tabernaculum mentis nostre tuarum quas

FUNDACIÓ NOGUERA

nostro apostolatui transmisisti serie litterarum dum per ipsam clare memorie Blancam reginam Aragonum consortem tuam sicut domino placuit nature debitum accepimus exsolvisse. Profecto carissime fili, quamvis per obitum consortis eiusdem causa doloris multiplicis tui pectoris intimis sicut creditur ingeratur, absit tamen quod in tue magnanimitatis alta prudencia redargui modus dolendi valeat vel excessus. Pie quidem sperari potest et credi quod eadem regina quam ornaverat virtutum altissimus iuxta laudabile testimonium vite sue vivet perenniter cum beatissimis spiritibus in excelsis. Quare magnificentiam regiam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus ex hoc regium animum qui debet haberi fortior in adversis non deprimas sed consolationis robore munias et exaltes. Nos enim ut siquid macule non purgate in dicta regina forte remansit iuxta divine misericordie plenitudinem abstergatur, eidem devotarum orationum suffragia prout nobis fuerit ex alto permissum iuxta tue supplicationis instanciam libenter apud salvatorem omnium impendimus et impendi per alios faciemus sicut tenor aliarum litterarum nostrarum patentiam quas tibi per latorem presentium destinamus evidencius demonstrabit.

Dat. Paternis Carpentoratensis diocesis, Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

682

1310 novembre 1, Pèrnas dei Fònts

Climent V atorga a tots els fidels cristians dels regnes i comtats del rei Jaume II d'Aragó cent dies d'indulgència per cada dia que resin per l'ànima de la reina Blanca d'Aragó durant un bienni.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 41.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 191, doc. 364.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 66, doc. 5022.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Universis Christi fidelibus per Aragonum et alia regna comitatus et terras carissimi in Christo filii nostri Iacobi illustris regis Aragonum constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Preclara diversarum virtutum undique prebentia claritatem clare memorie Blanche regine Aragonum merita multipliciter extollebantur dum presentis vite potiebatur honore. Cum enim regia maiestate ipsa que ab utraque parente de regia stirpe descenderat sublimis existeret devotione preclara mansuetudinis munere predita et dotata multarum affluencia gratiarum digne ipsam humana

FUNDACIÓ NOGUERA

preconia collaudabant et honorabant, quam ipse dominantium dominus prerogativa donorum tam excellentium illustrarat et talibus siquidem adornata monilibus et zelum habens intime puritatis ad deum sic se constituit dum vivebat superne beatitudinis amatricem, quod illam querere non desineret studio pie vite ac querendi materiam preberet aliis per exemplum. Nam quanto sublimius presidebat tanto libentius imitabantur videntes suorum operum claritatem. Et licet propterea sperari possit et credi quod eandem reginam rex regum cui continue serviebat, ad eterne beatitudinis premium evocarit. Nos tamen ut siquid macule non purgate in ea forte remanserit iuxta divine misericorie plenitudinem abstergatur ipsam nostris et aliorum fidelium orationibus decrevimus adiuvandam. Ideoque vobis omnibus vere penitentibus et confessis qui devotis orationibus divinam pro ipsa regina misericordiam implorabitis singulis diebus apud deum et reginam celorum pro ea orationes devotas et humiles effundendo de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi centum dies de iniuncta vobis penitentia misericorditer relaxamus. Presentibus post biennium minime valituris.

Dat. Paternis Carpentoratensis diocesis, Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

683

1310 desembre 21, Avinyó

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, a petició del comte Ponç Hug d'Empúries, que d'acord amb les instruccions que ha rebut de la Seu Apostòlica i la promesa feta d'observar-les en els seus dominis no molesti l'esmentat comte per haver capturat una nau a alta mar als venecians, excomunicats per contumàcia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 46.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 191-192, doc. 365.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 67, doc. 5026.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Pontius Hugonis comes Impuriarum quod postquam perditionis alumpni Veneti pestilentes astricti fuerunt sententiis et penis contentis in processibus per nos olim contra ipsos habitis occasione gravium excessuum per eos circa invasionem occupationem et detentionem civitatis nostre Fer-

FUNDACIÓ NOGUERA

rariensis contra nos et Romanam ecclesiam commissorum, per quos quidem processus inter alia singulares personas necnon bona mobilia Venetorum ipsorum ubicumque illa reperiri contingeret de fratrum nostrorum consilio exposuimus capienda fidelibus et etiam occupanda quandam navim quorundam ex Venetis memoratis oneratam certis mercibus et bonis aliis Venetorum ipsorum que de Alexandrie partibus delata extiterant in mari reperiit et eam cum mercibus et bonis aliis memoratis pretextu dictorum nostrorum processuum cepit et etiam occupavit. Cum itaque idem comes timeat ne ipse aut emptores navis mercium et bonorum huiusmodi, ad quos ipsa vel aliqua ex eis per comitem ipsum devenerunt vel devenire contigerit, ad huiusmodi navis mercium et bonorum restitutionem per te vel tuam curiam compellantur aut super illis vel eorum occasione se et emptores ipsos dubitet molestari, nobis supplicavit humiliter ut tibi pro eo super hiis nostra scripta mittere dignaremur. Nos itaque considerantes quod navis et merces ac bona predicta Venetorum ipsorum etiam si non fuissent de dictis Alexandrie partibus deportata ad dictum comitem sunt secundum tenorem dictorum nostrorum processuum devoluta ac intendentes quod processus huiusmodi presertim quamdiu dicti Veneti in sua contumacia et rebellione perstiterint sicut et adhuc persistunt inviolabiliter observentur, ipsius quoque comitis in hac parte supplicationibus annuentes magnificentiam regiam rogandam attente duximus et hortandam, quatinus comitem ipsum vel emptores predictos ad restitutionem navis et mercium ac bonorum predictorum per te vel alium seu alios pro nostra et apostolice sedis reverentia contra tenorem dictorum processuum non compellas neque ipsum vel emptores predictos in personis vel bonis suis occasione navis et mercium ac bonorum predictorum molestes aliquatenus aut permittas ab aliis quantum in te fuerit molestari. Ad hec cum olim nobis per tuas litteras intimaris quod iuxta tenorem litterarum ipsarum quas a nobis receperas, Venetos de regnis et terris tuis proponebas facere exbanniri certis vassallis et hominibus tuis, qui in terris Venetorum ipsorum morabantur, primitus revocaris. Serenitatem regiam requirimus et rogamus attente, quatinus si id adhuc forsitan non fecisti memoratos Venetos utpote nostros et ecclesie prelibate rebelles qualibet dilatione postposita de predictis tuis terris et regnis pro nostra et predicte sedis reverentia facias exbanniri adimpleturus quesumus in premissis taliter preces nostras, quod nos sinceritatem regiam possimus exinde prosequi actionibus gratiarum.

Dat. Avinione, XII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Sexto.

FUNDACIÓ NOGUERA

684

1311 febrer 20, Avinyó

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que influeixi sobre l'arquebisbe de Tarragona (Guillem de Rocabertí) i el bisbe de València (Ramon Despont), administradors dels béns dels templers, perquè donin al mestre Joan Burgundi, sagristà de l'església de Mallorca i comissionat seu en l'assumpte d'aquests als regnes d'Aragó, Mallorca i Navarra, la resta dels honoraris que se li deuen, a raó de tres florins d'or diaris.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 47.
a Butlla amb fil de cànem.
b VILLANUEVA, *Viage literario*, XXI, p. 299-300, doc. 28.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 192, doc. 366.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 68, doc. 5028.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo Aragonum regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum dilectum filium magistrum Iohannem Burgundi sacristam ecclesie Maioricensis ad Aragonum Maioricarum et Navarre regna et partes pro inquisitionis negocio faciende contra ordinem Templariorum necnon cum ordinariis locorum contra singulares personas et fratres ipsius ordinis duximus destinandum, mandantes per nostras certi tenoris litteras ac etiam statuentes sibi in quatuor florenis auri pro singulis diebus quibus circa negocium vacaret huiusmodi, ab eo videlicet die quo propter hoc iter arripuerat et donec ad apostolicam sedem rediret, pro suis et familie sue expensis et necessariis vel eius nuntio ab eo ad hoc spetialiter propterea destinando, de bonis Templariorum eorundem consistentibus in regnis et partibus supradictis per venerabiles fratres nostros .. archiepiscopum Terraconensem et .. episcopum Valentinum curatores et administratores ipsorum bonorum per nos in eisdem regnis et partibus deputatos, cum per eundem sacristam vel eius certum nuntium super hoc requisiti essent liberaliter provideri. Et licet idem sacrista in dicto inquisitionis negocio diligenter et fideliter ut asserit, laborarit, ei tamen pro maiori parte temporis quo executioni institit negocii memorati per dictos curatores et administratores, licet ab eo in hac parte pluries requisitos, non extitit nec adhuc est integre satisfactum, propter quod non paucorum subiisse dinoscitur onera debitorum. Quia igitur nemo propriis tenetur militare stipendiis, nec recte considerationi rationis insedit ut a cuiuspiam laboribus debite mercedis munera subtrahantur, serenitatem tuam requirimus et rogamus ac hortamur attente, quatinus efficaciter mandare et operari liberaliter celsitudini regie placeat, ut eidem sacriste aut eius nuntio

FUNDACIÓ NOGUERA

pro ipso de bonis eorundem Templariorum per manus archiepiscopi et episcopi predictorum et ad eius requisitionem pro eo tempore de quo constiterit satisfactum sibi non esse, integraliter satisfiat omnino. Ita quod ipse propter hoc ad nos iterato recurrere non cogatur nosque liberalitatem regiam exinde gratis affectibus comendemus.

Dat. Avinione, x Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Sexto.

685

1311 març 18, Avinyó

Climent V exhorta el rei Jaume II d'Aragó perquè presti concurs a l'arquebisbe de Tarragona (Guillem de Rocabertí), al bisbe de València (Ramon Despont), a l'abat del monestir de Castres, a Pere de Sant Jordi, al prior d'Albi de la diòcesi de Nimes, a Joan Burgundi, sagristà de l'església de Mallorca, i al mestre Bernat de Puigbastó, canonge de Rieti, delegats seus, per inquirir en els seus regnes d'Aragó, Mallorca i Navarra sobre els crims que s'imputen als frares de l'orde del Temple.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 48.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 192-193, doc. 367.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 69, doc. 5034.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ad eliciendum testimonium veritati de nephariis criminibus scelestibus actibus et vitiis detestandis, quibus fratres ordinis Militie Templi plurimum sunt respersi et eorum a tanto iam tempore occultatam odiosam deo et hominibus nequitiam detegendam, illorum maxime quorum execrabilia opera longa locorum ab ecclesia Romana distantia et ignota ipsorum conditio nostris non permiserant obtutibus esse nota, per venerabiles fratres nostros .. archiepiscopum Terraconensem et episcopum Valentinum et dilectos filios .. abbatem monasterii Castrensis et Petrum de sancto Georgio priorem de Armanitis Albiensis et Nemausensis diocesium et .. sacristam Maioricensis ac magistrum Berardum de Podio Bastonis canonicum Reatine ecclesiarum in regno tuo necnon et alias personas ydoneas in regnis aliis contra singulares personas eorundem fratrum et ordinis super apostasie heresis et aliorum conviciorum et malorum operum eorundem fore decrevimus inquirendum, et licet ea que in inquisitione ipsorum per eos contra fratres dicti regni tui habita et ad apostolicam sedem remissa vidimus contineri, de inscriptis eis infamia et dampnabili-

FUNDACIÓ NOGUERA

bus actibus et nephandis sceleribus eorundem presumptionem nobis afferant vehementem, quia tamen ex ipsius geste rei verisimilibus coniecturis et probabilibus argumentis manifeste colligitur et de iure videtur, quod fratres ipsi ut clarior et certior eliceretur ab eis veritas de predictis per eos subici debuerint questionibus et tormentis, quod minus prudenter quam et negligenter facere obmiserunt, volumus et eis per alias nostras litteras mandamus, ut sex quinque quattuor tres duo aut unus eorum fratres ipsos ad habendum ab eis de predictis veritatis plenitudinem promptiorem tormentis et questionibus, quibus et prout expedire noverint, procurent exponere, cum etiam ipsis sacris canonibus demandetur in huiusmodi et consimilibus casibus personas huiusmodi tam prospicuis indiciis et vehementi presumptione suspectas ad eliciendam veritatem religioso fore tortori tradendas confessionem ipsorum nobis postmodum tam celeriter quam fideliter transmissuri. Quocirca celsitudinem regiam attente requirendam duximus et rogandam, quatinus pro apostolice sedis et nostra reverentia regali excellentie placeat predictis inquisitoribus assistere favorabiliter in hac parte ac eis ad eorum requisitionem vel alicuius ipsorum de oportunis ad hoc auxilio et favore liberaliter providere.

Dat. Avinione, XV Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Sexto.

686

1311 maig 1, Avinyó

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que entregui els béns pertanyents als frares de l'orde del Temple, si és que encara en conserva, a l'arquebisbe de Tarragona (Guillem de Rocabertí) i al bisbe de València (Ramon Despont), administradors dels templers en aquest regne.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 49.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, VI, p. 112-113, doc. 6740.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 193, doc. 368.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 70, doc. 5038.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ad eliciendum testimonium veritatis de nephandis criminibus scelestibus actibus et vitiis detestandis, quibus fratres ordinis militie Templi Ierosolimitani et etiam ipse ordo plurimum sunt respersi et eorum a tanto iam tempore occultatam odiosam deo et

FUNDACIÓ NOGUERA

hominibus nequitiam detegendam illorum maxime, quorum execrabilis opera longa locorum ab ecclesia Romana distantia et ignota ipsorum conditio nostris non permiserat obtutibus esse nota, per certos et discretos nuntios in regno tuo contra singulares personas eorundem fratrum et etiam ipsum ordinem super apostasie heresis et aliorum convitiorum et malorum operum eorum fore decrevimus inquirendum, quorum cuilibet, cum non tenerentur propriis laborare stipendiis, diebus singulis a die qua propter hoc a sede apostolica recesserunt et donec ad sedem redierunt eandem, in certis pecuniarum summis persolvendis eisdem per venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos et dilectos filios electos abbates priores decanos prepositos archidiaconos archipresbyteros plebanos et alios ecclesiarum et monasteriorum prelatos sive rectores et ipsorum vicesgerentes ac eorundem ecclesiarum et monsteriorum capitula et conventus et ceteras personas ecclesiasticas exemptas et non exemptas sancti Benedicti sancti Augustini Cluniacensis Cisterciensis Premonstratensis Grandimontensis et aliorum quorumcunque ordinum ac magistros et preceptores sancti Iacobi et Calatravensis hospitalium sive domorum et aliorum quorumlibet locorum ecclesiasticorum per regnum predictum constitutos per nostras certi tenoris litteras mandavimus provideri, ex qua provisione iidem prelati et alii superius nominati, prout ex fidedignorum relatione percepimus, plurimum pregravati fore noscuntur, propter quod nos ipsi paterno compatientes affectu et nolentes, quod ex aliorum culpa innocens pregravetur, venerabilibus fratribus nostris .. archiepiscopo Terrachonensi et .. episcopo Valentino curatoribus et administratoribus bonorum ordinis memorati in dicto regno per sedem apostolicam deputatis per apostolica scripta mandavimus, quatinus huiusmodi pecuniarum summas eisdem inquisitoribus de mandato nostro ut premittitur exhibitas per prelatos et alios supradictos de bonis Templariorum ipsorum in regno predicto existentibus cure et administrationi archiepiscopi et episcopi predictorum commissis, que ad manus eorum devenerunt vel medio tempore pervenient, eisdem prelatis et aliis superius nominatis unicuique ipsorum videlicet pro rata, secundum quod solvit et ipsis archiepiscopo et episcopo plene ac legitime constare poterit, restituere sine more dispendio et exhibere procurent. Quod si forte de bonis ipsis nondum ad manus ipsorum archiepiscopi et episcopi tanta pecunie summa pervenit, quod satisfieri possit eisdem, volumus et eisdem archiepiscopo Terraconensi et episcopo Valentino compellendi ad restituendum sibi bona predicta per censuram ecclesiasticam quoscunque detentores bonorum ipsorum cuiuscunque dignitatis ordinis conditionis vel status existerent, licet per alias nostras litteras similis esset eis attributa potestas, auctoritate litterarum nostrarum concessimus plenam et liberam potesta-

FUNDACIÓ NOGUERA

tem. Quocirca celsitudinem regiam attente requirendam duximus et hortandam, quatinus pro apostolice sedis reverentia regali excellentie placeat eisdem administratoribus et curatoribus huiusmodi bona, si qua de mandato nostro vel alio quocunque modo detines vel detineri facis, remoto cuiuslibet difficultatis obstaculo absque diminutione aliqua tradi et facere assignari et nichilominus circa recuperationem bonorum ipsorum ab aliis assistere ipsis favorabiliter in hac parte ac eis ad illorum requisitionem de oportunis ad hoc consilio et favore liberaliter providere.

Dat. Avinione, Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Sexto.

687

1311 maig 7, Avinyó

Climent V mana al prior del monestir de Sant Pau (del Camp), al precentor i al sagristà de l'església de Barcelona, decidir la qüestió entre Bernat d'Olivera, capellà de l'altar de Sant Jaume de l'església del monestir de Sant Antoni de Barcelona, orde de santa Clara, i Guillem Terrassa, canonge de Barcelona, sobre aquesta capellania; els insta a no dictar cap censura eclesiàstica sense manament de la Seu Apostòlica.

A Montserrat, Arxiu del Monestir Sant Benet, Fons Monestir Santa Clara de Barcelona, núm. 1255.
a Butlla perduda.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. priori monasterii sancti Pauli per priorem soliti gubernari et .. precentori ac .. sacriste ecclesie Barchinonensis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis Bernardus de Olivaria perpetuus capellanus altaris sancti Iacobi siti in ecclesia monasterii sancti Antonii Barchinonensis ordinis sancte Clare petitione monstravit, quod licet ipse perpetuam capellaniam dicti altaris sancti Iacobi auctoritate litterarum sedis apostolice canonice fuerit assecutus et illius pacificam possessionem adeptus, tamen Guilelmus Tarasa canonicus Barchinonensis asserens, quod venerabilis frater .. episcopus Barchinonensis auctoritate ordinaria commisit et mandavit eidem, ut de titulo quod idem capellanus capellaniam possidebat predictam inquireret et videret, idem vero Guilelmus prefatum capellanum super hoc huiusmodi commissionis pretextu ad suam fecit presentiam evocari. Sed dictus capellanus ex eo sentiens a prefato canonico indebite se gravari, quod dicte commissionis copiam, quam nunquam habuerat, sibi facere contra iustitiam denegavit humiliter requisitus, ad sedem apostolicam appellavit ac dictus canonicus huiusmodi appellatione contempta de facto cum de

FUNDACIÓ NOGUERA

iure non posset perperam in huiusmodi inquisitionis procedens negotio diffinitivam contra dictum capellanum sententiam promulgavit, a qua licet nulla fuerit ipso iure tamen dictus capellanus quamcito id ad suam pervenit notitiam, iterato ad sedem appellavit predictam. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quod canonicum fuerit appellatione postposita decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, Nonas Maii, pontificatus nostri anno Sexto.

688

1311 juny 23, Groseau (Malaucena)

Climent V concedeix al rei Jaume II d'Aragó, a petició pròpia, el privilegi que no el puguin excomunicar ni les seves terres puguin ser declarades en entredit sense l'autorització de la Seu Apostòlica.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 44.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, VI, p. 225, doc. 7074.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 193-194, doc. 369.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 71, doc. 5040.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dum celsitudinis tue eximiam potestatem et devotionem attendimus dignum et congruum reputamus, ut tibi in illius reddamur exhibitione gratie liberales per quam quietis et tranquillitatis comoda tibi valeant provenire. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati tibi auctoritate presentium indulgemus, ut nullus a sede apostolica delegatus executor vel etiam conservator a sede deputatus eadem aut subdelegatus ab aliquo eorundem possit in personam tuam excommunicationis vel interdicti ferre sententias absque licentia dicte sedis per ipsius sedis litteras concedenda faciente plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nos enim quaslibet excommunicationis et interdicti sententias, siquas in te contra indulti predicti tenorem proferri forte contigerit, exnunc irritas decernimus et inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc

FUNDACIÓ NOGUERA

paginam nostre concessionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, VIIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Sexto.

689

1311 setembre 23, Valença

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó que no molesti ni obligui Ponç (Hug), comte d'Empúries, a restituir la nau amb la seva càrrega capturada als venecians en alta mar perquè com a excomunicats que són per la usurpació de Ferrara els béns d'aquests han estat declarats vacants. Al mateix temps, li manifesta que està molt afligit pel fet que hagi retornat als venecians la meitat de la captura que li entregà el comte, contràriament a les indicacions de la Seu Apostòlica, seguides fidelment per Felip IV de França i, a indicació d'aquest, per Enric, rei dels romans, el de Trinàcria, el de Portugal i Felip, príncep d'Acaia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 26, núm. 45.
a Plica en part retallada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 194, doc. 370.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 71, doc. 5041.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad magnificencie regalis notitiam novimus pervenisse qualiter dudum contra Petrum olim ducem consilium et commune Venetiarum Castellanensis diocesis et singulares personas ac fautores valitores et adiutores ipsorum propter graves excessus et enormitates scelerum diversorum per ipsos contra nos et civitatem nostram Ferrariensem commissos certos processus fecimus diversas penas et sententias continentes et inter penas alias in processibus ipsis inflictas eisdem bona Venetorum ipsorum mobilia et immobilia de fratrum nostrorum consilio duximus confiscanda ac personas Petri et singulorum ex Venetis supradictis necnon et eadem bona mobilia videlicet ubicumque possent quomodolibet inveniri exposuimus capienda fidelibus et etiam occupanda. Bonorum vero immobilium eorundem in quibusvis locis consistentium dispositione ac ordinatione nobis et nostris successoribus reservatis omnibusque colligationibus confederationibus et societatibus inter eos et quoscumque alios habitis annullatis penitus

FUNDACIÓ NOGUERA

et etiam revocatis prout in eisdem processibus plenius continetur. Et demum per nos tibi antequam contra regnum Granate personaliter transfretares huiusmodi processibus intimatis serenitatem tuam per alias nostras litteras rogandam duximus attentius et hortandam, ut dictos Venetos caperes et eos offenderes in personis et bonis iuxta tenorem processuum predictorum, ad quod nobis quod hoc faceres specialiter respondisti certis vassallis et hominibus tuis, qui in terris Venetorum morabantur, ipsorum primitus revocatis ad quam quidem revocationem celeriter procederes cum effectu. Demum vero cum post tuum de prefato regno Granate ad regni tui partes deo dirigente regressum dilectus filius nobilis vir Pontius comes Impuriarum cum quibusdam galeis armatis mare fuisset ingressus illudque per diversas partes discurreret, contigit quod quandam navim Venetorum ipsorum certis bonis et mercibus oneratam cepit et ad partes eiusdem regni tui cum eisdem mercibus et bonis adduxit. Et quia sicut per dictum nobilem nobis extiterit intimatum, super restitutione navis et bonorum ac mercium predictorum dictis Venetis facienda molestare intendebas eundem, nos volentes ut huiusmodi processus nostri quos pro divine maiestatis et ipsius ecclesie ac totius feceramus christianitatis honore servarentur, magnitudinem tuam per alias nostras litteras attentius rogasse meminimus, ut ad restitutionem huiusmodi comitem et emptores navis bonorum et mercium predictorum per te vel per alium seu alios contra tenorem processuum non compelleres predictorum nec ipsos in personis vel bonis suis ipsius restitutionis occasione quomodolibet molestares vel quantum in te foret, ab aliis permitteres molestari. Sed tu nedum ad huiusmodi preces nostras ad exauditionis effectum duxeris admittendas immo potius obauditis eisdem contra dictum comitem quia navim bona et merces predicta iuxta mandatum tuum instantibus Venetis non restituerat memoratis, intendebas procedere sicut tue magnitudinis littere, quas nobis destinasti, noviter innuebant et alias exercitum prout habet eiusdem nobilis ad nos transmissa conquestio, de quo grandem admirationem suscepimus, congregare, iam dictorum bonorum et mercium medietate, que ad te dicitur pervenisse, ut audivimus, memoratis Venetis quod credere non possumus restituta. Ex quo si veritate huiusmodi restitutio fulciretur tanto graviorem turbationis materiam nostris precordiis intulisses quanto per hoc nostris et eiusdem ecclesie gravius fuisset honoribus derogatum. Quare magnificentiam regiam iterato rogamus monemus et hortamur attentius, quatinus precibus monitis et hortationibus nostris huiusmodi que de precordiis apostolicis prodeunt cum effectu filialis devotionis suscipiens et efficacem illis exhibens intellectum a quolibet exercitu contra dictum nobilem congregando aut alio faciendo processu vel eidem gravamine inferendo occasione restitutionis

FUNDACIÓ NOGUERA

huiusmodi pro nostra et apostolice sedis reverentia omnino desistas nullamque ipsi molestiam per quam dictorum Venetorum foveretur audatia inferas vel gravamen eundem nobilem aut emptores navis bonorum et mercium predictorum ad restitutionem ipsorum dictis Venetis faciendam contra tenorem dictorum processuum nullatenus compellendo. Si vero ex alia causa in navi bonis et mercibus supradictis forte ius aliquod habere te credis, illud dummodo ipsa aliquo colore quesito ad Venetos non perveniant supradictos, sicut tibi iuste videbitur prosequaris. Et quia de regie salutis augmento et magnificentia tui status sicut specialis nostri et eiusdem ecclesie filii attentior nos cura sollicitat quesumus, ut tui consilii alta provisio diligenter attendat, que in dictis processibus continentur, et prudenter advertat ne contra impedientes processus eosdem et alias que claritatem tue serenitatis multipliciter macularent sententias quod absit incurras in eisdem processibus promulgatas. Sic igitur huiusmodi nostris precibus monitis et hortationibus efficaciter acquiescas, quod summi regis non incurras offensum ac nostrum et eiusdem honorem ecclesie te patenter ostendas sincera diligere puritate nosque serenitatem regiam proinde condignis laudibus attollamus. Preterea magnitudinem tuam nolumus ignorare, quod dudum carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum ilustris nobis et ecclesie prefate super eisdem excessibus et enormitatibus condolens quamcito dicti processus ad eius notitiam pervenerunt, ad eosdem Venetos speciales et solennes nuntios absque nostra quavis requisitione transmisit, ut a nostris et eiusdem ecclesie molestiis et iniuriis omnimode resilirent et de illatis curarent nobis satisfactionem plenariam exhibere. Alioquin significabat eisdem quod ipsos extunc in regno suo et ubicunque sua extenderetur potentia in personis et rebus offenderet iuxta posse ac tenorem processuum predictorum, quamvis cum eis pacem haberet et amicitias speciales, prout de huiusmodi amicitiis diu ante processus predictos nobis dinoscitur constitisse. Et subsequenter carissimus in Christo filius noster Henricus rex Romanorum illustris universis de partibus Lombardie et specialiter Mantuanos Veronenses et Cremonenses necnon et Brixienses, qui tunc sub eius obedientia consistebant, ad nostre requisitionis instantiam expresse mandavit, ut dictos Venetos in personis rebus et bonis offenderent iuxta processuum continentiam eorundem, nec a tua etiam notitia esse volumus alienum, quod carissimi in Christo filii nostri .. Sicilie ac .. Trinacrie et .. Portugalie reges illustres ac dilectus filius nobilis vir Philippus princeps Achaye tanquam honoris eiusdem ecclesie fervidi zelatores iuxta requisitionem nostram omnes et singulos Venetos inventos in regnis et terris ipsorum et alibi ubicumque potuerunt, cum eorum ceteris bonis et rebus personaliter capi fecerunt et etiam detineri de bonis ipsis sicut eis visum exti-

FUNDACIÓ NOGUERA

tit, nulla de illis restitutione facta prefatis Venetis disponendo licet non essent in guerra cum eis, immo nobis et tibi etiam constat, ut credimus, quod saltim aliqui ex eisdem habebant cum eis amicitias speciales. Verum cum nos et eadem ecclesia te, quem ipsius ecclesie specialiter contingunt iniurie inter alios principes orbis terre catholicos precipua dilectione portemus in visceribus caritatis in tam pio negotio a laudabilibus regum et principis predictorum exemplis et actibus declinare non deceat, immo eis potius ferventibus in hac parte studiis adherere rogamus precibus iteratis, ut sic nostris beneplacitis satisfacias in premissis, quod cum regibus et principe supradictis filius benedictionis et gratie in eiusdem ecclesie plantatus dulcedine per effectum operis censearis.

Dat. Valentie, VIIII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Sexto.

690

1312 gener 11, Viena (del Delfinat)

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que dicti una sentència ràpida i justa sobre el plet del comtat de Pallars que mantenen Hug de Mataplana contra Arnau d'Hispània, vescomte de Coserans, i el seu fill Roger (de Comenge), a qui ell recomana.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 53.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 195, doc. 371.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 73, doc. 5047.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Habet dilectorum filiorum nobilium virorum Arnaldi de Ispania vicecomitis Conseranenis et Rogerii nati eius assertio, quod ipsi super comitatu de Paleariis a ditione regia tuaque Barchinonensi curia dependente, qui ad eos pertinet communiter vel divisim cum dilecto filio Hugoni de Mataplana qui in predicto comitatu se ius habere contendit, in dicta Barchinonensi curia quamvis dicti nobiles comitatum eundem certa ipsius parte quam ad manus regias ne ipsi per eam cum dicto Hugone ad arma procederent recepisti, dumtaxat excepta possideant diutius litigarunt. Cum itaque dictis partibus ad audiendum diffinitionem huiusmodi cause deliberatio tui consilii dudum plures et diversos terminos duxerit assignandos, regalem magnificentiam rogamus et hortamur attentius, quatinus vicecomitem et Rogerium supradictos habens in hac parte pro nostra et apostolice

FUNDACIÓ NOGUERA

sedis reverentia propensius commendatos eis iuxta morem prefate Barchinonensis curie exhibeas in huiusmodi causa celeris et favorabilis iustitie complementum, ut ipsi per hoc ad obsequia regia ferventius animentur et nos proinde magnitudinem tuam commendare cum gratiarum actionibus valeamus.

Dat. Vienne, III Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Septimo.

691

1312 febrer 22, Viena (del Delfinat)

Climent V atorga a Pere Comte, familiar d'Arnau, cardenal prevere de Santa Prisca, l'altar de Sant Marc de l'església de Barcelona, vacant per la renunciació del mestre Pere de Verger, ardiaca de Mallorca i procurador de Simó de Sexà, canonge de Girona, i en temps passats rector d'aquest altar.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-199.
B Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-202.
a Existeix fil de seda *A*. Butlles perdudes.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Petro Comitis rectori altaris sancti Marti in ecclesia Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Laudabile testimonium quod tibi de vite ac morum honestate aliisque virtutum meritis perhibetur, exposcit ut ad personam tuam nostre liberalitatis dexteram extendamus. Cum itaque altare sancti Marci in ecclesia Barchinonensi per liberam resignationem dilecti filii magistri Petri de Viridario archidiaconi Maioricensis procuratoris dilecti filii Symonis de Sexano canonici Gerundensis olim rectoris dicti altaris ad hoc ab ipso Symone specialiter constituti in manibus dilecti filii nostri Arnaldi tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis sancte Romane ecclesie vicecancellarii apud sedem apostolicam factam et ab eo de mandato nostro receptam apud sedem ipsam vacare noscatur adpresens, de quo nullus preter nos disponere potest pro eo quod nos dudum ante vacationem huiusmodi omnia beneficia ecclesiastica apud dictam sedem tunc vacantia et inantea vacatura donationi nostre duximus reservanda, decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Nos volentes tibi premissorum intuitu gratiam facere specialem, predictum altare sic vacans cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo etiam providemus decernentes prout est irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum est hactenus vel contigeret imposterum attemptari, non obstantibus si

FUNDACIÓ NOGUERA

aliqui super provisionibus sibi faciendis de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales eiusdem sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus te in ipsius altaris assecutione volumus anteferri, sed nullum eis per hoc quo ad aliorum beneficiorum assecutionem preiudicium generari aut si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint sive quod de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem presentationem vel aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore debeat in nostris litteris fieri mentio specialis, sive quod perpetuam capellaniam ecclesie de Senteylo Gerundensis diocesis obtines ac beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collationem presentationem vel aliam quamcumque dispositionem dilecti filii prepositi monasterii Salsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis pertinens proximo vacaturum, quod duxeris acceptandum auctoritate nostra expectas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis provisionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Vienne, VIII Kalendas Martii, pontificatus nostri Anno Septimo.

692

1312 febrer 22, Viena (del Delfinat)

Climent V mana al degà i al sagrista de Barcelona i al mestre Nicolau de Fractis, canonge de Patres, que facin entrar Pere Comte, rector de l'altar de Sant Marc de l'església de Barcelona, en la possessió d'aquest altar.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-200.
B Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-201.
a Existeix fil de cànem *B*. Butlles perdudes.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. decano ac .. sacriste Barchinonensis et magistro Nicolao de Fractis canonico

FUNDACIÓ NOGUERA

Patracensis ecclesiarum litterarum nostrarum correctori salutem et apostolicam benedictionem. Laudabile testimonium quod dilecto filio Petro Comitis rectori altaris sancti Marci in ecclesia Barchinonensi de vite ac morum honestate aliisque virtutum meritis perhibetur exposcit ut ad personam suam nostre liberalitatis dexteram extendamus. Cum itaque predictum altare per liberam resignationem dilecti filii magistri Petri de Viridario archidiaconi Maioricensis procuratoris dilecti filii Symonis de Sexano canonici Gerundensis olim rectoris dicti altaris ad hoc ab ipso Symone specialiter constituti in manibus dilecti filii nostri Arnaldi tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis sancte Romane ecclesie vicecancellarii apud sedem apostolicam factam et ab eo de mandato nostro receptam apud sedem ipsam tunc vacare nosceretur, de quo nullus preter nos disponere poterat pro eo quod nos dudum ante vacationem huiusmodi omnia beneficia ecclesiastica apud dictam sedem tunc vacantia et inantea vacatura donationi nostre duximus reservanda, decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Nos volentes dicto Petro premissorum intuitu gratiam facere specialem, predictum altare sic vacans cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica sibi auctoritate contulimus et providimus etiam de eodem, decernentes prout erat irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum esset hactenus vel contingeret imposterum attemptari, non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales eiusdem sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus dictum Petrum in ipsius altaris assecutione volumus anteferri, sed nullum eis per hoc quo ad aliorum beneficiorum assecutionem preiudicium generari, aut si aliquibus communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint sive quod de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem presentationem vel aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel spetiali cuiuscunque tenoris existat, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore debeat in nostris litteris fieri mentio spetialis. Sive quod idem Petrus perpetuam capellaniam ecclesie de Senteyls Gerundensis diocesis obtinet ac beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collationem presentationem vel aliam quamcunque dispositionem

FUNDACIÓ NOGUERA

dilecti filii .. prepositi monasterii Salsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis pertinens proximo vacaturum, quod duxerit acceptandum auctoritate nostra expectat. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Petrum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem altaris iurium et pertinentiarum predictorum indicatis auctoritate nostra et defendatis inductum amoto exinde quolibet detentore, facientes eidem Petro de ipsius altaris fructibus redditibus proventibus iuribus et obtinentibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Vienne, VIII Kalendas Marcii, pontificatus nostri Anno Septimo.

693

1312 març 20, Viena (del Delfinat)

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que enviï els seus legats al seu germà Frederic II, rei de Trinàcria, amb motiu de fer-lo desistir dels seus propòsits d'atacar el rei Robert de Sicília (Nàpols).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 54.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, I, p. 281, doc. 196 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 195, doc. 372.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 74, doc. 5053.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostri apostolatus auditum non sine grandi admiratione pervenit, quod licet inter carissimos in Christo filios nostros Robertum Sicilie et Fredericum Trinaclie reges illustres germanum tuum dudum pacis federa propriis iuramentis ac confirmationis apostolice robore stabilita inita fuisse voluntarie dinoscantur, idem tamen rex Trinaclie federa ipsa infringere moliens preparato armati navigii apparatu contra regem Sicilie predictum et regnum ipsius, quod nostrum et ecclesie Romane peculiare patrimonium existit, suos quod credere non valemus proponit exercere conatus, ex quo si quod absit evenire

FUNDACIÓ NOGUERA

contineret tanto nobis acerbioris turbationis materiam ministraret, quanto ipsum ac regem et regnum prefatos altiori mente diligimus et quanto avidius quietis ipsorum tranquilla tempora concupivimus. Propter quod prefatum regem Trinaclie per litteras nostras rogamus et hortamur attente, ut a quibuslibet actibus, per quos ipsorum regis et regni detrahi possit comodis vel quieti aut offerri aliquod nocumentum eisdem pro nostra et apostolice sedis reverentia prorsus abstineat neque per se vel alium seu alios eisdem regi seu regno per mare vel terram inferat vel inferri permittat, quantum in eo fuerit, novitatem. Cum igitur de te certam sicut de ipsius ecclesie filio speciali confidenciam habeamus, quod honorem eiusdem ecclesie inter alios principes orbis terre catholicos efficax zelator existas et absque dubitatione credamus, quod tue circumspectionis alta prudencia plene novit attingere, quam gravia scandala ex violatione pacis huiusmodi possunt emergere quantave animarum pericula et quanta personarum et bonorum dispendia provenire et quam graviter tuis et inclite domus tue per hoc detrahi posset honoribus, regalem magnificentiam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus premissis necnon et confederationibus ac parentelis, per quas estis tu et idem rex Trinaclie cum dicto rege Sicilie colligati, sollicita consideratione discussis eundem regem Trinaclie per tuos sufficientes nuntios speciales ad eum celeriter propter more periculum destinandos a premissis salubriter revocas et tue exhortationis funiculo retrahere non omittas et nichilominus consiliarios regis eiusdem et alios, de quibus videris expedire, per eosdem tuos nuntios et spetiales litteras exhorteris, quod regem eundem a premissis studeant revocare. Sic igitur in predictis te promptum voluntarium et studiosum exhibeas, quod in hac parte tui operis ministerio virtuoso nostris et eiusdem ecclesie affectibus satisfiat et ex laboribus regiis sicut pro certo speramus et credimus delectabilis fructus pacis et uberes colligamus et proinde magnificentiam tuam dignis valeamus in domino laudibus commendare.

Dat. Vienne, XIII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Septimo.

694

1312 maig 19, Bolena

Climent V mana a l'ardiaca de Mallorca, al sagristà de Barcelona i al mestre Nicolau de Fractis, canonge de Patres, que tinguin cura per assignar la capellania de l'església de Vilademuls, vacant des de fa poc per la consagració de Guillem (de Vilamarí) com a bisbe de Girona, a Pere Comte, rector de l'altar de Sant Marc de l'església de Barcelona.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-203.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. archidiacono Maioricensis et .. sacriste Barchinonensis ac magistro Nicolao de Fractis canonico Patracensis ecclesiarum litterarum nostrarum correctori salutem et apostolicam benedictionem. Laudabile testimonium quod dilecto filio Petro Comitis rectori altaris sancti Marchi in ecclesia Barchinonensi de vite et morum honestate aliisque virtutum meritis perhibetur exposcit ut ad personam suam nostre liberalitatis dexteram extendamus. Cum itaque perpetua capellania ecclesie de Villamulorum Gerundensis diocesis quam dilectus filius Guilelmus electus Gerundensis obtinere dinoscitur per ipsius electi consecrationem vacare crederetur in brevi. Nos volentes eidem Petro huiusmodi meritorum suorum obtentu necnon et consideratione dilecti filii nostri Arnaldi tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis sancte Romane ecclesie vicecancellarii pro ipso familiari suo nobis super hoc humiliter supplicantis gratiam facere specialem, capellaniam predictam conferendam dicto Petro cum per eandem consecrationem vel alio modo vacaverit cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice duximus reservandam districtius inhibendes illi vel illis ad quem vel ad quos dicte capellanie collatio vel alia dispositio pertinet, ne de illa contra huiusmodi reservationem nostram disponere quoquomodo presumerent ac decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales vel speciales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus quo ad alia beneficia nullum per hoc preiudicium generetur aut si aliquibus a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel aliam dispositionem pertinentibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia prefate sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in eisdem nostris litteris mentio specialis. Sive quod predictus Petrus altare sancti Marci predictum noscitur obtinere ac beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura spectans ad collationem presentationem vel quamcumque aliam dispositionem dilecti filii .. prepositi monasterii Celsonensis

FUNDACIÓ NOGUERA

per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis quod duxerit acceptandum expectat. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios dictam capellaniam per nos taliter reservatam cum illam ut premittitur vacare contigerit cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem capellanie iurium et pertinentiarum predictorum et defendentes inductum, amoto exinde quolibet detentore, sibique facientes de ipsius capellanie fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si aliquibus a prefata sit sede indultum, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Abolene Tricastrine diocesis, XIIII Kalendas Iunii, pontificatus nostri Anno Septimo.

695

1312 maig 19, Bolena

Climent V atorga a Pere Comte, rector de l'altar de Sant Marc de l'església de Barcelona, la capellania de l'església de Vilademuls de la diòcesi de Girona, vacant des de fa poc per la consagració de Guillem (de Vilamarí), bisbe electe de Girona.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-204.
a Butlla perduda.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Petro Comitis rectori altaris sancti Marchi in ecclesia Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Laudabile testimonium quod tibi de vita ac morum honestate aliisque virtutum meritis perhibetur, exposcit ut ad personam tuam nostre liberalitatis dexteram extendamus. Cum itaque perpetua capellania ecclesie Villahulorum Gerundensis diocesis quam dilectus filius Guilelmus electus Gerundensis obtinere dinoscitur, per ipsius electi consecrationem vacare credatur in brevi, nos volentes tibi huiusmodi tuorum meritorum obtentu necnon et consideratione dilecti filii nostri Arnaldi tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis sancte Romane ecclesie vicecancellarii pro te familiari suo nobis super hoc humiliter supplicantis gratiam facere specialem capellaniam predictam conferendam tibi cum per eandem consecra-

FUNDACIÓ NOGUERA

tionem vel alio modo vacaverit cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes illi vel illis ad quem vel ad quos dicte capellanie collatio vel alia dispositio pertinet, ne de illa contra huiusmodi reservationem nostram disponere quoquomodo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales vel speciales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus quo ad alia beneficia nullum per hoc preiudicium generatur, aut si aliquibus a predicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel aliam dispositionem pertinentibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia prefate sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Sive quod altare sancti Marchi in ecclesia Barchinonensi nosceris obtinere ac beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura spectans ad collationem presentationem vel quancumque aliam dispositionem dilecti filii .. prepositi monasterii Celsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis, quod duxeris acceptandum expectas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis reservationis inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Abolene Tricastrine diocesis, XIIII Kalendas Iunii, pontificatus nostri Anno Septimo.

696

1312 maig 29, Groseau (Malaucena)

Climent V dispensa el noble Joan (Manuel), fill de l'infant Joan Manuel i la seva muller Constança, filla del rei Jaume II d'Aragó, de l'impediment de consanguinitat en quart grau, que ignoraven quan van contraure matrimoni.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 55.
a Butlla amb fil de seda.
b *Regestum Clementis V*, VII, p. 85, doc. 7960.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 195-196, doc. 373.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 76, doc. 5058.

CLEMENS V episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Iohanni nato quondam Emanuelis filii clare memorie Fernandi regis Castelle ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Constantie nate carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris eiusdem Iohannis uxori salutem et apostolicam benedictionem. Romani pontificis precellens auctoritas fungens iuxta conditionem personarum et temporum concessa sibi desuper potestate rigorem nonnunquam mansuetudine temperat et quod negat iuris severitas de gratia benignitatis indulget, prout in deo conspicit salubriter expedire, nonnulla quandoque de benignitatis gratia concedendo personis generositate sublimibus que merito forent aliis deneganda. Porrecta siquidem nobis carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris patris tui filia Constantia pro vobis petitio continebat, quod nos olim ad ipsius regis supplicationis instantiam ut due ex filiabus dicti regis quas vellet cum hiis qui ab eis vel a quibus ipse tertio consanguinitatis vel affinitatis gradu distarent et ipsi cum illis matrimonium licite contrahere possent impedimento quod ex huiusmodi consanguinitate vel affinitate proveniebat nequaquam obstante auctoritate apostolica de potestatis plenitudine duximus dispensandum, idemque rex postmodum credens vos affinitatis dumtaxat huiusmodi tertio gradu fore coniunctos ex huiusmodi dispensationis vigore te prefatam Constantiam tibi fili Iohannes tradidit in uxorem sicque inter vos publice in facie ecclesie matrimonium contraxistis. Verum quia postmodum est compertum quod vos nedum in eodem affinitatis sed etiam in quarto consanguinitatis gradibus vobis invicem attinetis quod idem rex tuque prefata Constantia ignorabatis ante contractum matrimonium supradictum propter quod absque dispensationis apostolice gratia non potestis in dicto matrimonio licite remanere, prefatus rex ex parte vestra nobis humiliter supplicavit ut providere vobis super hoc per oportune dispensationis benefitium de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque dicti regis ac vestris supplicationibus inclinati vobiscum ut impedimento quod etiam ex huiusmodi consanguinitate provenit non obstante in eodem matrimonio remanere licite valeatis eadem auctoritate dispensamus, prolem siqua suscepta sit ac suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam decernentes de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario

FUNDACIÓ NOGUERA

contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, IIII Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Septimo.

697

1312 juliol 18, Groseau (Malaucena)

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que faci ús de la seva valença perquè la pau signada per mediació seva i el rei Dionís de Portugal entre Ferran IV de Castella i Alfons (de la Cerda) sigui observada fidelment i obligui aquell a aturar l'avançament per terres d'aquest i restitueixi les que ha ocupat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 50.
a Butlla reaprofitada amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 196, doc. 374.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 77, doc. 5061.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quoniam inter fidei orthodoxe cultores pacis comoda querimus et fomites extinguere nitimur odiorum exultamus in domino, carissime fili, cum de laborum tuorum operibus virtuosis gaudia pacis grata proveniunt eiusque fructus tribulis discordiarum evulsis in iustitia colliguntur. Habet siquidem dilecti filii nobilis viri Alfonsi de Castella consanguinei carissimi in Christo filii nostri .. regis Castelle illustris nuntiorum assertio, quod licet inter eundem regem et prefatum Alfonsum tuis et carissimi in Christo filii nostri .. regis Portugalie illustris mediantibus studiis super certis discordiis inter prefatum regem Castelle ipsumque Alfonsum tunc temporis suscitatis quedam compositio pro pace inter eosdem regem Castelle et Alfonsum stabiliter conservanda intervenisse noscatur. Idemque rex Castelle in compositione ipsa certas terras francas et liberas et ab omni dominio et iurisdictione sua et successorum suorum exemptas omnino eidem Alfonso cum mero et mixto imperio concessisset et promisisset prestito iuramento compositionem et concessionem easdem inviolabiliter observare prout in instrumento publico inde confecto tua et dicti regis Portugalie bullis plumbeis roborato plenius continetur. Postmodum tamen idem rex Castelle aliquas de terris eisdem absque rationabili causa per violentiam occupavit et cotidie residuas alias occupat minus iuste. Profecto si

FUNDACIÓ NOGUERA

ad dilatationem catholice fidei eiusdem regis Castelle sicut speramus et credimus desideria diriguntur, si ad inimicorum eiusdem perfidiam conterendam invigilant, sibi non expedit quod eundem Alfonsum cuius regalis prosapie gloriosa progenies dedit ortum natalibus provocet iniuriis vel offensis, sed potius sue celsitudini convenit, ut eo amplius ipsum et alios per quos sibi contra inimicos eosdem potest robur fortitudinis adaugeri ad beneplacita sua benignis favoribus et promotionibus fructuosis alliciat, quo facilius eisdem assistentibus sibi viriliter adversus inimicorum ipsorum obtinere poterit feritatem. Cum igitur nos prefatum regem Castelle per nostras litteras rogandum duxerimus attentius et hortandum, ut inviolabiliter eandem compositionem observans easdem terras, quas ut premittitur occupavit, nobili predicto restituat et ab aliarum occupatione desistat, nullam ei super illis imposterum molestiam illaturus celsitudinem regiam rogamus et hortamur attentius, quatinus provida meditatione considerans sicut per dictas litteras eidem regi considerandum suggessimus, quanta dulcedine suaves et uberes fructus pacis quos per stabilitatem composicionis huiusmodi speramus auctore domino proventuros gustus regis eiusdem frequentius delectabunt quantave dicto regi regnoque suo comoda grata provenient et quot bonorum salubria incrementa succrescent, quatinus etiam violatio compositionis eiusdem ad quam observandam si per eundem regem Castelle quod absit eam infringi contingeret, memoratus Alfonsus se diceret forsitan non teneri, bonorum nocumenta produceret, quot pareret personarum pericula et quot animarum dispendia germinaret apud eundem Castelle regem, quod compositionem predictam observans et terras predictas iam per eum ut premittitur occupatas eidem Alfonso restituens ab aliarum occupatione prorsus abstineat et nullam ei deinceps molestiam inferat super illis pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia et consideratione iustitie studia regalis sollicitudinis interponas. Ita quod eisdem nocumentis periculis et dispendiis solertis tui ministerii virtute subductis Alfonsi predicti iustitia illibata servetur nullaque valeat inter ipsos turbationis suboriri materia odium vel scandalum paritura, quinimmo pacis iocunde votiva concordia perseveret. Nosque preter divine retributionis premium quod inde mereberis magnitudinem regiam dignis in domino laudibus attollamus.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, XV Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Septimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

698

1312 agost 6, Groseau (Malaucena)

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que porti a la pràctica els processos i sentències contra els venecians, fugitius i establerts en les seves terres, no portats a efecte abans per causa de la guerra contra els sarraïns per conquerir Almeria.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 51.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 196, doc. 375.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 77, doc. 5062.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Regalis celsitudinis litteris nuper affectione consueta receptis inter cetera ex tenore collegimus earundem, quod processus et sententias adversus quondam .. ducem et commune Venetiarum per nos ratione civitatis nostre Ferrariensis eiusque comitatus territorii et districtus habitos et prolatas, tibi iamdudum ex parte nostra fore transmissos et ut eosdem processus et sententias faceres contra eos ipsorumque bona inviolabiliter observari nostrarum precum et exhortationum instantiam iamdudum dum in procintu itineris versus terram Almarie contra perfidam Saracenorum nationem existeres recepisse regie mentis memoria recolebat. Sed tu gentium tuarum que mercationes suas in Venetiarum partibus exercebant, volens indempnitatibus et periculis precavere significare eisdem gentibus ordinasti, ut se et sua ab eisdem partibus elongarent, cum tue intentionis existeret preces et exhortationes huiusmodi efficaciter adimplere. Interim autem negotio quod contra prefatam Almarie terram tunc assumpseras occupatus et variis circa illud solicitudinibus distractus et curis et demum versus terram ipsam tuos dirigens equitatus sicque absens a tuis regnis et terris exequi, quod circa observationem processuum et sententiarum ipsarum per preces et hortationes huiusmodi nostra postulabat deliberatio nequivisti. Te quoque ad regnum tuum de terra redeunte predicta tum quia non fuit qui te super negotio solicitaret eodem tum etiam quia pervenerat ad tue serenitatis auditum, quod Veneti supradicti saniori ducti consilio ad nostram et ecclesie Romane obedientiam devote redierant procedere ad observationem processuum et sententiarum huiusmodi hactenus omisisti. Verum carissime fili regios affectus desiderans nostris beneplacitis conformare per easdem nobis litteras intimasti, quod noviter tuorum quos ad nostram et concilii generalis presentiam miseras nuntiorum relatione percepto, Venetos ipsos in sua duritia et malitia perdurare nostrique fore beneplaciti

FUNDACIÓ NOGUERA

ut totaliter preces et exhortationes exequaris easdem ad executionem processuum et sententiarum huiusmodi contra Venetos eosdem et bona sicut iam eisdem Venetis per tuas litteras duxeras intimandum efficaciter procedere disponebas. Nos igitur excusationes huiusmodi quas de puritate multe devotionis prodire percepimus benignius admittentes tuamque super hiis magnitudinem commendantes cum actionibus gratiarum magnificentiam regiam rogamus et hortamur attentius, quatinus processus et sententias supradictos contra Venetos memoratos facias per regnum et terras tua et alibi quantum in te fuerit inviolabiliter observari. Ita quod nos et eadem Romana ecclesia mater tua qui sicut in filio benedictionis in te secure quiescimus semper gratos letitie fructus et uberes ex tuis actionibus colligamus et nos et eadem ecclesia delectemur assidue in tue serenitatis honoribus extollendis.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, VIII Idus Augusti, pontificatus nostri anno Septimo.

699

1312 agost 23, Groseau (Malaucena)

Climent V exhorta el rei Jaume II d'Aragó, el primer dia hàbil del pròxim febrer, perquè li enviï emissaris amb informes sobre els béns de l'orde del Temple de Jerusalem i així donar-los aplicació definitiva, ja que els pertanyents a Hispània, per decret del Concili General de Viena, quedaren exceptuats de la seva entrega a l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem fins sentència definitiva.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 52.
a Butlla amb fil de cànem.
b *Regestum Clementis V*, VII, p. 334-336, doc. 8862.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 197, doc. 376.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 78, doc. 5064.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum fili carissime sicut te latere non credimus, cum iam sit eminus et cominus per diversa mundi climata notorie divulgatum, ordinem domus Militie Templi Ierosolimitani eiusdemque ordinis statum habitum atque nomen non sine cordis amaritudine et dolore sacro approbante concilio in civitate Viennensi disponente domino celebrato non per modum diffinitive sentencie, cum eam super hoc secundum inquisitiones et processus super hiis habitos non possemus

FUNDACIÓ NOGUERA

ferre de iure, sed per viam provisionis seu ordinationis apostolice propter rationes et causas in ipsa nostra provisione contentas irrefragabili et perpetuo valitura sustulimus sanctione, universa bona ordinis prelibati apostolice sedis ordinationi et dispositioni auctoritate apostolica reservantes.[5] Sane nobis et fratribus nostris conferentibus ac deliberantibus invicem, quid de bonis ipsis ordinari et disponi deberet et super hoc ineuntibus ardua morosa et diversa consilia et tractatus cum prelatis et nonnullis aliis personis ecclesiasticis tunc in ipso concilio constitutis, tue magnitudinis nuncii propositis in nostra et predictorum fratrum presentia certis causis te contingentibus cum instantia supplicarunt, ut de bonis quondam dicti ordinis Militie Templi in regno et terris tuis consistentibus, donec de causis essemus informati predictis, nichil ordinare vellemus. Porro licet nostra et predictorum fratrum nostrorum prelatorum ac aliarum ecclesiasticarum personarum finalis deliberatio in hoc pluribus iustis causis suadentibus resideret, ut bona omnia quondam dicti ordinis Militie Templi ubicunque sistencia ordini Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani et ipsi Hospitali ac dilectis filiis .. magistro et fratribus Hospitalis eiusdem nomine Hospitalis et ordinis eorundem, qui tanquam athlete domini pro defensione fidei se mortis periculis iugiter exponentes, onerosa nimis et periculosa dispendia continue perferunt in partibus transmarinis, imperpetuum unirentur. Nos tamen in conspectu suo dirigente domino vias nostras sic intendentes pro viribus nostros processus dirigere et matura directione ac "maturitate "directa firmare, quod de apostolica correctione aliquatenus non formident, a concessione unione et incorporatione bonorum omnium quondam dicti ordinis Militie Templi ubicunque sistentium, tunc predicto ordini Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani et ipsi Hospitali imperpetuum dicto approbante concilio per nos factis, bona quondam dicti ordinis in tuis predictis Castelle Portugallie et Maioricarum regum regnis et terris consistentia, exceptis illis que idem rex Maioricarum extra regna predicta noscitur obtinere, pro quibus similis nobis supplicatio facta fuit, signanter providimus excludenda. Quia igitur fili non decet nec expedit nos circa ordinationem de bonis predictis in regno et terra tua sistentibus salubriter faciendam, diutius in suspenso teneri, primam diem iudiciam mensis Februarii proximo venturi peremptorium tibi terminum assignamus, ut in illo per procuratores seu nuncios ydoneos a te plenum et speciale mandatum habentes cum omnibus rationibus et munimentis ad causas pertinentibus memoratas apostolico con-

5. "Vox in excelso", 22 de març de 1312; "Ad providam Christi", 2 de maig de 1312, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 336-343, 343-346; *Regestum Clementis V*, VII, p. 65-68, doc. 7885; BARBICHE, *Les actes pontificaux,* III, p. 83-84, doc. 2435.

FUNDACIÓ NOGUERA

spectui te presentes, informaturus nos de causarum veritate et efficatia earundem nostreque super illis ordinationis beneplacitum auditurus. Nos enim extunc sive procuratores aut nuntios miseris sive non et de causis ipsis non docueris, ut prefertur, cum nolimus ordinationem de bonis predictis faciendam ulterius prorogari, ad ordinandum de illis prout honori dei et utilitati terre sancte viderimus expedire, divina favente clementia procedemus.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, x Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Septimo.

700

1312 octubre 15, Avinyó

Climent V mana al major i a l'ardiaca de Tremp i al sagristà d'Urgell decidir la qüestió entre el prepòsit i el convent del monestir de Solsona de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell, i l'abat i el convent del monestir de Bellpuig de l'orde dels premonstratesos, amb els laics Pericó Cortit, Pere de Palau i Guillem Mercer sobre les dècimes, molins, possessions i altres coses; els insta a no dictar cap censura eclesiàstica sense manament de la Seu Apostòlica.

A Solsona, Arxiu Diocesà, Butlles i lletres pontifícies, núm. 12.
a Butlla perduda.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. maiori et .. de Tremp archidiaconis ac .. sacriste Urgellensis ecclesie salutem et apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis .. prepositus et conventus monasterii Celsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis, quod .. abbas et conventus monasterii de Bellopodio Premonstratensis ordinis, Pereconus Cortici, Petrus de Palatio et Guil(e)l(mu)s Mercerii laici dicte diocesis super quibusdam decimis molendinis possessionibus et rebus aliis iniuriantur eisdem. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audiatis causam et appellatione remota debito fine decidatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, Idus Octobris, pontificatus nostri anno Septimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

701

1312 desembre 18, Avinyó

Climent V mana al bisbe de Lleida (Ponç d'Aguilaniu), a l'ardiaca de Ribagorça i al sagristà de l'església de Lleida, investigar la legitimitat del recurs presentat a la Santa Seu per l'abat i els monjos de Sant Serni de Tavèrnoles contra el dret de visita del visitador diocesà, Pere Bos, canonge de Tarassona, nomenat per l'arquebisbe de Tarragona (Guillem de Rocabertí) al·legant la seva condició de monestir exempt de la jurisdicció episcopal i immediatament subjecte a la Santa Seu.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Plica retallada. Butlla perduda.
b BARAUT, *Diplomatari del monestir de Sant Sadurní de Tavèrnoles*, p. 331-332, doc. 296.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Ilerdensi et dilectis filiis .. archidiacono Ripecurcie ac .. sacriste ecclesie Ilerdensis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis .. abbas et conventus monasterii sancti Saturnini de Tavernulis ad Romanam ecclesiam dumtaxat pertinentis ordinis sancti Benedicti Urgellensis diocesis petitione monstravit quod cum Petrus Bos canonicus ecclesie Tirasonensis asserens quod nos venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Terraconensi loci metropolitano duxeramus per nostras sub certa forma litteras indulgentum, ut ecclesias monasteria et alia loca ecclesiastica sue provincie in quibus sibi visitationis officium competeret, de consuetudine vel de iure posset per se vel per alium usque ad certi temporis spatium visitare et procur[ationes] visitationis huiusmodi sibi debitas in pecunia recipere numerata qualibet constitutione super hoc contraria [...] dictus archiepiscopus ipsum ad huiusmodi visitationis officium exercendum in dicta diocesi deputaret, dictis abba[ti et conventui] mand[avi]sset ut ipsum ad visitandum in monasterio predicto reciperent eique procurationem ratione canonica visitationis huiusmodi [de]bitam exhiberent. Ex parte ipsorum abbatis et conventus fuit coram eodem canonico excipiendo propositum, quod cum dictum monasterium sancti Saturnini cum personis in eo degentibus esset ab omni iurisdictione ipsius archiepiscopi et cuiuslibet alterius iudicis ordinarii necnon a quarumlibet procurationum prestatione per speciale privilegium apostolice sedis exemptum et eidem sedi immediate subiectum, essentque iidem abbas conventus et monasterium in possessione vel quasi huiusmodi libertatis prout per exhibitionem ipsius privilegii et alias erant legitime probare parati, eundem canonicum pretextu predictarum litterarum in quibus de huiusmodi privilegio nulla mentio habebatur nec aliqua clausula erat

FUNDACIÓ NOGUERA

inserta, per quam privilegio derogaretur eidem ad huiusmodi visitationis officium in dicto monasterio exercendum admittere sibique predictam procurationem exhibere minime tenebantur et ad id de iure compelli non poterant nec debebant, et quia dictus canonicus huiusmodi exceptionem admittere contra iustitiam denegavit, ipsi sentientes ex hoc indebite se gravari ad sedem apostolicam appellarunt. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, XV Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Octavo.

702

1312 desembre 31, Avinyó

Climent V comunica a Berenguer de Roqueta, rector de la parròquia de Sant Vicenç de Miravet i de les esglésies dependents de la diòcesi de Tortosa, que revoca les donacions dels fruits, rèdits i productes de la terra fetes anteriorment a l'orde del Temple de Jerusalem, i es reserva la disposició d'aquestes, les hi concedeix i a més poden retenir-les durant tota la seva vida.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, carpeta 28, núm. 19.
a Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, VIII, p. 373, doc. 9883.

CLEMENS (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Berengario dicto Roqueta presbitero rectori parrochialis Sancti Vincentii de Miraveto et dependentium ab eadem ecclesiarum Dertusensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Probitatis tue merita super quibus laudabile tibi perhibetur testimonium nos inducunt, ut ad personam tuam nostre provisionis dexteram extendamus. Cum itaque parrochialis sancti Vincentii de Miraveto et dependentes ab ea ecclesie Dertusensis diocesis, quarum fructus redditus et proventus septuaginta librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime valorem annuum, ut asseris, non excedunt, olim ad quondam ordinem Militie

FUNDACIÓ NOGUERA

Templi Ierosolimitani tempore quo in generali concilio Viennensi[6] per nos pridem disponente domino celebrato predictum ordinem certis ex rationabilibus causis substulimus cassavimus et perpetue prohibitioni subiecimus pleno iure pertinens, cui per eiusdem ordinis fratres presbiteros consueverat deserviri, per huiusmodi sublationem cassationem et prohibitionem vacare dicatur ad presens, de qua nullus preter nos disponere potest, pro eo quod nos tempore sublationis cassationis et prohibitionis predictarum omnia bona tunc ad ordinem ipsum spectantia in illis partibus consistentia dispositioni nostre et sedis apostolice duximus reservanda. Decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Nos volentes tibi huiusmodi tuorum meritorum obtentu gratiam facere spetialem, predictas ecclesias cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, si quod de ipsarum ad dictum ordinem pertinentia consuetudine vacatione ac valore proponitur, veritate fulcitur, apostolica tibi auctoritate concedimus per te quo advixeris retinendas, decernentes prout est irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum est hactenus vel contigerit imposterum attemptari. Non obstante qualibet prefate sedis indulgentia generali vel spetiali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio spetialis. Per huiusmodi autem concessionem tibi factam illi vel illis, ad quem vel ad quos eadem bona ex dicte sedis donatione seu concessione pervenire contigerit, nullum super dictis ecclesiis si ad eos ex huiusmodi donatione seu concessione quoquomodo spectare debebunt, preiudicium generetur, quominus eedem ecclesie te cedente vel decedente aut eas alias quomodolibet dimittente ad illos libere iuxta donationem seu concessionem perveniant antedictam. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Octavo.

6. "Vox in excelso", 22 de març de 1312, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* p. 336-343.

FUNDACIÓ NOGUERA

703

1313 març 19, Avinyó

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, l'exhorta i li requereix, que empari els drets del bisbe Ximeno (Martínez de Luna) de Saragossa i de la seva església contra les pretensions dels nobles i laics que contínuament li promouen plets a la cúria reial, per qüestió dels límits en les seves possessions.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 58.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 197, doc. 377.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 81, doc. 5073.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Habemus de te certam carissime fili fiduciam et habetur opinio generalis, quod tu tanquam princeps catholicus dei ecclesiam sincero affectu diligis et personas ecclesiasticas presertim pontificali preditas dignitate protegis et honoras, propter quod cum expedit pro libertate ac defensione ipsarum celsitudini regie fiducialiter porrigimus preces nostras credentes apud te illas exauditionis gratiam invenire. Habet siquidem venerabilis fratris nostri Eximini episcopi Cesaraugustani assertio, quod ipse plerumque pro bonis temporalibus et iuribus ecclesie sue Cesaraugustane recuperandis conservandis ac etiam defendendis necesse habet et oportet eundem cum baronibus et aliis nobilibus militibus et laicis regni tui in regia curia et alibi coram officialibus regiis super limitibus locorum ecclesie sue ac possessionum et libertatum ac aliorum iurium ipsius in iudicio experiri suamque iustitiam prosequi contra illos. Serenitatem itaque regiam rogamus hortamur et requirimus ex affectu, quatinus apostolice sedis beneplacitis te conformans ac predictum episcopum et ecclesiam sibi commissam habens super premissis pro nostra et eiusdem sedis reverentia favorabiliter commendatos non permittas eum per aliquem seu aliquos dicti regni molestiis aut vexationibus indebitis molestari, sed ipsum et eandem ecclesiam ac alia bona et iura ipsius in sua iustitia manuteneas et defendas illisque in hiis et similibus favorem regiam exhibeas in suis oportunitatibus gratiosum, ita quod ex hoc deo reddaris acceptior apostolice sedi complaceas et mereatur extolli dignis in domino laudibus nomen tuum.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Octavo.

FUNDACIÓ NOGUERA

704

1313 maig 14, Castellnou del Papa (d'Avinyó)

Climent V comunica al rei Jaume II d'Aragó que després de rebre els seus emissaris, els cavallers Vidal de Vilanova i Bernat de Pont i el doctor en lleis Dalmau Pont, i escoltats els seus informes sobre els béns de l'orde del Temple, li prega que li enviï Ponç de Castelló, capellà seu, canonge i cambrer de l'església de Carcassona, amb instruccions sobre ells.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 59.
a Plica i marge superior retallats. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 198, doc. 378.

Clemens (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Super negotio bonorum quondam ordinis Militie Templi in tuis regnis et terris consistentium pro quo dilectos filios Vitalem de Villanova et Bernardum de Ponte milites ac Dalmacium Pontom legum doctorem tue serenitatis nuntios ad sedem apostolicam destinasti, dilectum filium Poncium de Castellione canonicum et camerarium ecclesie Carcassonensis capellanum nostrum virum utrique providum et discretum, de cuius industria plene confidimus in hac parte ad tuam magnificentiam duximus destinandum, cui super hiis que tibi fili carissime ex parte nostra retulerit circa predicta fidem velis indubiam adhibere.

Dat. apud Castrum novum Avinionensis diocesis, II Idus Maii, pontificatus nostri anno Octavo.

705

1313 juny 12, Castellnou del Papa (d'Avinyó)

Climent V promulga sentència d'excomunió, entredit i pèrdua de privilegis contra aquells que envaeixin el regne de Sicília i terres més enllà del Far o prestin concurs a la flota o l'exèrcit que es prepara contra el seu rei Robert de Sicília (Nàpols).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 56.
a Butlla reaprofitada amb fil de seda.
b *Regestum Clementis V*, VIII, p. 450-451, doc. 10021.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 198, doc. 379.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 81, doc. 5075.

FUNDACIÓ NOGUERA

CLEMENS V EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Inter cetera quorum nos cura sollicitat, illa precipue meditatio mentem nostram occupat illaque nos sollicitudo fatigat, ut ecclesie Romane bonis et iuribus in sua stabilitate servatis status eius preservetur a noxiis, salubria semper incrementa suscipiat et nostre ministerio servitutis copiose pacis affluat ubertate. Nuper siquidem a pluribus fidedignis, quorum auditui innotuisse dinoscitur, intellecto quod nonnulli multorum in diversis locis et partibus preparabant stolium galearum et alios faciebant bellicos apparatus, ac ex coniecturis suspicarentur variis, ad regnum Sicilie seu terram citra Farum, que de regno ipso fore dinoscitur queve ad nos et Romanam ecclesiam pertinent pleno iure et que carissimus in Christo filius noster Robertus Sicilie rex illustris noster et ecclesie predicte vassallus a nobis et ecclesia predicta tenet in feudum, hostiliter invadendum et offendendum stolium et apparatum huiusmodi, quamvis hoc vix possimus credere, preparari, nos ecclesie prefate ac nobis et regno ac terre predictis, que velut recreationis nostre pomerium delectabiliter intuemur et in apostolici pectoris medio pre multa dilectione portamus et adversus talium molimina providere volentes ac periculis animarum corporum detrimentis bonorum dispendiis et gravissimis scandalis et irreparabilibus incomodis terre sancte, que possent ex hiis si procedi quod absit ab illa contingeret, merito formidari, salubriter obviare, presertim cum simus parati omnibus de ipso rege Sicilie conquerentibus iusticiam exhibere, universis et singulis clericis et laicis cuiuscumque conditionis ordinis status dignitatis vel preeminentie fuerint, etiam si pontificali vel imperiali sive regali aut quacumque alia prefulgeant dignitate, ac universitatibus communitatibus et civitatibus quibuscumque auctoritate apostolica districtius inhibemus et expresse precipimus, ne dictum regnum aut terram seu partem vel aliqua eorum vel alterius eorundem loca per terram vel mare quocumque colore quesito invadere vel offendere aut propter hoc recipere vel exhibere stipendia sive galeas seu alia vasa maritima dare locare comodare aut titulo quocumque concedere seu remigare in eis vel eadem galeas seu vasa conducere quovismodo presumant sive prestare super hiis presumptoribus ipsis auxilium consilium vel favorem directe vel indirecte publice vel occulte. Nos enim in omnes et singulos, qui contra inhibitionem et mandatum huiusmodi venire presumpserint, etiam si ut predicitur pontificali aut imperiali seu regali vel quavis alia premineant dignitate, de fratrum nostrorum consilio excommunicationis quam eo ipso incurrant sententiam promulgamus eorumque terras et loca et ipsorum et quaslibet alias communitates ac universitates et civitates contra premissa vel premissorum aliquod attemptantes ecclesiastico subicimus interdicto, contra eos nichilominus ad privationem omnium privilegiorum indul-

FUNDACIÓ NOGUERA

gentiarum et gratiarum, que ab eadem Romana necnon et feudorum bonorum honorum officiorum et iurium quorumcumque, que ab ipsa et quibusvis aliis tenent ecclesiis et alias spiritualiter et temporaliter gravius processuri, prout inobedientia eorum exegerit, qualitas facti suaserit et viderimus expedire. Ut autem huiusmodi processus noster ad communem omnium notitiam deducatur, cartas seu membranas processum continentes eundem in ecclesie Avinionensis appendi vel affigi hostiis seu superliminariis faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ita quod omnes et singuli, quos processus ipse contingit et imposterum contingere poterit, nullam postea possint excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Castrumnovum Avinionensis diocesis in palatio ipsius castri, II Idus Iunii, pontificatus nostri anno Octavo.

706

1313 setembre 6, Groseau (Malaucena)

Climent V promulga la sentència d'excomunió, entredit i privació de privilegis contra els invasors del regne de Sicília i terres més enllà del Far o contra els que cooperin a l'allistament de l'esquadra i de l'exèrcit que es forma contra el rei Robert de Sicília (Nàpols).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 57.
a Plica retallada. Butlla perduda.
b *Regestum Clementis V*, VIII, p. 467-470, doc. 10051.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 198-199, doc. 380.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 82, doc. 5076.

CLEMENS (V) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Nuper ad nostram audientiam plurium non contemptibili rumore perlato, quod nonnulli multarum in diversis locis et partibus parabant stolium galearum et alios faciebant bellicos apparatus quodque ipsorum ex certis coniecturis tenebat exorta suspitio, quod ad regnum Sicilie seu terram citra Farum, que de regno ipso fore dinoscitur queve sunt Romane ecclesie patrimonium spetiale ac que carissimus in Christo filius noster Robertus Sicilie rex illustris noster et ecclesie predicte vassallus a nobis et Romana ecclesia tenet in feudum, hostiliter invadendum vel offendendum stolium et apparatus huiusmodi parabantur. Nos ecclesie prefate nobis ac regno et terre

FUNDACIÓ NOGUERA

predictis et adversus talium molimina providere volentes ac periculis animarum, corporum detrimentis, bonorum dispendiis et gravissimis scandalis et irreparabilibus incomodis terre sancte, que possent ex hiis si procedi quod absit ad illa contingeret merito formidari, salubriter obviare, presertim cum essemus parati omnibus de ipso Sicilie rege conquerentibus iusticiam exhibere universis et singulis clericis et laicis cuiuscumque conditionis status ordinis dignitatis vel preeminentie forent, etiam si pontificali vel imperiali sive regali aut quacumque alia dignitate fulgerent ac universitatibus communitatibus et civitatibus quibuscumque auctoritate apostolica districtius inhibuimus et expresse precepimus, ne dictum regnum vel terram aut partem vel aliqua loca eorum vel alterius eorundem per terram vel mare quocumque colore quesito invadere vel offendere aut propter hoc recipere vel exhibere stipendia sive galeas sive alia vasa maritima dare locare comodare aut titulo quocumque concedere seu remigare in eis vel eadem galeas seu vasa concedere quovismodo presumerent sive prestare super hiis presumptoribus ipsis auxilium consilium vel favorem directe vel indirecte, publice vel occulte, in omnes et singulos qui contra inhibitionem et mandatum huiusmodi venire presumerent, etiam si ut predicitur pontificali aut imperiali seu regali aut quavis alia dignitate fulgerent, de fratrum nostrorum consilio excommunicationis, quam eo ipso eos voluimus incurrere, sententiam promulgantes eorumque terras et loca et quaslibet alias communitates ac universitates et civitates contra premissa vel premissorum aliquod attemptantes supponentes ecclesiastico interdicto. Noviter autem ad nostri apostolatus auditum publica fama non absque grandi admirationis causa perducto, quod nonnulli pacis utique emuli, invidi veritatis et odii incentores suum querentes in magnatum forsan turbationibus sabbatismum suaque in alienis dispendiis comoda prosequentes dampnabili presumunt presumptione astruere perversaque persuasione non metuunt suadere, quod nostri processus predicti ad invadentes seu offendentes personam, ut eorum utamur verbis, Roberti nati clare memorie Caroli secundi intra dictum regnum, dummodo tales offensores seu invasores dictum regnum alias non intendant offendere vel invadere, minime se extendunt, nos quamquam vis verborum processuum predictorum et verba nostraque intentio temerariam ipsorum calumpniosamque interpretationem clare confutet et refellat aperte nec profecto apud sane intelligentes vertatur, sicut nec verti debet, in dubium, quin sententie in dictis per nos processibus promulgate etiam ad predictos invasores seu offensores dicti Roberti regis Sicilie intra regnum et terram predicta, quinimmo et ad quorumcumque regnicolarum et aliorum intra dictum regnum existentium invasores seu offensores huiusmodi proculdubio se extendant, talium

FUNDACIÓ NOGUERA

tamen perversa non indigne dogmata dissipantes excusationesque varias et frivolas, quas nonnulli forsan ex prefata interpretatione ad excusandas excusationes in peccatis assumerent evellere cupientes ad cautelam et ex superhabundanti universis et singulis personis ecclesiasticis et secularibus cuiuscumque status conditionis ordinis aut dignitatis vel preminentie fuerint, etiam si pontificali aut imperiali sive regali aut quavis alia quocumque nomine seu titulo censeatur, prefulgeant dignitate, universitatibus quoque communitatibus et civitatibus quibuscumque auctoritate apostolica districtius inhibemus et expresse precipimus, ne regnum aut terram prefata seu aliquam eorum partem aut loca intrare causa invadendi Robertum Sicilie regem predictum seu ipsum aut quemvis alium offendendi intra regnum ipsum seu terram in persona vel rebus seu quovis alio pallio vel colore quesito hostiliter seu manu armata per terram aut mare absque ipsius regis spetiali licentia regnum et terram predicta intrare presumant aut prebere prefatis intrantibus personale vel reale aut quodlibet aliud in premissis auxilium consilium velo favorem directe vel indirecte publice vel occulte. Nos enim in omnes et singulos nullo prorsus excepto cuiuscumque status conditionis ordinis seu dignitatis existant, etiam si pontificali aut imperiali sive regali aut quavis alia quocumque nomine seu titulo censeatur, prefulgeant dignitate, qui regnum aut terram predicta ut premittitur intrare causa invadendi dictum Robertum Sicilie regem seu ipsum aut quemvis alium offendendi in persona vel rebus intra regnum predictum vel alias intrare regnum aut terram predicta hostiliter tamen seu armata manu per terram aut mare absque ipsius regis licentia presumpserint quovis quesito pallio vel colore, licet regnum aut terram prefata se nole alias offendere seu invadere asserant et etiam protestentur vel iam "protestati "fuerint. In prebentes quoque predictis personale vel reale seu quodlibet aliud in premissis auxilium consilium vel favorem directe vel indirecte publice vel occulte, excommunicationis quam eo ipso eum et eos incurrere volumus et in terras eorum et loca necnon et in quaslibet communitates et universitates et civitates contra premissa vel premissorum aliquod facientes interdicti sententias promulgamus, cum hec equidem sine contemptu evidenti iniuria et preiudicio nostris et apostolice sedis, cuius peculiare patrimonium regnum predictum et terra ac rex ipse noster et ecclesie predicte spetialis vassallus ratione regni et terre predictorum fore noscuntur, nequeant attemptari, presertim cum parati simus de rege ipso et in ipsius defectu de predictorum regni et terre incolis et quibusvis aliis intra regnum consistentibus memoratum, cuilibet conquerenti facere, quod iusticia suadebit, contra eos nichilominus ad privationem omnium dignitatum personatuum administrationum et officiorum et aliorum beneficiorum

FUNDACIÓ NOGUERA

ecclesiasticorum obtentorum, etiam si pontificali seu quavis et quantacumque alia dignitate premineant, quocumque nomine censeantur ac inhabilitationem eorum ad quecumque dignitates personatus administrationes et officia ac alia beneficia ecclesiastica obtinenda, privationem quoque privilegiorum indulgentiarum et gratiarum eis a sede apostolica concessorum necnon et feudorum bonorum officiorum et iurium quorumcumque, que a Romana et quibusvis aliis tenent ecclesiis, et alias spiritualiter et temporaliter gravius processuri, prout eorum inobedientia exegerit, qualitas facti suaserit et nobis videbitur expedire. Non obstantibus si eorum aliquibus statui conditioni dignitati ordini seu personis a predicta sede indultum existat, quod generalibus sententiis non ligentur quodque interdici suspendi vel excommunicari non possint etiam per litteras apostolicas, nisi plena et expressa ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi aut eorum propriis nominibus statu conditione dignitate seu ordine in ipsis sententiis mentio habeatur, et quibuslibet aliis privilegiis seu indulgentiis dicte sedis generalibus vel spetialibus quorumcumque tenorum existant, statui conditioni dignitati ordini aut persone concessis seu statutis et consuetudinibus, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta premissarum nostrarum sententiarum effectus posset differri aliqualiter aut quomodolibet impediri, que in premissis omnibus volumus alicui seu aliquibus suffragari, sed omnia quo ad illa decernimus non tenere. Ut autem calumpniosi interpretes et perversi deinceps a similibus interpretationibus saltem pene formidine arceantur, universis et singulis nullo prorsus excepto cuiuscumque conditionis ordinis dignitatis preminentie aut status extiterint, et aliis omnibus superius expressatis, quos hic pro repetitis haberi volumus spetialiter et expresse, districte precipimus et prohibemus expresse, ne huiusmodi seu priores nostros processus et sententias, quos in suo robore volumus permanere, interpretari aut exponere seu intellectum et sensum ipsorum et verborum in ipsis contentorum interpretando vel exponendo malitiose ad aliud quam littera ipsa sonat, distorquere aut in aliquo depravare presumant. Nos enim in universos et singulos contra prohibitionem huiusmodi facere presumentes excommunicationis sententiam promulgamus. Non obstantibus privilegiis vel indulgentiis quibuscumque dignitatibus personis ordinibus aut locis generaliter vel singulariter sub quacumque forma vel expressione verborum concessis cum aliis non obstantibus superius expressatis, que hic pro repetitis spetialiter haberi volumus et expresse. Absolutionem autem sententiarum tam in hiis quam in dictis prioribus nostris processibus contentarum nobis et nostris successoribus mortis articulo dumtaxat excepto spetialiter reservamus. In quo quidem casu licet per iura communia satis super hoc sit provisum, ut tamen om-

FUNDACIÓ NOGUERA

nis hesitatio et calumpnia excludatur, volumus quod si quis forsan predictas iam incurrit sententias vel in futurum incurrerit et ab eis in mortis articulo fuerit absolutus, si postquam convaluerit, quamprimum comode poterit, se nostro seu successorum nostrorum conspectui contempserit presentare, mandatum nostrum seu successorum nostrorum super predictis, pro quibus excommunicatus fuerat, humiliter recepturus et satisfacturus, prout iustitia suadebit, in eisdem sententiis reincidat ipso facto, decernentes quod ad eos, siqui sint qui predictas sententias iam propter invasionem offensionem ingressum regni consilium auxilium vel favorem predicta incurrisse noscuntur vel incurrere contigerit in futurum, generalis indulgentia, que plena plenior ac plenissima nuncupatur, que interdum a summis pontificibus propter grandia persone merita vel alias ratione seu occasione quacumque hactenus est concessa vel imposterum concedetur, aut illa etiam potestas, que interdum aliquibus, quod possint absolvere etiam a casibus seu sententiis per iura vel reservationes summorum pontificum ipsis summis pontificibus vel sedi reservatis apostolice, se ad sententias et causas huiusmodi, nisi de ipsis expressa habeatur mentio, minime se extendant. Ut autem huiusmodi processus noster ad communem omnium notitiam deducatur, cartas seu membranas processum continentes eundem in prioratus Grausello prope Malausanam, ubi moram ad presens trahimus, ac eiusdem loci de Malausana et de Montilio Vasionensis et Carpentoratensis diocesium necnon maiorum Carpentoratensis loco quidem pro nostra curia deputato et Avinionensis ecclesiarum appendi vel affigi hostiis seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonoro preconio et patulo indicio publicabunt, ita quod omnes et singuli, quod processus ipse contingit vel imposterum contingere poterit, nullam postea possint excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere quo ad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus fuerit publicatum.

Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diocesis, VIII Idus Septembris, pontificatus nostri anno Octavo.

707

1313 novembre 27, Castellnou del Papa (d'Avinyó)

Climent V prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que mani restituir les terres del comtat de Pallars, ocupades pels seus oficials Arnau d'His-

FUNDACIÓ NOGUERA

pània, vescomte de Coserans, i el seu fill Roger de Comenge, sobre les quals pledeja amb ells, al noble Hug de Mataplana.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 60.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 199, doc. 381.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 82, doc. 5079.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Licet dudum magnitudini tue super conservatione iuris quod dilecti filii nobiles viri Arnaldus de Ispania vicecomes Conseranensis et Rogerius de Convenis eius filius in terra de Palhariis, de qua inter eos ex parte una et dilectum filium nobilem virum Uguetum de Mataplana controversia ex altera vertitur, habere noscuntur, pluries preces nostras per diversas litteras duxerimus porrigendas, iidem tamen vicecomes et Rogerius ne dum quod sint eorum in hac parte desiderium assecuti, immo sicut per dictum Rogerium fuit expositum coram nobis quidam subditi seu offitiales tui nonnulla loca terre invadentes ipsius illis eosdem Arnaldum et Rogerium per violentiam noviter spoliarunt, eaque detinent pro eorum libito voluntatis in ipsorum preiudicium occupata. Quare celsitudinem tuam rogamus et hortamur attentius, quatinus iuribus dictorum nobilium benigne pensatis et attente considerans quod super hoc te posset imposterum conscientia remordere, dicta loca Arnaldo et Rogerio supradictis pro nostra et apostolice sedis reverentia tuique honoris augmento facias cum integritate restitui et in pace dimitti vel saltem pro terra ipsa ex permutationis causa infra regni tui terminos aliam terram equivalentem, ut eorum non fraudentur iuribus exhiberi. Ita quod Arnaldus et Rogerius antedicti semper in tue benivolentie sinceritate remaneant et ex precibus nostris huiusmodi se gaudeant sperati fructus comodum reportasse.

Dat. apud Castrumnovum Avinionensis diocesis, v Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Nono.

708

1314 gener 7, Monteus

Climent V manifesta al rei Jaume II d'Aragó que per guanyar temps pel perill de guerra a Sicília i terres més enllà del Far li envia Ponç de Lerato, canonge de l'església d'Arle i capellà seu, amb instruccions sobre la qüestió de Sicília.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 61.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 199-200, doc. 382.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 83, doc. 5080.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Celsitudinis tue litteras nobis per venerabilem fratrem nostrum Petrum archiepiscopum Terragonensem exhibitas, per quas tua patebat serenitas eidem fidem super hiis, que nobis ex parte tua proponeret adhiberi solita benignitate recepimus et que idem archiepiscopus proponere voluit diligenter auditis ea pleno percepimus intellectu. Verum attendentes quod mora forsan erat allatura periculum quo ad ea que idem archiepiscopus duxit circa guerram subortam citra Farum et ultra Sicilie proponenda, considerantes quoque quod memoratus archiepiscopus non erat sic mature prout dictum requirebat negotium ad regalem presentiam rediturus, dilectum filium Pontium de Lerato prepositum ecclesie Arelatensis capellanum nostrum plene super premisso articulo de nostris intentione et proposito informatum virum quidem fidelem et providum, de cuius fidelitate super hiis plene confidimus cuiusque relationi circa premissa fidem adhibere te petimus, ad tuam duximus presentiam destinandum, serenitatem regiam exhortantes, ut pro nostra et apostolice sedis reverentia ipsum benigne audiens ad nos expeditum remittere celeriter non ommittas.

Dat. Montiliis Carpentoratensis diocesis, VII Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Nono.

709

1314 gener 14, Monteus

Climent V prega i suplica al rei Jaume II d'Aragó que obligui uns soldats de la Companyia d'Atenes (Gran Companyia), súbdits seus, a retornar als seus propietaris els castells, terres i viles de les quals s'han apoderat i a abandonar el país. Entre alguns desordres comesos per aquests soldats, esmenta l'assassinat de Gualter de Brienne, duc d'Atenes, defensor de l'Església contra els grecs cismàtics, i de la seva vídua Joana de Castelló.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 27, núm. 62.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, II, p. 749-751, doc. 466.
c RUBIÓ I LLUCH, *Diplomatari de l'Orient Català*, p. 82-83, doc. 64.

FUNDACIÓ NOGUERA

d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 200, doc. 383.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 83, doc. 5081.

Clemens V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Abolim clamor validus et multiplicitas querelarum de partibus ducatus Athenarum provenientes apostolicum pulsarunt auditum, immo nos qui sicut in cunctorum fidelium pace quiescimus et tranquillitate letamur, sic in eorum inquietudine et oppressionibus, quas pestilentie inducit hostilitas, multum offendimur, gravissime in intimis perturbarunt. Habet enim eiusdem clamoris iam pluribus annis preteritis continuata et accumulans mala malis assertio, quod nonnulli, qui olim ac partes illas credebantur in favorem fidelium accessisse et a quibus sperabantur eorundem fidelium partes defendi, non exercentes eorum vires in exteros sed in ecclesias et personas ecclesiasticas eosdemque fideles prodholor convertentes in propria catholicorum viscera immisericordi crudelitate deseviunt et in ecclesias ac fideles eosdem eorum conatus illicitos exercentes eisdem gravioris depopulationis iacturam et crudelium hostilitatum insultus non absque personarum excidiis ac ecclesiarum et bonorum ecclesiasticorum et fidelium illarum partium incendiis spoliis et depredationibus inferunt, quam fuissent quantumlibet perversi hostes fidei eisdem fidelibus illaturi, et quod horribilius est, ut licentius possent mala huiusmodi perpetrare, societatem adinvicem contraxerunt, ex quorum quidem consortio quot horrenda provenerint, status illarum partium miserabilis manifestat. Nam inter innumerosa scelera, que in illis partibus perpetrarunt, quondam Gualterum de Brenna ducem Athenarum, qui ad defensionem dictorum fidelium tamquam Christi verus athleta et fidelis pugil ecclesie adversus Grecos scismaticos laborabat, nequiter occiderunt, filios eius pupillos et nobilem mulierem Iohannam de Castellione relictam eius viduam hostiliter impugnantes, bona eorum et ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum multorumque aliorum fidelium illarum partium data in predam et diripientium spolia occuparunt ac in personas tam ecclesiasticas quam alios fideles innumeros funestis exertis gladiis strage data eorum sanguinem immisericorditer effunderunt, a quibus horrendis sceleribus nondum cessant, sed clades cladibus continuate hostilitatis execrandis incursibus dicuntur continue cumulare. Cum itaque maior pars societatis eiusdem de regno tuo traxisse dicatur originem tibique ex eo quod in dicto regno maiorem partem fortunarum suarum ac filios et propinquos ac domicilia habere dicuntur, parituri sperentur tamquam eorum domino temporali et tam celsitudinis tue quam universorum fidelium, quos fidei zelus angit, intersit huiusmodi pestilenti sevitie reproborum solicitis studiis celeribus et oportunis remediis obviare, serenitatem

FUNDACIÓ NOGUERA

regiam rogamus et obsecramus in domino tibi in remissionem peccaminum iniungentes, quatinus pie considerans quam sit meritorum apud deum partes illas cultas fidelibus ac tot sollennes ecclesias et alia innumera pia loca ecclesiasticasque personas partium earundem ab huiusmodi peste et exterminio liberare universis de regno et terris tuis in dicta societate morantibus sub certis temporalibus penis, prout celsitudo tua expedire cognoverit, des per tuas litteras in mandatis ipsos alias salubribus monitionibus et hortationibus inducendo, ut partes illas castra terras et villas ac loca quecumque, que in dictis partibus fidelibus abstulerunt et occuparunt et detinent occupata, ecclesiis et nobilibus aliisque fidelibus illarum partium, quorum esse noscuntur, libera et expedita dimittant, nec deinceps in preiudicium partium illarum societati adhereant supradicte, sed partes ipsas omnino dimittant ad illas in preiudicium fidelium eas habitantium nullatenus reversuri. Preces huiusmodi quas magnitudini tue ex corde dirigimus sic grato et intento percepturus intellectu sicque ad votive exauditionis effectum solicite et efficaciter admissurus, quod preter retributionis eterne premium tibi exinde absque dubio proventurum tue in hac parte pie et perutilis interpositionis instantiam innumeris proculdubio fidelium populis profuturam, dignis in domino possimus prosequi actionibus gratiarum.

Dat. Montiliis Carpentoratensis diocesis, XVIIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Nono.

JOAN XXII

(elecció 7 agost 1316; coronació 5 setembre 1316;
† 4 desembre 1334)

710

1316 setembre 5, Lió

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó la seva elecció, verificada al convent de l'orde dels frares predicadors de Lió el dia 7 d'agost.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 2.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 200-201, doc. 384.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 84, doc. 5085.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio .. regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedic-

FUNDACIÓ NOGUERA

tionem. Mira et inscrutabilis providentia dei summi firmam tenens in sua dispositione censuram circa sacrosanctam ecclesiam catholicam, quam sibi caritatis ineffabili dulcedine copulavit, ita sue benignitatis affectum et protectionis auxilium gratiose continuat, quod ubi ex insurgentis fremita tempestatis summergi creditur, paratur eidem ex commotione tranquillitas et in auram mitescentibus procellosi turbinis fluctibus, ab instantibus periculis prorsus servatur immunis. Hoc quippe multifarie multisque modis ipsa magistra rerum experientia olim edocuit et novissime diebus istis idipsum evidenter ostendit, dum ipse pius pater et misericors dominus ecclesiam ipsam inter longe ac periculose nimis viduitatis angustias fluctuantem de suo habitaculo preparato oculo benigno respexit. Dudum siquidem sicut tuam credimus notitiam non latere, sancte recordationis Clemente papa V predecessore nostro de presentis vite meroribus ad celestem patriam evocato, nos et fratres nostri eiusdem ecclesie cardinales, de quorum numero tunc eramus, cupientes eidem ecclesie de pastore celeriter providere, iuxta constitutionem apostolicam super hoc editam nos inclusimus in conclavi quod in civitate Carpentoratensi, ubi tunc Romana curia residebat, ad hoc extiterat preparatum. Demum vero electionis predicte negotio imperfecto ex certis causis legitimis conclave predictum egredi necessitate compulsi, nos ad diversa loca transtulimus, prout unicuique nostrum expediens visum fuit. Cumque postmodum diffusi temporis spatio, sicut domino placuit, interiecto ad civitatem Lugdunensem pro eiusdem electionis negotio concorditer venissemus, vias nostras illo dirigente qui novit, et tandem die septima preteriti mensis Augusti in loco fratrum ordinis Predicatorum Lugdunensi in quo residebamus insimul pro prefato electionis negotio fuissemus in loco solito congregati, benignus sapientie spiritus, nesciens tarda molimina, tam prolixe ipsius ecclesie viduitati pie compatiens, cum eam nollet ulterius viduitatis incommodis subiacere, fratrum ipsorum corda sic adduxit ad spiritus unitatem, quod miro dei et nobis nimirum stupendo consilio ad imbecillitatem nostram oculos dirigentes, nos tunc episcopum Portuensem ad suscipiendum onus nobis ex humano defectu importabile curam videlicet universalis gregis dominici concorditer nemine discrepante in summum pontificem elegerunt. Nos autem difficultatem offitii pastoralis continui laboris angustias et precellentiam dignitatis apostolice infra nostra precordia recensentes nostrarumque metientes virium pravitatem, timore ac tremore concussi vehementer hesitavimus nec indigne. Quid enim tam timendum tamque pavendum quam fragili labor, indigno sublimitas et dignitas non merenti. Verum ne post eiusdem vacationis tam diffusa et dispendiosa tempora obstinata contradictionis reluctatio profusioris

FUNDACIÓ NOGUERA

dispendii occasionem induceret, nos quanquam de nostra, quam noster nobis animus attestatur, insufficientia desperantes humiles nostros ad montem illum convertimus oculos unde nobis spe multa promittitur auxilium oportunum, sicque de superhabundantia illius omnipotentie concepta fiducia cui cum voluerit subest posse, necnon de ipsorum fratrum nostrorum eminenti scientia industria circumspecta et experientia multa in agendis comprobata confisi, quorum sano consilio dirigi speramus in dubiis et fulciri suffragiis in adversis, in humilitatis spiritu consensum prebuimus electioni predicte tantique oneris sarcine imbecilles exposuimus humeros, debiles misimus manus ad fortia et colla nostra humiliter iugo summisimus apostolice servitutis, suppliciter implorantes, ut ipsi qui per huiusmodi vocationem in maris mundi huius altitudinem nos deduxit, non patiatur nos ab ipsius tempestate demergi, sed illam nobis sue potentie dexteram porrigat, que apostolorum principem ambulantem et hesitantem in fluctibus ne mergeretur erexit et coapostolum eius Paulum nocte ac die in profundo maris positum liberavit viamque nobis et tibi cunctisque catholicis principibus ac ceteris christianis, illis presertim qui ad hoc vivifice crucis signaculum assumpserunt, salubrem et paratam aperiat nostris et illorum cordibus pium infundat affectum et infusum augeat et conservet viresque oportunas sua dignatione tribuat ad parandum festinum et efficax terre sancte subsidium et ad recuperandum hereditatis dominice preclare funiculum de infidelium manibus, ad quod utique desiderium habemus intensum. Et quia quod in hac parte nostris assequi meritis non valemus multiplicatis intercessoribus nobis confidimus elargiri, tua et fidelium aliorum suffragia humiliter imploramus, regalem excellentiam attente rogantes et obsecrantes instanter in domino Ihesu Christo, quatinus sub timore domini tuas continue dirigens actiones mentem nostram filialis devotionis exhibitione letifices et potentie tue subsidio in hiis que sunt ad robur ecclesiastice libertatis iniuncti, nobis oneris allevies gravitatem, ecclesiam matrem tuam et presidentes eidem ceterasque personas ecclesiasticas redemptoris nostri ministras pro sui nominis gloria solerter honores et eas promptis favoribus in suis iuribus et oportunitatibus tuearis iustitiam colas pietatem observes et mansuetudinem non relinquas, huiusmodi quippe columpnis firmissimis stabiliuntur imperia regna firmantur ac muniuntur principes christiani et communitati letantur statu pacifico principatus. In hiis fili benedictionis et gratie fortitudinem virium tuarum exerceas. In hiis clare memorie progenitores tuos non solum imitari sed virtutum successivis augmentis velut de virtute in virtutem progrediens satagas superare de nobis spem firmam et certam fiduciam habiturus, quod tuam et regni tui pacem et prosperitatem

FUNDACIÓ NOGUERA

assiduam conservare proponimus et quantum cum deo poterimus copiosis favoribus ampliare.

Dat. Lugduni, Nonas Septembris, pontificatus nostri anno Primo.

711

1316 setembre 7, Lió

Joan XXII mana al prior de Sant Pau (del Camp), prop de Barcelona, al prepòsit de Tarragona i a l'ardiaca de Mallorca que facin la recepció de Pere Comte, familiar d'Arnau, cardenal prevere de Santa Prisca, com a canonge de l'església de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-205.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. priori sancti Pauli prope Barchinonam et .. preposito Terraconensis ac .. archidiacono Maioricarum ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Volentes nuper personam dilecti filii Petri Comitis canonici Barchinonensis obtenta meritorum suorum, super quibus eidem laudabile testimonium perhibetur necnon et consideratione dilecti filii nostri Arnaldi tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis pro ipso Petro clerico suo nobis in hac parte supplicantis speciali prosequi gratia et favore, canonicatum ecclesie Barchinonensis cum plenitudine iuris canonici et prebendam, si qua in eadem ecclesia tunc vacabat, videlicet II Idus Augusti ante coronationis et benedictionis nostre solennia cum iuribus et pertinentiis suis apostolica sibi auctoritate contulimus et providimus etiam de eisdem, si vero nulla talis prebenda tunc vacabat in ecclesia supradicta. Nos prebendam inibi proximo vacaturam conferendam eidem Petro cum vacaret donationi apostolice duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate contingeret attemptari. Non obstantibus de certo canonicorum numero et aliis quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis ipsius ecclesie iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacunque firmitate alia roboratis seu si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos essent recepti vel ut reciperentur instarent quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia predicta receptis vel prebendas expectandis eundem Petrum in ipsius prebende assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem prebendarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari aut si venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Barchinonensibus vel quibuscunque aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum

FUNDACIÓ NOGUERA

existeret, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime tenerentur et ad id compelli non possent quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie vel de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel aliam quamvis dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli provideri valeret per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et alia qualibet dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existeret, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri posset quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore deberet in nostris litteris fieri mentio specialis, aut si presens non esset idem Petrus ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramentum dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accederet, corporaliter illud prestare curaret aut quod capellaniam sancti Iohannis de Villamulorum Gerundensis diocesis et beneficium de altari sancti Marchi nuncupatum Barchinonensis ecclesiarum perpetua idem Petrus obtinebat et obtinet necnon beneficium ecclesiasticum ad collationem vel presentationem seu aliam dispositionem .. prepositi monasterii Celsonensis ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis, quod duceret acceptandum auctoritate apostolica expectabat et adhuc etiam noscitur expectare. Verum ne sub eo pretextu quod predicte littere confecte non sunt sub dat. predicti diei scilicet II Idus Augusti precedentis ipsa coronationis et benedictionis nostre solennia ante que in Romanos electi pontifices non consueverunt communiter integra bulla uti aliquod eidem Petro in assecutione huiusmodi gratie preiudicium generetur, volumus et auctoritate predicta decrevimus quod huiusmodi gratia a [pre]dicto die videlicet II Idus Augusti robur solide firmitatis obtineat et perinde effectum plenum et debitum sortiatur, ac si nostre huiusmodi littere sub ipsius diei dat. confecte fuissent quodque littere ipse ubique sufficerent absque alterius probationis adminiculo ad probandum plene gratiam antedictam. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Petrum vel procuratorem suum eius nomine extunc in dicta ecclesia Barchinonensi auctoritate nostra recepi facientes in canonicum et in fratrem stallo sibi in choro et loco in capitulo assignatis ipsum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem huiusmodi prebende per [n]os sibi collate si tempore collationis per nos ei facte ad ipsa in ecclesia predicta vacabat ac iurium et pertinentiarum ipsius inducatis et defendatis inductum, alioquin prebendam per nos in eadem Barchinonensi ecclesia ut premittitur reservatam si ab huiusmodi reservationis nostre tempore vacavit ibidem vel quamprimum eam vacare contigerit, eidem Petro

FUNDACIÓ NOGUERA

conferre et assignare curetis, facientes ipsum pacifica illius possessione gaudere sibique de ipsius prebende fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi, non obstantibus omnibus supradictis seu si prefatis episcopo et capitulo vel quibuscunque aliis a sede sit indultum predicta, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Dat. Lugduni, VII Idus Septembris, pontificatus nostri Anno Primo.

712

1316 setembre 7, Lió

Joan XXII atorga a Pere Comte, canonge de Barcelona, la prebenda de la pròxima vacant de l'església de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-206.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, I, p. 48-49, doc. 461.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Petro Comitis canonico Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Volentes nuper personam tuam obtentu meritorum tuorum, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur necnon et consideratione dilecti filii nostri Arnaldi tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis pro te clerico suo nobis in hac parte supplicantis speciali prosequi gratia et favore canonicatum ecclesie Barchinonensis cum plenitudine iuris canonici et prebendam, siqua in eadem ecclesia tunc vacabat, videlicet II Idus Augusti ante coronationis et benedictionis nostre solennia cum iuribus et pertinenciis suis apostolica tibi auctoritate contulimus et providimus etiam de eisdem. Si vero nulla talis prebenda tunc vacabat in ecclesia supradicta. Nos prebendam inibi proximo vacaturam conferendam tibi cum vacaret donationi apostolice duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate contingeret attemptari. Non obstantibus de certo canonicorum numero et aliis quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis ipsius ecclesie iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacunque firmitate alia roboratis seu si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos essent recepti vel ut reciperentur instarent quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia predicta receptis vel prebendas expectantibus te in ipsius prebende assecutione volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem prebendarum et beneficiorum aliorum preiudicium

FUNDACIÓ NOGUERA

generari, aut si venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Barchinonensibus vel quibuscunque aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existeret, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime tenerentur et ad id compelli non possent quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie vel de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel aliam quamvis dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli provideri valeret per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et alia qualibet dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existeret, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri posset quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore deberet in nostris litteris fieri mentio specialis, aut si presens non esses ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramentum dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accederes corporaliter illud prestare curares aut quod capellaniam sancti Iohannis de Villamulorum Gerundensis diocesis et beneficium de altari sancti Marchi nuncupatum Barchinonensis ecclesiarum perpetua obtinebas et obtines necnon beneficium ecclesiasticum ad collationem vel presentationem seu aliam dispositionem .. prepositi monasterii Celsonensis ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis, quod duxeris acceptandum auctoritate apostolica expectabas et adhuc etiam nosceris expectare. Verum ne sub eo pretextu quod presentes littere confecte non sunt sub data predicte diei scilicet II Idus Augusti precedentis ipsa coronationis et benedictionis nostre solennia ante que in Roma electi pontifices non consueverunt communiter integra bulla uti aliquod tibi in assecutione huiusmodi gratie preiudicium generetur, volumus et auctoritate predicta decernimus quod huiusmodi gratia a predicto die videlicet II Idus Augusti robur solide firmitatis obtineat et perinde effectum plenum et debitum sorciatur, ac si nostre huiusmodi littere sub ipsius diei data confecte fuissent quodque littere ipse ad probandum plene gratiam antedictam ubique sufficiant nec probationis alterius adminiculum requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre voluntatis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Lugduni, VII Idus Septembris, pontificatus nostri Anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

713

1316 octubre 18, Avinyó

Joan XXII mana a Ramon de Pujol, canonge de Barcelona, que decideixi sobre l'apel·lació que ha fet Hug de Comelles, canonge de Tarragona, contra l'arquebisbe Guillem (de Rocabertí) de Tarragona amb motiu de la seva destitució.

A Lleida, Arxiu Capitular, AP_0910.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Raymundo de Podiolo canonico Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Significavit nobis Hugo de Comilione canonicus Terraconensis quod olim suggesto mendaciter bone memorie Guil(e)l(m)o Terraconensi archiepiscopo, quod idem canonicus erat adulterii incestus et nonnullis aliis diversis criminibus irretitus, idem archiepiscopus ex arrupto nulla super hiis cognitione prehabita, quamquam sibi de premissis vel premissorum aliquo aliquatenus non constaret prout nec constare poterat, cum ea non essent notoria neque vera, dictum canonicum coram eo super hiis iuri stare paratum occasione huiusmodi capi fecit et carceri mancipari et nichilominus contra ipsum super premissis ex officio ad inquisitionem descendit, et quia eum super premissis culpabilem non invenit, sibi super hiis canonicam purgationem indixit. Verum quia dictus archiepiscopus personis ydoneis quas idem canonicus huiusmodi purgationem sibi per eundem archiepiscopum indictam prestare nolebat minas et terrores inferens presumpsit et huiusmodi occasione eedem persone a purgatione huiusmodi destiterunt, cum alias ipse persone eundem canonicum super premissis essent purgare parate, idem canonicus metuens sibi ex hoc preiudicium imminere ad sedem apostolicam appellavit, ac idem archiepiscopus huiusmodi appellatione contempta dictum canonicum canonicatu et prebenda, quos in ecclesia Terraconensi canonice fuerat assecutus et diu possederat pacifice et quiete, sententialiter contra iustitiam ordinaria auctoritate privavit, propter quod dictus canonicus iterato ad sedem appellavit eandem. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis quod canonicum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris auctoritate nostra firmiter observari.

Dat. Avinione, xv Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

714

1316 novembre 20, Avinyó

Joan XXII confirma l'acceptació del jurament de vassallatge i fidelitat pel feu de Sardenya i Còrsega que Jaume II d'Aragó, Sardenya i Còrsega li ha prestat per mitjà dels seus procuradors Ponç (de Gualba), bisbe de Barcelona, i Vidal de Vilanova, procuradors, legats i ambaixadors seus, conforme amb allò ordenat per Bonifaci VIII en la butlla "Super reges et regna" datada a Roma, a Sant Pere, el 4 d'abril de 1297. També hi ha inserida la lletra de vassallatge del rei Jaume II d'Aragó, València, Sardenya, Còrsega, comte de Barcelona, abanderat de l'Església romana, almirall i capità general, datada a Lleida a 6 de setembre de 1316.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 3.
a Existeix fil de seda. Butlla separada.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, I, p. 190, doc. 2012.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 206, doc. 394.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 87, doc. 5094.

IOHANNES XXII EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Ne imposterum rei geste memoriam diuturnitas temporis forsan aboleat presentium insinuatione testamur, quod accedentes ad presentiam nostram venerabilis frater noster Pontius episcopus Barchinonensis et dilectus filius Vitalis de Villanova miles procuratores nuntii et ambassiatores carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Sardinie et Corsice illustris ac recognoscentes, quod idem rex ratione regni Sardinie et Corsice ad Romanam ecclesiam pertinentis, quod felicis recordationis Bonifatius papa VIII predecessor noster sibi et heredibus suis sub certis modis et condicionibus imperpetuum feudum concesserat, cui quidem Bonifatio predecessori rex ipse personaliter pro eodem regno vassallagium ligium et homagium fecerat et iuramentum fidelitatis prestiterat, tenebatur cuilibet Romano pontifici infra annum post creationem ipsius per procuratorem seu procuratores suos ad hoc legitime constitutos similiter pro eodem regno vassallagium ligium et homagium facere et iuramentum fidelitatis prestare ac exhibere infra mensem, postquam taliter huiusmodi vassallagium ligium et homagium fecerit et iuramentum prestiterit, litteras suas eius aurea bulla bullatas modos conditiones et conventiones huiusmodi plenarie continentes, in quibus idem rex recognosceret se dictum regnum sub eisdem modis conditionibus et conventionibus in feudum a Romana ecclesia predicta tenere, eaque se promitteret servaturum procuratorio nomine dicti regis pro eodem regno in nostra et fratrum nostrorum presentia huiusmodi vassallagium ligium et homagium infra annum,

FUNDACIÓ NOGUERA

postquam ad apicem fuimus summi apostolatus assumpti, fecerunt ac prestiterunt in ipsius regis animam simile iuramentum, nobisque postmodum presentaverunt et exhibuerunt ex parte regis eiusdem litteras dicti regis aurea bulla bullatas, in quibus non solum modi conditiones et conventiones predicti, sed et totus tenor litterarum dicti Bonifatii predecessoris super concessionis huiusmodi confectarum totaliter inseruntur recognoscendo et confitendo procuratorio nomine dicti regis, quod idem rex regnum predictum sub ipsis modis conditionibus et conventionibus in feudum receperat ipsosque modos conditiones et conventiones dicto nomine observare per omnia promiserunt, prout super hiis plenam ab eodem rege receperant potestatem, sicut de huiusmodi potestate constabat per instrumentum publicum dicti regis sigilli munimine roboratum. Nos itaque huiusmodi vassallagium ligium et homagium recognitiones et promissiones facta et iuramenta prestita a dictis episcopo et Vitale milite procuratoribus dicti regis nomine, ut prefertur, de predictorum fratrum nostrorum consilio acceptamus. Tenores autem litterarum eiusdem regis et instrumentorum predictorum exhibitorum nobis ex parte ipsius ut superius continetur presentibus inseri fecimus, qui tales sunt:

Sanctissimo ac reverentissimo in Christo patri ac domino domino Iohanni divina providentia sacrosancte Romane et universalis ecclesie summo pontifici Iacobus dei gratia rex Aragonum Valentie Sardinie et Corsice comesque Barchinonensis ac prescripte sancte Romane ecclesie vexillarius admiratus et capitaneus generalis eius humilis filius et devotus pedum oscula beatorum sanctitati vestre tenore litterarum nostrarum presentium pacefiat, quod viso ac plenarie intellecto papali rescripto super collatione concessione et donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifatius papa VIII predecessor vester nobis fecit nostrisque heredibus imperpetuum feudum de regno Sardinie et Corsice cum iuribus omnibus et pertinentiis suis sub certo servitio sub certisque conditionibus largius conscriptis in predicto registro continentie subsequentis:

Bonifatius episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo Sardinie et Corsice regi illustri, ad perpetuam rei memoriam. Super reges et regna --. Dat. Rome apud Sanctum Petrum, II Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno Tertio.[7]

Idcirco reducto ad memoriam non iam tempore donationis premisse memorato domino pape Bonifatio iuxta continentiam dicti rescripti ex causis in eo scriptis iuramentum fidelitatem vassallagium et homagium personaliter prestitisse, et postmodum etiam per Vitalem

7. Vegeu doc. 577.

FUNDACIÓ NOGUERA

de Villanova militem et Guil(e)l(mu)m de Laceria civem Barchinonensem procuratores ambassiatores et nuntios speciales olim per nos ad Romanam curiam destinatos iuramentum fidelitatem vassallagium et homagium predicta renovasse fecisse et prestitisse felicis recordationis domino Benedicto prefato domino Bonifatio in apostolatus officio succedenti, et per eosdem nuntios eidem domino Benedicto summo pontifici dedisse litteras suas aurea bulla nostra bullatas recognicionis et acceptationis contentorum in rescripto predicto iuxta eiusdem tenorem consequenterque etiam nos per Iohannem Burgondi sacristam ecclesie Maioricarum et Petrum de Godor militem procuratores nostros nuntios et ambassiatores ad hoc per nos olim ad Romanam curiam destinatos similia iuramentum vassallagium renovasse fecisse et prestitisse pro dicte Sardinie et Corsice regno bone memorie domino Clementi summo pontifici prelibato domino pape Benedicto in dignitate apostolica succedenti ipsique per eosdem procuratores et nuntios nostros dedisse similes litteras nostras aurea bulla nostra bullatas recognitionis et acceptationis in rescripto predicto contentorum iuxta eiusdem tenorem, ut evidenter apparet per rescriptum memorati domini Clementis pape tam de premissis peractis cum dicto domino papa Benedicto a quo citra hec propter supervenientem obitum rescriptum suum haberi non potuit, sed dicto domino pape Clementi ea omnia certa fuerunt, ut per dictum suum rescriptum tam de peractis cum dicto domino papa Benedicto quam coram se dare colligitur, considerato etiam nos nunc ex eiusdem rescripti supra inserti serie inductos nostros procuratores solennes ad eadem iuramentum fidelitatem vassallagium et homagium vestre sanctitati prestanda et facienda constituisse cum publico scripto nostro providimus. Propterea sanctissime pater, has fieri litteras bulla aurea nostra bullatas sanctitati vestre per predictos procuratores nostros tradendas et dandas prout fieri debere iam dicti superius inserti rescripti apostolicas tenor inducis per quas si quidem litteras nunc et extunc modos conventiones conditiones tenorem et formam in ipso papali rescripto conscriptos acceptamus expresse et per quas etiam fatemur et recognoscimus expresse dictum Sardinie et Corsice regnum a domino summo pontifice et Romana ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus conventionibus modo et forma atque tenore qui in dicto papali rescripto continentur, quos tenorem modum conditiones conventiones et formam promittimus nos inviolabiliter servaturos, pro quarum observantia obligamus nos et dictum regnum Sardinie et Corsice iura et bona nobis competentia et competitura in eo. Humani generis conditor et redemptor personam vestram ad sua sancta servitia conservare dignetur per tempora longiora. Dat. Ilerde VIII IDUS Septembris anno domini Millesimo Trecentesimo Sextodecimo. Noverint universi quod nos Iacobus dei gratia rex Aragonum Valentie

FUNDACIÓ NOGUERA

Sardinie et Corsice comesque Barchinone ac sancte Romane ecclesie vexillarius ammiratus et capitaneus generalis considerantes quod tempore donationis et concessionis per felicis recordationis dominum Bonifatium papam VIII nobis et nostris facte in feudum de regno Sardinie et Corsice personaliter prestitimus dicto domino summo pontifici prout prestare debuimus iuxta continentiam rescripti papalis pro dicta concessione confecti homagium vassallagium et fidelitatis iuramentum sub forma in eodem rescripto contenta, attendentes etiam quod homagium et alia predicta nos et nostri tenemur secundum conditiones in dicto rescripto conscriptas renovare facere et prestare unicuique Romano pontifici et dicte ecclesie infra annum a die quo electus fuerit in Romanum pontificem computandum per ydoneum vel ydoneos substitutos, postquam nos et nostri in dicto regno prestiterimus personaliter uni Romano pontifici iuramentum fidelitatem homagium seu vassallagium supradicta. Idcirco nominamus facimus ordinamus et loco nostri substituimus procuratores nostros nuntios et ambassiatores solennes venerabilem in Christo patrem Pontium Barchinonensem episcopum et Vitalem de Villanova militem consiliarios et familiares nostros presentis procuratorii exhibitores ambos insimul et utrumque insolidum sic quod unus sine altero possit procedere et processus unius alterius minime processum impediat ad presentandum se nomine loco et pro parte nostra ante sacram presentiam sanctissimi in Christo patris ad domini domini Iohannis divina providentia noviter in Romane et universalis ecclesie summum pontificem, ordinati et ad prestandum loco nomine et pro parte nostra tanquam regis Sardinie et Corsice et pro ipso regno Sardinie et Corsice memorato domino summo pontifici Iohanni homagium vassallagium et fidelitatis iuramentum iuxta tenorem dicte donationis rescripti, et ad dandum etiam dicto domino summo pontifici et Romane ecclesie loco nomine et vice nostris litteras nostras potentes bulla aurea nostra bullatas confectas super acceptatione convenctionum et aliorum condicionum, sub quibus dictum Sardinie et Corsice regnum nobis et nostris collatum extitit et concessum, ad quas dandas summo pontifici et Romane ecclesie predicti papalis rescripti series nos astringit, et ad postulandum et recipiendum de prestacione homagii vassallagii fidelitatis et iuramenti predictorum et de datione dictarum litterarum nostrarum rescriptum seu scripta papalia aut alia publica instrumenta in eternam certitudinem memoriam et testimonium premissorum. Nos autem ipsis et eorum alteri circa ista plenarie committimus vices nostras. Ratum et gratum habituri perpetuo, quod per ipsos vel eorum alterum actum fuerit in premissis et quolibet eorundem. In evidenciam, cuius rei presens scriptum per subscriptum notarium nostrum inde fieri et magestatis nostre sigillo iussimus communiri. Dat. Illerde VIII Idus

FUNDACIÓ NOGUERA

Septembris Anno domini Millesimo Trecentesimo Sextodecimo. Signum Iacobi dei gratia regis Aragonum Valentine Sardinie et Corsice comitisque Barchinone ac sancte Romane ecclesie vexillarii ammirati et capitanei generalis. Testes sunt Berengarius de Angularia, Martinus Luppi de Rueda, Philippus de Saluciis, Petrus de Boyl, Dalmacius de Pontonibus vicecancellarius. Signum mei Bernardi de Aversone dicti domini regis notarii et eiusdem auctoritate publici etiam per totam terram et dominationem eiusdem qui de mandato ipsius hec scripsi feci et clausi loco die et anno prefixis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre acceptationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

715

1316 desembre 15, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut els seus ambaixadors Ponç (de Gualba), bisbe de Barcelona, i Vidal de Vilanova, cavaller, i ha despatxat favorablement les peticions, excepte la de nomenar arquebisbe de Tarragona el seu fill, l'infant Joan d'Aragó, perquè encara és molt jove i el càrrec massa onerós.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 4.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, II, p. 784-786, doc. 490 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 201, doc. 385.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 89, doc. 5103.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Tuas fili de credencia litteras ac venerabilem fratrem nostrum .. Barchinonensem episcopum ac dilectum filium nobilem virum Vitalem de Villanova militem exhibitores earum tue celsitudinis nuntios leti suscepimus, eo procul dubio letiores effecti, quo de tuo tueque domus regie statu prospera nuntiantes de tam letis rumoribus potuerunt nos reddere cerciores. Eos autem in expositione per te sibi commisse credentie diligenter audivimus eorumque petitiones tuo nobis oblatas nomine, quas te petere et nos decuit indulgere, liberaliter concessimus et benigne. Sane fili carissime, si postulationem

FUNDACIÓ NOGUERA

de dilecto filio Iohanne nato tuo capellano nostro factam in ecclesia Terraconensi non duximus admittendam, tue quesumus prudentie mansuetudo moleste non ferat, cum eam velut rem omni iuri contrariam et divino beneplacito non acceptam et nedum prorsus insolitam, quin potius in Romana curia preteritis temporibus inauditam, sine lesione conscientie et indecentie magne nota scandalo et obloquio plurium nequiverimus admisisse. Que omnia si tue magnitudinis circumspectio reiecto carnalitatis affectu consultius attendisset, si iusto librasset examine, quanta sint prelature pericula, nequaquam ut credimus ipsum natum tuum iuvenem utique tenerum ad onus prelationis assumi in corporis animeque discrimen optasses. Numquid enim non immineret eidem iuveni adhuc molli et delicate nutrito corporale dispendium, si eius inbecillibus humeris et ad labores et inquietudines insuetis tantarum imponeretur curarum et solicitudinum moles, quante in presule requiruntur. Numquid non exponeretur ipsius anima magno discrimini, si poneretur custos in vineis, qui se ipsum adhuc forte custodire non novit, si haberet aliorum animas in periculo sue conversationis accipere, qui vix suam sufficit gubernare. Nulla quippe ars doceri presumitur, nisi prius attenta meditatione discatur ab inperitis, qua temeritate suscipitur pastorale magisterium, quando ars est artium regimen animarum. Sacrorum quoque instituta canonum preter gravitatem morum ac litterarum scientiam requirunt in pontifice maturitatem tricennalis etatis, ac imperialis lex minorem viginti quinque annis ad tutele officium non admittit. Quo modo ergo nos possemus iuvenem adhuc etiam citra metas adolescentie constitutum ad cathedram admittere pastoralem, ad illam precipue que suffraganeis habet pastoralibus cathedris preminere. Profecto verendum esset, ne fieret eidem iuveni cathedra pestilentie ac sibi et aliis esset occasio parata ruine. Nec blandiatur aliquis eidem iuveni, quod posset in pontificii gradu proficere. Plures etenim provectioris etatis in huiusmodi statu defecisse potius quam in scientia profecisse dolenter audivimus, et si forsitan pretendatur, quod per eundem posset eadem ecclesia, si assumeretur ad illam, sub regii favoris auxilio in temporalibus multipliciter reparari, id negare nec volumus nec valemus, spiritualem tamen profectum quem precipue querimus preferimus temporali. Et licet verisimiliter supponamus, quod affectu suadente paterno tue potentie dextera sub eiusdem nato tuo regimine favorabilius ipsi ecclesie in promovendis comodis dispendiisque vitandis assisteret et erga illam regie liberalitas pietatis uberius habundaret, illud tamen consideranter attendimus, quod si ille qui terminos tibi constituit, quos preterire non poteris, te iuxta ordinatum mortalitatis excursum ipsi nato tuo subtraheret, non eodem cursu illi et eidem ecclesie successor tuus forsitan responderet, cum nullus etiam fraternus affectus patrio valeat

FUNDACIÓ NOGUERA

comparari. Lateat itaque usque ad provectiorem etatem iuvenis sub modio et discat ut suo tempore mereatur ad lucem candelabro superponi. Nos equidem de suo profectu gaudebimus et ad promotionem ipsius tam tui consideratione quam sue materne domus, cui tenemur, intuitu oculos habere disponimus in ingruentia oportunitatis apertos. Et ubi nos antea deo volente morte preveniri contingeret, tenere potes indubie, quod promotio congrua minime deerit apud quemvis successorem nostrum tam sublimi persone. Non ergo fili probrosum reputes sed premissis considerationibus gratanter acceptes te in expeditione postulationis huiusmodi non auditum cum nobis tibi et nato tuo magis consulere, id negando credamus, quam si concessissemus libere postulata. Porro quantum libenter in ipsis tui nati promotione tibi et magnatibus aliis coniunctis eidem intendimus complacere quamque promptum et placidum nobis esset postulationem admittere memoratam, si non timor dei, contra quem non est homini deferendum et conscientie scrupulus obviarent in hoc evidenter perpendere poteris, quod eidem ecclesie de aliqua persona ydonea tibi fideli et grata quam duxeris nominandam, sumus providere parati, et tamen certum est quod nullum nobis poteris nominare, qui adeo nobis tibi et tuis sicut ipse natus tuus possit vel debeat esse gratus et de quo tantum tibi et tuis circumscriptis predictis obstaculis complacere vellemus. Nostram igitur sinceram affectionem prudenter attendens tres personas aut plures ydoneas non suspectas tibi, sed placidas et acceptas nobis nominare procura, ut de illarum altera que ydonea fuerit preficienda eidem ecclesie tuis desideriis annuamus, et si forte super hiis de quibus etiam dicto Vitali locuti plenius fuimus, haberes aliquem ad nos remittere nuntium, expediens credimus ut remittas eundem ut paucioribus revelata secretius teneantur. Quid propterea de facto carissimorum in Christo filiorum nostrorum Sicile et Trinacrie regum ordinaverimus, Vitalis ipse cui hoc ipsum aperuimus, in tuam poterit perducere notionem.

Dat. Avinione, XVIII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Primo.

716

1317 gener 23, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut el seu ambaixador Guillem d'Olomar el qual l'ha informat sobre l'assumpte de l'infant Pere de Castella i un altre secret (la qüestió de Tunísia), i li prega que li enviï nous legats i lletres en què l'informi plenament d'aquest últim assumpte.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 5.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 318-319, doc. 151.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 201-202, doc. 386.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 90, doc. 5105.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Leta manu tuas fili carissime de credentia recepimus litteras per dilectum filium Guilelmum Oulomarii nuntium tuum nobis noviter presentatas, et que idem nuntius iuxta commissam sibi per te credentiam tam super facto dilecti filii nobilis viri Petri nati clare memorie regis Ispanie generi tui quam super alio quoddam secreto negotio nobis exposuit, pleno collegimus intellectu. Sane mirantes quod tantum et tale negotium, quale illud secretum esse perpendimus, per solam credentiam simplicem in nostram voluisti perferre notitiam, magnitudini tue providimus suadendum, quatinus si negotium ipsum veritate subnixum ac factibile et expedibile fore putaveris, illud nobis tam per regales litteras quam per nuntios speciales de illo ad plenum instructos reserare nobis explicite necnon vias et modos, qui tibi utiles ad promotionem expeditionis illius occurrerint, significare procures, ut super hiis per litteras et nuntios tuos ut premittitur certiores effecti et habita collatione cum nuntiis antedictis, quid de ipso negotio faciendum et qualiter super illo procedendum fuerit, consultius videre possimus.

Dat. Avinione, x Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Primo.

717

1317 març 1, Avinyó

Joan XXII confirma a Letgarda, abadessa del monestir de Santa Cecília d'Elins de l'orde de sant Benet, diòcesi d'Urgell, el privilegi de l'exempció d'aquest monestir i el declara subjecte immediatament a la Santa Seu. Recorda els privilegis anteriors obtinguts de Carlemany i del papa Urbà II i ratifica els béns aconseguits en ocasió de la dedicació de la seva església, i altres donacions o adquisicions posteriors.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Santa Cecília d'Elins, núm. 137.
a Butlla perduda.
b MARQUÈS I SALA, *Documents del monestir de Santa Cecília d'Elins*, p. 75-76, doc. 137.

Ihohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecte filie Ledegarde abbatisse monasterii sancte Cecilie Vallis Ysitane iuxta fluvi-

um rivo Cavo ordinis sancti Benedicti situm est in Urgellensi dyocesi eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum salutem et apostolicam benedictionem. Ad hoc in apostolice sedis regimen domino disponente promoti conspicimur ut ipso prestante religionem augere et eius ancillis tuicionem debeamus impendere. Tuis igitur in Christo dilecte filie Ledegarde abbatissa iustis petitionibus annuentes beate Cecilie venerande monasterium, cui deo auctore presides, sub apostolice sedis tutela et in ea semper libertate manere decernimus, quam egregie memorie Karolus magnus imperator sui tuicione et muneburdo gloriose ditavit, et Urbanus secundus venerabilis sancte sedis apostolice pontifex privilegii sanctione necnon sanctorum patrum romanorum pontificum cum oblacione Iohannis olim abbatis tunc in dicto monasterio regentis et presidentis firmarunt. Statuimus ut videlicet subire semper et proprietate beati Petri et sedis apostolice locus ipse servetur et nulla super eum laycalis persona dominatum excerceat, sed placita omnia sive iudicia et districtione omnium eiusdem monasterii pertinencium in abbatisse potestate persistant, nec dyocesano episcopo liceat aliquam eidem monasterio excommunicationem inferre, molestiam irrogare, sed quecumque in presenciarum quiete aut a attenaria possessione possidere cognoscitur quecumque in futurum concessione pontificum liberalitate principum vel oblacione fidelium iure atque canonice potest adipisci firma nostra et sedis apostolice tibi tuisque successoribus et illibata permaneant, ea presertim que venerabilis Bernardus episcopus una cum Ermengaudo comite Urgellensi in dedicatione eiusdem monasterii tradidisse et concessisse leguntur in ecclesiis et ecclesiarum decimis primiciis et oblacionibus, suis cimiteriis et ceterisque iura universa ad eum pertinentibus, nostro sicut hodie est monasterio in perpetuum subiectum esse concedimus. Ad hec adicientes decernimus, ut nulli omnino hominum liceat prenominatum beate Cecilie monasterium emere perturbare aut eius possessiones aufferre vel oblaturas retinere minuere vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integre conserventur eorum pro suarum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura obtente, te nunc eiusdem loci abbatisse vel tuarum qualibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia preponatur nisi quem sorores comuni consensu vel sororum pars consilii senioris secundum dei timorem et beati Benedicti regulam elegerint. Nulla ergo ecclesiastica secularisque persona liceat hanc paginam nostre confirmacionis privilegii seu constitucionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, ita indignacionem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Kalendas Marcii, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

718

1317 abril 13, Avinyó

Joan XXII mana a l'arquebisbe de Tarragona (Ximeno Martínez de Luna), al bisbe de Saragossa (Pere López de Luna) i al bisbe de Pamplona (Ximeno García) que no permetin als prelats, rectors, clergues o altres molestar les abadesses i els convents de monges dels ordes de santa Clara, sant Damià, o menors, els seus béns, drets i llibertats atorgats per la Seu Apostòlica.

A Montserrat, Arxiu del Monestir Sant Benet, Fons Monestir Santa Clara de Barcelona, núm. 754.
a Butlla amb fil de cànem.
b FITA, *El monasterio de Santa Clara en Barcelona*, p. 477-479, doc. 75.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Terraconensi et .. Cesaragustano ac .. Pampilonensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Inter opera pietatis ad que nos apostolatus officii cura solicitat, illud esse credimus in oculis divine maiestatis acceptum, si personas sub observantia regulari degentes et presertim in fragilitate sexus feminei constitutas, quibus favor est plenior adhibendus et que non habent alium preter Romanum pontificem defensorem, apostolice defensionis presidio muniamus. Cum itaque dilecte in Christo filie abbatisse et conventus monasteriorum monialium inclusarum sive sorores ordinis sancte Clare vel sancti Damiani seu Minorisse dicantur, sicut ipse nobis insinuare curarunt, a prelatis rectoribus et clero aliisque personis super bonis iuribus et libertatibus earundem contra indulta privilegiorum apostolice sedis eis et earum ordini a dicta sede hactenus concessorum, multipliciter molestentur et multiplicia eis gravamina inferantur. Nos volentes eis super hoc ut liberius valeant domino famulari de oportuno remedio providere, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eisdem abbatissis et monialibus sororibus ac Minorissis presentibus et futuris efficacis defensionis presidio assistentes, non permittatis ipsas contra dictorum privilegiorum tenorem a predictis vel quibuscumque aliis molestari nec eis aliqua gravamina vel iniurias irrogari, facientes ipsis de illatis sibi iniuriis molestationibus et gravaminibus contra tenorem eundem, in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem per viam iudicii, in aliis vero prout qualitas ipsorum exegerit, iustitie complementum ita quod officium potestas et iurisdictio vestra perpetuata exnunc inantea censeantur, molestatores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores et rebelles quandocumque et quotienscumque expedierit per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus tam de duabus dietis in concilio generali

FUNDACIÓ NOGUERA

quam felicis recordationis Bonifatii pape VIII predecessoris nostri,[8] quarum prima cavetur ne quis certis exceptis casibus extra suam civitatem et diocesim, secunda vero ne reus alterius diocesis ultra unam dietam a finibus eiusdem diocesis ad iudicium evocetur, et aliis quibuscumque constitutionibus ab eisdem predecessoribus nostris tam de iudicibus delegatis quam conservatoribus aut aliis editis, que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus a dicta sit sede indultum quod excommunicari suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis indulgentiis privilegiis et litteris apostolicis quibuscumque et in quacumque forma verborum concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta dicte iurisdictionis sive potestatis explicatio possit quomodolibet impediri et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteat fieri in nostris litteris mentionem.

Dat. Avinione, Idus Aprilis, pontificatus nostri Anno Primo.

719

1317 abril 14, Avinyó

Joan XXII presenta al rei Jaume II d'Aragó les seves excuses perquè no ha comptat amb ell en l'expedició contra el sarraïns de Granada; el motiu és que en les seves lletres i pels legats enviats per l'assumpte de l'infant Pere de Castella no va pressentir els seus desitjos, i després perquè estant en projecte la reforma del tractat de pau entre els reis Robert de Sicília (Nàpols) i Frederic II de Trinàcria, on havia d'intervenir ell de manera molt important, no seria prudent dedicar les seves energies a altres assumptes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 6.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 202, doc. 387.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 92, doc. 5114.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Celsitudinis regie litteras nobis noviter presentatas

8. IV Conc. del Laterà, càn. 37, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 251-252; X 1.3.28, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 31; VI 1.3.11, 1.14.15, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 941-942, 982-983.

FUNDACIÓ NOGUERA

accepimus inter cetera continentes te et gentes illarum partium admirari, quod ordinatum fuerit processum aliquem fieri contra Sarracenos Ispanie, in quo tua non includatur assistentia cum clare memorie predecessores tuos scias multa pro fidei catholice dilatatione fecisse. Sane fili carissime, de tua in hiis admiratione non leviter admiramur, cum nostra memoria teneat et excidisse non credamus a tua, quod super hiis que acta sunt, pro dilecto filio nobili viro infante Petro de Castella genero tuo de facto Granate tu nedum apud nos tuis efficacibus litteris institisti, quinetiam ad effectus grandioris iudicium cum nunciis infantis ipsius specialem ad nos tuum super hoc nuncium destinasti nec per litteras ipsas aut nuntium aliqua de te nobis super ipso negocio mentio facta fuit, qui tamen si aliquid inde percepissemus verbo vel litteris quantum decuisset et cum deo licuisset, annuissemus liberaliter votis tuis. Cum itaque aliud nobis et tibi negocium super pace videlicet inter carissimos in Christo filios nostros Robertum Sicilie et Fredericum Trinacrie reges illustres actore domino reformanda prosequendum immineat cuius prosecutio tantum tractum habebit, quod ad predictum Granate factum te habiliter illi vacando preparare pro anno presenti non posses, cuius etiam exitus utinam deo actore votivus nobis et tibi viam aperiet vel fortasse precludet agendis aliis intendendi non videtur nobis expediens, sed nec decens ut aliis adpresens negociis te involvas quam pacis predicte tractatus, qui et nostris insidet et tuis proculdubio debet precordiis insidere nedum ad utrumque festinaveris neutrum bene peragas, cum melius sit paucis intendere quam multis se inutiliter implicare. Peracto autem tractatu predicto, si tibi videbitur ad nos ydoneos poteris mittere nuntios et solennes sicut infans ipse misisse dinoscitur, qui in nostra et fratrum nostrorum presentia proponant, ut condecet factum tuum cum non per cameram sed per consistoria talia transire velimus et nos parati erimus vita comite prout res exegerit et cum deo poterimus petitiones tuas favorabiliter exaudire.

Dat. Avinione, XVIII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Primo.

720

1317 abril 22, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que ordeni al seu fill Alfons satisfer Faidida, vídua d'Ermengol (de Cabrera), comte d'Urgell, i filla de Bernat Jordà, senyor d'Illa, diòcesi de Tolosa, amb cent mil sous tolosans d'or, aportats en dot i hipotecats a l'esmentat comtat

FUNDACIÓ NOGUERA

d'Urgell i als llocs d'Àger, Pons i Oliana, avui en possessió d'aquell pel casament amb la neboda del difunt comte (Teresa d'Entença).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 7.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 202-203, doc. 388.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 92, doc. 5116.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ob dilectionis plenitudinem quam erga celsitudinem regiam laudabilibus tuis exigentibus meritis gerimus, ad ea te fili carissime paterne sollicitudinis studiis excitamus et exhortationibus affectuosis inducimus, per que in conspectu altissimi a quo bonorum omnium dona manant magis ac magis reddaris acceptior tueque salutis ac fame proveniant incrementa. Sane dilecti filii nobilis viri Bernardi Iordani domini Insule Tholosane diocesis nobis oblata petitio continebat, quod quondam Iordanus pater eius dilectam filiam nobilem mulierem Faydidam filiam suam sororem eiusdem Bernardi quondam Ermengaudo comiti Urgellensi in legitimam tradidit et dedit uxorem ac nomine dotis et pro dote eiusdem Faydidi centum et decem milia solidorum Regalium, qui tunc Tholosanos appellabantur, dicto comiti assignavit dictusque comes iuxta morem tam in suis quam in eiusdem uxoris sue partibus observatum ob devotionem propter nuptias promisit et dedit dicte Faydide quantum tertia pars summe totius dotis huiusmodi ascendebat quodque dicta summa centum et decem milium solidorum non in Regalibus sed in puro argento pro valore Marche habendo considerationem et respectum ad id quod moneta dictorum Regalium tunc valebat dicto comiti extitit persoluta. Cumque prefatus comes et dicta Faydida multis annis in huiusmodi matrimonio insimul permansissent, idem comes in ultima voluntate executoribus, quos sui constituit testamenti, mandavit, ut eidem uxori sue dotem restituerent supradictam et quod etiam predictam donationem propter nuptias sibi ut premittitur constitutam assignarent eidem prout de iure vel consuetudine patrie tenerentur ac nichilominus dicte coniugi sibi superstiti mille Marabotinos auri legavit, volens et ordinans quod dicta Faydida vicecomitatum eiusdem comitis et de Dager et de Pontibus et de Oliana loca, que dicte Faydide fuerant, pro predictis dote et donatione propter nuptias obligata tamdiu teneret et redditus ipsorum locorum perciperet, non computandos in sortem quousque sibi de ipsis dote et donatione propter nuptias esset plenarie satisfactum. Postmodum vero dicto comite nature debitum persolvente comitatus ipsius ex eo quod neptis dicti comitis uni ex filiis tuis est tradita in uxorem ad manus tuas dicitur provenisse. Et licet sicut

FUNDACIÓ NOGUERA

eiusdem Bernardi relatione percepimus non solum ex iusticie debito sed etiam iuris iurandi religione tenearis eiusdem testamentum comitis adimplere ac propterea per executores predictos pro parte dicte Faydide extiteris requisitus, ut sibi dotem et donationem propter nuptias et legatum predicta assignare et restituere procurares. Tu tamen de illis eidem satisfacere debito modo recusas asserens, quod nunc tres Regales pro duobus parvis Turonensibus possunt haberi et quod in alio valore huiusmodi dotem et donationem propter nuptias non exsolves. Cum tamen alterius legis ponderis et maioris valoris fuissent Regales, qui currebant tempore quo dos extitit constituta, quam illi qui currunt adpresens nec dictus comes solutionem regalium tunc receperit nec recipere voluit, sed purum argentum secundum ipsius Marche valorem in solutionem seu satisfactionem dotis predicte. Cum itaque fili carissime sit plurimum meritorium apud deum protegere viduas virorum solamine destitutas et eis favere in dotibus et aliis rebus pertinentibus ad easdem regalem magnificentiam rogandam duximus et hortandam, quatinus pro divina apostolice sedis et nostra reverentia de predictis dote recepta donatione propter nuptias et legato dicte Faydide modo debito necnon de aliis iocalibus sibi in dicto testamento dimissis per comitem memoratum facias plenarie satisfieri et ea sibi integre assignari, permittens eandem cum predictis dote donatione legato iocalibus et aliis rebus ad eam spectantibus Tholosam vel alibi ubi sibi expedire videbitur liber se transferre, sic te in hoc liberaliter et efficaciter habiturus, ut exinde tue saluti et fame providere consultius agnoscaris premium consequaris a domino et a nobis digne commendationis titulum valeas promereri.

Dat. Avinione, x Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Primo.

721

1317 juny 1, Avinyó

Joan XXII confirma al mestre i als frares de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem totes les llibertats i immunitats donades pel papes, i les llibertats i exempcions que els foren donades pels reis, prínceps i altres fidels de la cristiandat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, carpeta 34, núm. 221.
a Butlla perduda.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. magistro et fratribus hospitalis Sancti Iohannis Ierosolimitani salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur, quod iustum est

FUNDACIÓ NOGUERA

et honestum tam vigor equitatis quam ordo exegit [rationis, ut] id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in domino filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus sive per privilegia vel alias indulgentias vobis et hospitali vestro concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis [et hospitali predicto] indultas sicut eas iuste et pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem hospitali auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Primo.

722

1317 juny 6, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que presti el seu concurs als mestres Hug de Mirabell, canonge d'Embrun, i Guerau Danglars, rector de Vira d'Òlt, diòcesi de Caors, legats seus, enviats a les seves terres per assumptes de l'Església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 8.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 203, doc. 389.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 94, doc. 5122.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio .. regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Licet nobis firma spes suggerat, quod more devotissimi principis ad promovenda in regno et terris tuis ecclesie Romane negotia sic per te ipsum offeres, cum casus emerserit sollicitum et attentum, quod te super illorum promotione non expedit exhortationibus excitari scribere tibi tamen decrevimus, ut a celsitudine regia intentionis nostre proposito plenius intellecto dicta negotia favorabilioris expeditionis effectum tue promotionis adiuta suffragiis consequantur. Cum itaque dilectos filios magistros Hugonem de Mirabello canonicum Ebredunensem et Geraldum Danglars rectorem de Vilola Caturcensis diocesis ecclesiarum nuntios nostros exhibitores presentium ad ipsorum regni et terrarum partes pro nostris et ecclesie memorate negotiis

FUNDACIÓ NOGUERA

destinemus, celsitudinem regiam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus te prefatis nuntiis cum ab eis vel eorum altero fueris requisitus pro nostra et apostolice sedis reverentia super negotiorum ipsorum expeditione votiva sit te promptum et favorabilem exhibeas adiutorem, quod eadem negotia eo utiliorem expeditionem obtineant, quo efficacius super illis nuntiis memoratis tui manum auxilii duxeris porrigendum. Nosque diligentiam quam in hac parte regie magnitudinis devota sublimitas adibebit, eo amplius comendare cum gratiarum actionibus valeamus, que magis tue serenitatis circumspecta prudentia proinde nostris affectibus complacebit.

Dat. Avinione, VIII Idus Iunii, pontificatus nostri anno Primo.

723

1317 juny 10, Avinyó

Joan XXII constitueix l'orde de cavalleria de Santa Maria de Montesa amb els béns dels ordes del Temple de Jerusalem i de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem del regne de València, excepte les comandes de València i de Torrent. Aquest orde fou creat per defensar l'esmentat regne a instàncies del rei Jaume II d'Aragó i amb el consentiment del visitador i procurador general de l'orde de l'Hospital, Lleonard de Tibertis, prior de Venècia. El papa es reserva la provisió del primer mestratge i dóna intervenció en el recent monestir als abats de Santes Creus i de Valldigna de l'orde del Cister. Hi ha còpia dels poders fets pel rei Jaume II d'Aragó, València, Sardenya i Còrsega i comte de Barcelona a Vidal de Vilanova, procurador seu, a Barcelona, el 15 de febrer de 1316.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 9.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b VILLAROYA, *Real Maestrazgo de Montesa*, II, p. 1-11.
c BALUZE - MOLLAT, *Vitae paparum Avenionensium*, III, p. 263-266, doc. 50.
d MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, I, p. 372, doc. 4058.
e MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 203-204, doc. 390.
f *Schedario Baumgarten*, III, p. 94, doc. 5123.

IOHANNES (XXII) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Pia matris ecclesie cura de fidelium salute sollicita sicut in palmitibus fidei catholice dilatandis accensa caritatis ardoribus delectatur solerter invigilat et fructuosi operis prosecutione laborat, sic vias et modos diligenter exquirit, quibus hostium ipsius fidei conatibus obviet, vires reprimat et hii presertim fidei catholice cultores, quos loci vicinitas eisdem hostibus appropinquat, oportune tuitionis

FUNDACIÓ NOGUERA

muniti presidiis, ab eorum impugnationum incursibus iuvante domino preserve[n]tur. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa V predecessor noster quondam ordinem militie Templi Ierosolimitani propter nephandos errores ac scelera varia et diversa, quibus erant dicti ordinis persone resperse ipsiusque statum habitum ac nomen in concilio Viennensi[9] eodem approbante concilio irrefragabili et perpetuo valitura substulit sanctione, illum prohibitioni perpetue supponendo ac inhibendo districtius, ne quis extunc dictum ordinem vel habitum eius suscipere seu deferre vel pro Templario se gerere quomodolibet attemptaret, bonis omnibus dicti ordinis apostolice sedis ordinationi cum inhibitione ac decreto auctoritate apostolica reservatis. Demum vero idem predecessor attente considerans, quod fratres ordinis Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani pro recuperatione maxime ipsius Terre sancte ducebant sicut et ducunt, pericula quelibet in contemptum, post deliberationem super hoc cum fratribus suis sancte Romane ecclesie cardinalibus necnon patriarchis archiepiscopis episcopis ac prelatis aliis et nonnullis principibus et illustribus viris ac prelatorum absentium capitulorum quoque atque conventuum ecclesiarum et monasteriorum procuratoribus tunc in dicto concilio constitutis prehabitam diligentem, omnia bona predicti quondam ordinis Templariorum, que idem ordo eo tempore quo magister et nonnulli ex fratribus dicti ordinis in regno Francie communiter capti fuerunt, videlicet anno domini Millesimo Trecentesimo Octavo mense Octobris per se vel quoscunque alios habebat tenebat et possidebat ubilibet vel ad ipsum ordinem et predictos magistrum et fratres ipsius ordinis pertinere poterant et debebant, pretacto ordini Hospitalis et ipsi hospitali donavit concessit univit incorporavit applicavit et annexuit imperpetuum de apostolice plenitudine potestatis, bonis illis que idem ordo Templariorum in regnis et terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum .. Castelle, .. Aragonum, .. Portugalie et .. Maioricarum regum illustrium extra regnum Francie habebat seu possidebat et ad eum debite poterant quomodolibet pertinere, dumtaxat exceptis, que dictus predecessor nonnullis ex causis que tunc pro parte regum ipsorum pretense fuerunt, a donatione concessione unione incorporatione applicatione et annexione predictis excepit spetialiter et exclusit ea nichilominus apostolice dispositioni et ordinationi reservans. Postmodum autem ne propter pretensionem causarum huiusmodi ordinatio predictorum bonorum in predictis regnis et terris existentium teneretur diutius in suspenso, predecessor

9. "Vox in excelso", 22 de març de 1312, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 336-343.

FUNDACIÓ NOGUERA

ipse certum peremptorium terminum dictis regibus per apostolicas litteras assignavit, in quo per procuratores seu nuncios ydoneos plenum et spetiale mandatum habentes ab eis cum omnibus rationibus et munimentis ad causas pertinentibus memoratas apostolico se conspectui presentarent, informaturi eum de causarum veritate et essentia predictarum sueque super illis ordinationibus beneplacitum audituri. Cumque dictus rex Aragonum propter hoc ad predecessoris eiusdem et subsequenter ad nostram, postquam fuimus domino permittente ad statum apostolice dignitatis assumpti, presentiam nuncios suos diversis vicibus destinasset, qui causas et rationes varias allegarunt, propter quas bona ipsa in regno suo sistentia uniri et incorporari non posse memorato ordini hospitalis absque ipsorum regis et regni evidenti preiudicio et dispendioso periculo asserebant. Tandem post longam et diutinam altercationem super hoc habitam cum dilecto filio nobili viro Vitale de Villanova nuncio et procuratore dicti regis Aragonum ad hoc sufficiens plenum et spetiale mandatum habente, cuius equidem mandati copiam presentibus inseri iussimus ad cautelam ipsiusque regis nomine consentiente presentibus quoque atque consentientibus, in quantum tangi poterant, dilectis filiis fratribus Leonardo de Tibertis priore Venetiarum generali visitatore et generali procuratore ac multis ex prioribus et fratribus dicti ordinis Hospitalis eiusdem ordinis nomine, de fratrum nostrorum consilio in modum qui sequitur, duximus ordinandum. Cum enim illa feda Sarracenorum natio et impia christiani nominis inimica in fronteria regni Valentie, quod est ipsius regis Aragonum constituta, regnum ipsum eiusque fideles in summi regis offensam per successus abolim temporum diversorum angustiis multarum tribulationum afflixerit, discriminibus subiecerit variis et crudeliter propriam impietatem armaverit, sicut et adhuc armare conatur, in exterminium eorundem. Nos eisdem regi et regno atque fidelibus adversus huiusmodi hostiles incursus prospici cupientes, dicti regis supplicationibus inclinati, monasterium in castro de Montesia Valentine diocesis infra dictum regnum Valentie constituto de predictorum fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ordinamus de novo, ad honorem dei et exaltationem catholice fidei ac depressionem ipsorum infidelium construi, in quo fratres ordinis Calatravensis, ad quos rex ipse non parum affici dicitur et de quorum strenuitate confidit ut fertur pro defensione dicti regni Valentie ac fidelium incolarum ipsius ab hostium dicte fidei eisdem vicinantium periculosis insultibus debeant collocari, ut sic idem regnum ac fideles eo ferventius dictis hostibus resistere valeant, quo plurium viribus conflatis in unum maiori potentia fulcietur. Cui quidem monasterio plena super hoc cum eisdem fratribus nostris deliberatione prehabita et de ipsorum

FUNDACIÓ NOGUERA

consilio ac eiusdem plenitudine potestatis, ducti presertim dicti regis instantia, exnunc ex causa premissa omnia et singula bona immobilia quecunque et in quibuscunque sistentia nomina actiones iura iurisdictiones et honores homines et vassallos quoslibet et alia quecunque, que dictus quondam ordo templi tempore captionis predicte habebat et habere debebat et quicquid etiam idem ordo Hospitalis habet adpresens et ad eum pertinere potest et debet quacunque ratione vel causa in eodem regno Valentie necnon parrochialem ecclesiam dicti castri de Montesia auctoritate apostolica donamus incorporamus applicamus annectimus imperpetuum et unimus, domo tamen cum ecclesia censibus ac redditibus quos idem ordo hospitalis sancti Iohannis habet in civitate Valentie et eius territorio per mediam leucam circumcirca et castro etiam loco seu villa de Torrent dicte Valentine diocesis cum iuribus et pertinentiis suis ab huiusmodi donatione unione incorporatione et applicatione dumtaxat exceptis, que Hospitali predicto volumus remanere, decernentes irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Et nichilominus concedentes magistro et fratribus ordinis supradicti, qui pro tempore fuerint, quod omnibus et singulis privilegiis immunitatibus et libertatibus gaudeant, que magistro et fratribus eiusdem ordinis in dicto regno Castelle consistentibus sunt ab apostolica sede concessa, quodque ipsi magister et fratres eiusdem ecclesie de Montesia curam gerere valeant per ydoneum presbiterum ipsius ordinis professorem. Volumus autem quod magister et fratres eiusdem monasterii construendi, qui pro tempore fuerint, pro dictis bonis ut predicitur concessis eisdem ea que dicti Hospitalis et quondam Templariorum fratres facere debebant cum bona tenebant predicta facere teneantur, quodque dictus rex Aragonum omnia servitia et iura regalia, que tam ipse quam sui ab Hospitalis et quondam ordinis Templi predictorum fratribus, dum ordo ipse Templariorum subsistebat, necnon et hominibus atque bonis ipsorum habent et habere consueverant temporibus retroactis, habere valeat a magistro et fratribus predicti monasterii construendi sibique et suis in eisdem hominibus et bonis salva et illibata serventur et integra iura et servitia supradicta, nec super ipsis eidem regi vel suis aliquod preiudicium generetur. Statuimus insuper et etiam ordinamus quod prefatum monasterium taliter construendum eidem ordini de Calatrava hoc sit modo subiectum, videlicet quod magister ipsius ordinis de Calatrava, qui est et pro tempore fuerit, possit per se vel per alium seu alios dictum monasterium semel in anno vel pluries si necesse fuerit visitare et in eodem corrigere que fuerint corrigenda. Ita tamen quod ipse magister de Calatrava cum voluerit in eodem novo monasterio huiusmodi visitationis officium exercere, diem adventus eius

FUNDACIÓ NOGUERA

dilecto filio .. abbati monasterii sanctarum Crucum ordinis Cisterciensis Terraconensis diocesis per tantum tempus ante ipsius magistri vel illius, quem ipse magister ad ipsius visitationis officium destinabit, debeat nunciare quod idem abbas sanctarum Crucum ipso die adventus prefati magistri vel illius quem ad hoc idem magister ut predicitur destinabit, pro visitatione predicta possit esse paratus, vel si forsan ipse vacare non posset, dilectus filius .. abbas monasterii sancte Marie de Valle digna eiusdem Cisterciensis ordinis dicte Valentine diocesis valeat in dicta visitatione cum dicto magistro vel alio pro visitatione huiusmodi destinando suam presentiam exhibere, nec magister ipse in eodem monasterio noviter construendo absque consilio et consensu alterius abbatum predictorum correctionem vel ordinationem possit aliquam exercere. Quod si forte neuter abbatum ipsorum ad prefatum monasterium novum die visitationis huiusmodi posset accedere, dicto magistro visitationem exercere liceat supradictam. Volumus autem quod administratores novi monasterii supradicti abbati et magistro de Calatrava prefatis pro personis et equis eorum dicta visitatione durante teneantur in victualibus providere. Ceterum provisionem de primo magistro dicto novo monasterio faciendam dispositioni nostre et sedis apostolice reservamus, qui cum creatus extiterit, recipiendi fratres ibidem quot voluerit et viderit expedire plenam et liberam habeat potestatem, ad quorum informationem iidem magister et abbas eiusdem monasterii sanctarum Crucum decem fratres eiusdem ordinis de Calatrava in eodem ordine approbatos de quibus eis visum fuerit convocabunt. Statuimus etiam auctoritate predicta quod magistro ipsius novi monasterii, qui pro tempore fuerit, cedente vel etiam decedente conventus seu fratres eiusdem monasterii eligendi sibi et eidem monasterio magistrum aliquem de ipso ordine Calatravensi liberam infra trium mensium spatium ad tardius habeant facultatem. Qui eo ipso quod electus extiterit pro confirmato si in plena concordia electus fuerit habeatur et sine confirmatione alia libere administret. Quod si forte idem conventus et fratres infra dictum tempus magistrum non elegerint antedictum, prefatus magister de Calatrava cum consilio et assensu alterius abbatum predictorum possit de magistro dicto novo monasterio providere. Cetera vero bona omnia et singula, que dictus quondam ordo Militie Templi tempore captionis predicte in eodem regno Aragonum et terris aliis regi predicto subiectis habebat possidebat et habere poterat et debebat et que ad illum poterant rationabiliter pertinere queve per dictum regem Aragonum vel alium quemlibet detinebantur et detinentur in regno et terris eisdem assentiente predicto Vitale nomine dicti regis ordini et Hospitali predictis donanda concedenda unienda incorporanda anectenda duximus et perpetuo applicanda, certis modis adiectis quos

FUNDACIÓ NOGUERA

pro plena securitate ipsorum regis et regni Aragonum et ad propellenda imminentia sibi queque pericula vidimus expedire, prout in nostris certi tenoris litteris super hoc confectis, quas in suo volumus robore permanere, plenius continetur. Que omnia et singula idem Vitalis nomine procuratorio dicti regis Aragonum necnon visitator procurator priores et fratres dicti ordinis Hospitalis presentes inibi eiusdem ordinis nomine, in quantum videlicet quelibet pars exinde tangebatur et tangi poterat et debebat, acceptaverunt et approbaverunt expresse rata habuerunt et grata, nichilominus promittentes se bona fide effecturos et curaturos, quod rex et ordo predicti ea omnia et singula, prout ad unumquemque pertinebit, pertinere poterit et debebit, acceptabunt et approbabunt, rata habebunt et grata eaque servare ac adimplere curabunt, ullo unquam tempore in contrarium non venturi. Tenor autem procuratorii dicti Vitalis talis est:

Nos Iacobus dei gratia rex Aragonum Valentie Sardinie et Corsice ac comes Barchinone confidentes de fide legalitate et industria nostri dilecti consiliarii ac familiaris nostri Vitalis de Villanova militis cum testimonio presentis publici instrumenti constituimus et ordinamus vos dictum Vitalem presentem et hanc procurationem sponte suscipientem certum et spetialem procuratorem nostrum ad tractandum concordandum et conveniendum pro parte nostra cum sanctissimo in Christo patre ac domino domino Iohanne divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifice super ordinatione per ipsum dominum summum pontificem facienda de bonis, que ordo quondam Templi habebat infra limites regnorum et terrarum nostre ditioni subiectarum et ad consentiendum nostro nomine ordinationi de dictis bonis per dictum dominum summum pontificem faciende, prout idem dominus summus pontifex voluerit ordinare, et super huiusmodi ordinatione cum ipso domino summo pontifice poteritis concordare et ad firmandum ex parte nostra quamcunque dispositionem seu ordinationem dictus dominus summus pontifex fecerit, ut premittitur, de bonis predictis et ad obligandum vos nostro nomine dicto domino summo pontifici, quod ordinationem iam dictam faciendam per eum de bonis premissis tenebimus et sequemur per nos et successores nostros nec contraveniemus eidem, dantes et concedentes vobis dicto Vitali potestatem plenariam et generalem amministrationem cum libera tractandi concordandi et conveniendi cum dicto domino summo pontifice in predictis et consentiendi cuicumque ordinationi de ipsis bonis per eum, ut predicitur, faciende ac firmandi ordinationem predictam et in personam nostram admittendi et recipiendi quecumque ad nos spectaverint ex ordinatione iam dicta ad nostri et regni nostri satisfactionem et omnia alia faciendi in et super predictis, prout vobis

FUNDACIÓ NOGUERA

videbitur, quecumque nos in predictis et eorum quolibet possemus facere, si presentes essemus, ratum et firmum habere promittentes perpetuo per nos et nostros, quicquid per vos dictum Vitalem nostro nomine in predictis tractatum concordatum conventum et firmatum fuerit et nullo tempore revocare sub bonorum nostrorum omnium ypotheca. In cuius rei testimonium presens scriptum nostrum inde fieri iussimus sigilli maiestatis nostre munimine roboratum. Quod est actum Barchinone, quintodecimo kalendas Martii, anno domini Millesimo Trecentesimo Sextodecimo. Signum Iacobi dei gratia regis Aragonum Valentie Sardinie et Corsice ac comitis Barchinone, qui hec concedimus et firmamus. Testes sunt qui predictis presentes interfuerunt Gondizalbus Garçie miles consiliarius, Petrus Marci thesaurarius et Guil(e)lmus Oulomarii iudex curie domini regis predicti. Signum mei Bernardi de Aversone dicti domini regis notarii et publici etiam auctoritate sua per totam terram et dominationem ipsius domini regis, qui mandato suo hec scribi feci et clausi loco die et anno prefixis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ordinationis donationis incorporationis applicationis annexionis unionis voluntatum constitutionum concessionis et reservationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, IIII Idus Iunii, pontificatus nostri anno Primo.

724

1317 juny 10, Avinyó

Joan XXII dóna publicitat a l'ordenació concertada entre Vidal de Vilanova, missatger i procurador del rei Jaume II d'Aragó, i Lleonard de Tibertis, prior de Venècia, visitador i procurador general de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, a la qual s'adjudiquen els béns que foren de l'extingit orde del Temple dels regnes d'Aragó, excepte els del regne de València, que juntament amb els de l'orde de l'Hospital es destinen a la fundació del monestir de Montesa. Quan prenguin possessió dels esmentats béns, el mestre, el castellà d'Amposta o el comanador juraran fidelitat i prestaran homenatge al rei Jaume II d'Aragó amb dret a assistir a corts com a vassalls seus. Hi ha còpia dels poders, fets pel rei Jaume II d'Aragó, València, Sardenya i Còrsega i comte de Barcelona a Vidal de Vilanova, procurador seu, a Barcelona, el 15 febrer de 1316.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 10.
B Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 10 doble.
a Existeix fil de seda *A*. Butlla perduda *A*. Butlla amb fil de seda *B*.
b BALUZE - MOLLAT, *Vitae paparum Avenionensium*, III, p. 256-263, doc. 49.
c MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, I, p. 371-372, doc. 4057.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 204-205, doc. 391.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 94-95, doc. 5124, 5125.

IOHANNES XXII EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Ad fructus uberes quos sacer ordo Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani et professores illius fidei orthodoxe cultores industrii et christiane religionis strenui defensores hactenus in dei ecclesia sicut fortes athlete illius bella viriliter preliando dominica ac quelibet pro recuperatione terre sancte precipue pericula contempnendo, quin etiam mortis non verendo subire dispendia produxerunt et ipsos in futurum speramus opitulante divina gratia producturos considerationis aciem convertentes eo libentius eis in hiis per que salutare suum circa premissa propositum efficatius exequi valeant et comodius adimplere provisionis dexteram aperimus, quo maiori desiderio cupimus ut ipsius miserabilis terre status cuius compatienter deploramus angustias, a suis calamitatibus et pressuris eorum et fidelium aliorum adiuta suffragiis deo propitio relevetur. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa V predecessor noster quondam ordinem Militie Templi Ierosolimitani propter nephandos errores ac scelera varia et diversa, quibus erant dicti ordinis persone resperse ipsiusque statum habitum atque nomen in concilio Viennensi eodem approbante concilio irrefragabili et perpetuo valitura substulit sanctione, illum prohibitioni perpetue supponendo ac inhibendo districtius, ne quis extunc dictum ordinem vel habitum eius suscipere seu deferre vel pro Templario se gerere quomodolibet attemptaret, bonis omnibus dicti ordinis apostolice sedis ordinationi cum inhibitione ac decreto auctoritate apostolica reservatis. Demum vero idem predecessor attente considerans quod fratres predicti ordinis Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani pro recuperatione maxime ipsius terre sancte ducebant sicut et ducunt, pericula quelibet in contemptum, post deliberationem super hoc cum fratribus suis sancte Romane ecclesie cardinalibus necnon patriarchis archiepiscopis episcopis ac prelatis aliis et nonnullis principibus et illustribus viris ac prelatorum absentium capitulorumque atque conventuum ecclesiarum et monasteriorum procuratoribus tunc in dicto concilio constitutis prehabitam diligentem, omnia bona predicti quondam ordinis Templariorum, que idem ordo eo tempore quo .. magister et nonnulli ex fratribus dicti ordinis in regno Francie communiter capti fuerunt, videlicet anno domini Mil-

FUNDACIÓ NOGUERA

lesimo CCCVIII mense Octobris per se vel quoscunque alios habebat tenebat et possidebat ubilibet vel ad ipsum ordinem et predictos magistrum et fratres ipsius ordinis pertinere poterant et debebant, pretacto ordini Hospitalis et ipsi Hospitali donavit concessit univit incorporavit applicavit et annexuit imperpetuum de apostolice plenitudine potestatis, bonis illis que idem ordo Templariorum in regnis et terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum .. Castelle, .. Aragonum, .. Portugalie et .. Maioricarum regum illustrium extra regnum Francie habebat seu possidebat et ad eum poterant debite quomodolibet pertinere, dumtaxat exceptis, que dictus predecessor nonnullis ex causis que tunc pro parte regum ipsorum pretense fuerunt, a donatione concessione unione incorporatione applicatione et annexione predictis excepit specialiter et exclusit ea nichilominus apostolice dispositioni et ordinationi reservans. Postmodum autem ne propter pretensionem causarum huiusmodi ordinatio predictorum bonorum in predictis regnis et terris existentium teneretur diutius in suspenso, predecessor ipse certum peremptorium terminum dictis regibus per apostolicas litteras assignavit, in quo per procuratores seu nuntios ydoneos plenum et speciale mandatum habentes ab eis cum omnibus rationibus et munimentis ad causas pertinentibus memoratas apostolico se conspectui presentarent, informaturi eum de causarum veritate et essentia predictarum sueque super illis ordinationibus beneplacitum audituri. Cumque dictus rex Aragonum propter hoc ad predecessoris eiusdem et subsequenter ad nostram, postquam fuimus domino permittente ad statum apostolice dignitatis assumpti, presentiam nuntios suos diversis vicibus destinasset, qui causas et rationes varias allegarunt, propter quas bona ipsa in regno suo sistentia uniri et incorporari non posse memorato ordini Hospitalis absque ipsorum regis et regni evidenti preiudicio et dispendioso periculo asserebant. Tandem post longam et diutinam altercationem super hoc habitam cum dilecto filio nobili viro Vitale de Villanova nuntio et procuratore dicti regis Aragonum ad hoc sufficiens plenum et speciale mandatum habente, cuius equidem mandati copiam presentibus inseri iussimus ad cautelam ipsiusque regis nomine consentiente presentibus quoque atque consentientibus, in quantum tangi poterant, dilectis filiis fratribus Leonardo de Tibertis priore Venetiarum generali visitatore et generali procuratore ac multis ex prioribus et fratribus dicti ordinis Hospitalis eiusdem ordinis nomine, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, in modum qui sequitur, duximus ordinandum. Cum enim illa feda Sarracenorum natio et impia christiani nominis inimica in fronteria regni Valentie, quod est ipsius regis Aragonum constituta, regnum ipsum eiusque fideles in summi regis offensam per successus abolim temporum

FUNDACIÓ NOGUERA

diversorum angustiis multarum tribulationum afflixerit, discriminibus subiecerit variis et crudeliter propriam impietatem armaverit, sicut et adhuc armare conatur, in exterminium eorundem. Nos eisdem regi et regno atque fidelibus adversus huiusmodi hostiles incursus prospici cupientes, monasterium in castro de Montesia Valentine diocesis infra dictum regnum Valentie constituto ad honorem dei et exaltationem catholice fidei ac depressionem infidelium predictorum ordinavimus de novo, ducti presertim devota dicti regis instantia, construendum, in quo fratres ordinis Calatravensis, ad quos rex ipse non parum affici dicitur et de quorum strenuitate confidit ut fertur pro defensione dicti regni Valentie et fidelium incolarum ipsius ab hostium dicte fidei vicinorum eisdem periculosis insultibus collocentur, ut sic iidem regnum et fideles eo ferventius dictis hostibus resistere valeant, quo plurium viribus conflatis in unum maiori potentia fulcientur. Cui quidem monasterio plena super hoc cum eisdem fratribus nostris deliberatione prehabita et de ipsorum consilio ex causa premissa dicti regis supplicationibus incinati, bona immobilia omnia et singula quecunque et in quibuscunque sistentia, que dictus quondam ordo Templi tempore captionis predicte habebat et habere debebat et quicquid idem ordo Hospitalis habet adpresens et ad eum pertinere potest et debet quacunque ratione vel causa in eodem regno Valentie ac etiam parrochialem ecclesiam dicti castri de Montesia donanda concedenda unienda incorporanda applicanda imperpetuum duximus et etiam annectenda, domo cum ecclesia censibus ac redditibus quos idem Hospitale sancti Iohannis in civitate Valentie et eius territorio per mediam leucam circumcirca et castro etiam loco seu villa de Torrent dicte Valentine diocesis cum iuribus et pertinentiis suis dumtaxat exceptis, que Hospitali predicto volumus remanere, prout in nostris certi tenoris litteris super hoc confectis, quas in suo volumus robore permanere, plenius continetur. Cetera vero loca et possessiones domos ecclesias capellas oratoria monasteria castra villas terras fortellitia et quecunque alia bona immobilia tam ecclesiastica quam mundana necnon nomina actiones iura iurisdictiones et honores homines et vassallos quoslibet, que dictus quondam ordo Militie Templi tempore captionis predicte in eodem regno Aragonum et terris aliis regi predicto subiectis habebat possidebat et habere poterat et debebat et que ad illum poterant rationabiliter pertinere queve per dictum regem Aragonum vel alium quemlibet detinentur in regno et terris eisdem, assentiente dicto Vitale nomine dicti regis ordini et Hospitali predictis de predictorum fratrum consilio et eiusdem plenitudine potestatis donamus concedimus unimus incorporamus annectimus et perpetuo applicamus, decernentes irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter

FUNDACIÓ NOGUERA

contigerit attemptari, ac volentes et expresse mandantes ea omnia et singula magistro fratribus Hospitali et ordini sepedictis seu alii vel aliis pro eisdem per dictum regem Aragonum et detentores alios quoslibet indilate restitui assignari et reddi integraliter cum effectu. Volumus autem et auctoritate presentium ordinamus pro plena securitate ipsorum regis et regni Aragonum et ad propellenda iminentia sibi queque pericula, quod magister predicti Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani aut preceptor seu castellanus loci Emposte in partibus Cathalonie constituti vel commendator maior, qui tam Hospitalis eiusdem quam hiis que fuerunt quondam dicti ordinis Templariorum bonis pro tempore in regnis et terris eidem Aragonum regi subiectis prefuerit, ante quam administrationi huiusmodi bonorum se ingerat, coram dicto rege qui nunc est vel qui pro tempore fuerit, si regem ipsum tunc in aliquo regnorum suorum Aragonum videlicet seu Valentie aut comitatu Barchinonensi fore contigerit, personaliter se presentet eique prestet iuramentum et homagium faciat in hunc modum, videlicet quod ipse magister aut castellanus vel commandator fidelis erit eidem regi, et per se vel alium nunquam aliquid faciet vel procurabit vel fieri seu procurari consentiet publice vel occulte, propter quod eidem regi et suis vel regnis aut terris eius aliquod dampnum valeat evenire, quod si forte sciret aliquid procurari vel fieri quod in dampnum dicti regis aut regnorum seu terrarum ipsius esse vel cedere posset, id eidem regi quamcito poterit intimabit vel faciet intimari et nichilominus impediet iuxta posse, quodque de castris villis et locis aliis ac hominibus que dictus ordo Hospitalis habet adpresens vel habebit imposterum in regnis et terris predictis necnon castris villis et locis aliis ac hominibus qui fuerunt quondam dicti ordinis Templariorum, nunquam dicto regi vel subditis regnis et terris suis eodem magistro seu preceptore aut castellano vel comandatore sciente volente mandante aut ratum habente aliquod dampnum eveniet infuturum, quod si forte id sciverit vel senserit, totis impediet viribus et in quantum in eo fuerit amovebit. Iuramentum vero et homagium supradicta per dictum magistrum vel preceptorem aut castellanum seu comandatorem non ratione dictorum bonorum sed ratione persone prestantis, regi prestari et fieri volumus supradicto, nullumque ipsi regi ex iuramento vel homagio sepedictis in bonis eisdem quomodolibet ius acquiri. Que quidem iuramentum et homagium idem rex infra decem dierum spatium recipere teneatur, quod si rex ipse iuramentum et homagium huiusmodi infra terminum ipsum forte recipere non curaret, liceat dicto magistro aut preceptori vel castellano seu comandatori absque displicentia et indignatione dicti regis ab ipso rege recedere et officium preceptorie seu castellanie aut comandarie bonorum huiusmodi exercere libere et sicut pro

FUNDACIÓ NOGUERA

utilitate dicti ordinis sibi videbitur expedire administrare plenarie in eisdem. Si vero in primo magistri seu preceptoris aut castellani seu comandatoris eiusdem adventu ad regna vel comitatum predicta dictum regem, qui nunc est vel qui pro tempore fuerit, ab ipsis regnis et comitatu abesse forte contingeret, idem magister vel preceptor aut castellanus seu comandator locumtenenti dicti regis teneatur prestare iuramentum et homagium facere supradicta. Eodem vero magistro seu preceptore castellano aut comandatore absente locumtenens ipsius teneatur dicto regi, si in aliquo dictorum regnorum aut memorato comitatu extiterit, alioquin eiusdem regis locumtenenti iuramentum prestare et homagium facere, sicut superius est expressum. Et si contingeret fortassis interdum quod predictis bonis magister aut preceptor seu castellanus vel comandator aliquis non preesset, locumtenens ipsius aut ille qui bonorum ipsorum administrationem habuerit, prefato regi vel eius locumtenenti ipso rege a regnis et comitatu predictis absente iuramentum prestet et homagium faciet supradicta. Inferiores quoque preceptores Hospitalis eiusdem eorumque locumtenentes, cum preceptores ipsos a dictis terris eiusdem regis Aragonum absentes fore contingeret, ante quam incipiant in bonis administrare predictis, offerre iuramentum et homagium huiusmodi dicto regi, si ipse in aliquo dictorum regnorum aut comitatu in quo preceptoria fuerit, presens extiterit, alioquin locumtenenti eius infra predictum tempus prestare iuramentum et homagium facere huiusmodi teneantur, quo elapso sive dicta iuramentum et homagium sint recepta vel etiam non recepta, liceat predictis inferioribus preceptoribus vel ipsorum locatenentibus ad eorum loca redire et absque displicentia vel indignatione regis eiusdem seu locumtenentis ipsius in bonis administrare libere supradictis. Volumus tamen quod tam magister ipse seu castellanus aut preceptor maior predicti Hospitalis seu locumtenens ipsius eo absente quam alii qui fuerint sub eodem in regnis et terris eiusdem regis Aragonum ad curias ipsius regis accedant et ei et suis heredibus et successoribus omnia faciant, que ipsi iidem ac quondam Templarii predicte ipsorum captionis tempore facere tenebantur quodque dictus rex Aragonum omnia servitia et iura regalia que tam ipse quam sui ab Hospitalis et quondam Templi ordinum predictorum fratribus, dum ordo ipse Templariorum subsistebat, necnon et hominibus atque bonis ipsorum habere consueverant temporibus retroactis et habere noscuntur, a magistro sive castellano et fratribus ordinis Hospitalis habere valeat supradicti, ac eidem regi et suis in eisdem hominibus et bonis salva et illibata serventur et integra iura et servitia supradicta, nec super ipsis eidem regi vel suis aliquod preiudicium generetur. Que omnia et singula idem Vitalis nomine procuratorio dicti regis Aragonum necnon visitator procurator priores et

FUNDACIÓ NOGUERA

fratres dicti ordinis Hospitalis presentes inibi eiusdem ordinis nomine, in quantum videlicet quelibet pars exinde tangebatur et tangi poterat et debebat, acceptaverunt et approbaverunt expresse rata habuerunt et grata, nichilominus promittentes se bona fide effecturos et curaturos, quod rex et ordo predicti ea omnia et singula, prout ad unumquemque pertinebit, pertinere poterit et debebit, acceptabunt et approbabunt, rata habebunt et grata eaque servare ac adimplere curabunt, ullo umquam tempore in contrarium non venturi. Tenor autem procuratorii dicti Vitalis talis est:

Nos Iacobus dei gratia rex Aragonum Valentie Sardinie et Corsice ac comes Barchinone, confidentes de fide legalitate et industria nostri dilecti consiliarii ac familiaris nostri Vitalis de Villanova militis cum testimonio presentis publici instrumenti constituimus et ordinamus vos dictum Vitalem presentem et hanc procurationem sponte suscipientem certum et specialem procuratorem nostrum ad tractandum concordandum et conveniendum pro parte nostra cum sanctissimo in Christo patre ac domino domino Iohanne divina providentia sacrosancte Romane ac universalis ecclesie summo pontifice super ordinatione per ipsum dominum summum pontificem facienda de bonis, que ordo quondam Templi habebat infra limites regnorum et terrarum nostre dictioni subiectarum et ad consentiendum nostro nomine ordinationi de dictis bonis per dictum dominum summum pontificem faciende, prout idem dominus summus pontifex voluerit ordinare, et super huiusmodi ordinatione cum ipso domino summo pontifice poteritis concordare et ad firmandum ex parte nostra quancumque dispositionem seu ordinationem dictus dominus summus pontifex fecerit, ut premittitur, de bonis predictis et ad obligandum vos nostro nomine dicto domino summo pontifici, quod ordinationem iandictam faciendam per eum de bonis premissis tenebimus et sequemur per nos et successores nostros, nec contraveniemus eidem, dantes et concedentes vobis dicto Vitali potestatem plenariam et generalem administrationem cum libera tractandi concordandi et conveniendi cum dicto domino summo pontifice in predictis et consentiendi cuicunque ordinationi de ipsis bonis per eum, ut predicitur, faciende ac firmandi ordinationem predictam et in personam nostram admittendi et recipiendi quecunque ad nos spectaverint ex ordinatione iamdicta ad nostri et regni nostri satisfactionem et omnia alia faciendi in et super predictis, prout vobis videbitur, quecumque nos in predictis et eorum quolibet possemus facere, si presentes essemus, ratum et firmum habere promittentes perpetuo per nos et nostros, quicquid per vos dictum Vitalem nostro nomine in predictis tractatum concordatum conventum et firmatum fuerit et nullo tempore revocare sub bonorum nostrorum omnium

FUNDACIÓ NOGUERA

ypotheca. In cuius rei testimonium presens scriptum nostrum inde fieri iussimus sigilli maiestatis nostre munimine roboratum. Quod actum est Barchinone, quintodecimo kalendas Martii, anno domini Millesimo Trecentesimo Sextodecimo. Signum Iacobi dei gratia regis Aragonum Valentie Sardinie et Corsice ac comitis Barchinone, qui hec concedimus et firmamus. Testes sunt qui predictis presentes interfuerunt Gondiçalbus Garçie miles consiliarius, Petrus Marci thesaurarius et Guil(elmu)s Oulomarii iudex curie domini regis predicti. Signum mei Bernardi de Aversorie dicti domini regis notarii et publici etiam auctoritate sua per totam terram et dominationem ipsius domini regis, qui mandato suo hec scribi feci et clausi loco die et anno prefixis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ordinationis donationis concessionis unionis incorporationis applicationis annexionis voluntatis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, IIII Idus Iunii, pontificatus nostri anno Primo.

725

1317 juny 11, Avinyó

Joan XXII concedeix al mestre i als frares de l'orde de Calatrava la fundació a Montesa, diòcesi de València, d'un monestir del seu orde amb els béns dels ordes del Temple i de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem del regne de València amb tots els privilegis, immunitats i llibertats atorgades per la Seu Apostòlica. Els insta a la visita anual i els dóna normes per a l'elecció del mestre, que es farà per sufragi directe dels religiosos dins el trimestre que es produeixi la vacant; en cas contrari, serà nomenat pel mestre general juntament amb els abats de Santes Creus de la diòcesi de Tarragona i de Santa Maria de Valldigna de la diòcesi de València, excepte la primera vegada, que serà nomenat pel papa.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 11.
a Butlla reaprofitada amb fil de cànem.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, I, p. 372, doc. 4066.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 205, doc. 392.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 95, doc. 5126.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. magistro et fratribus ordinis Calatravensis salutem et apostolicam

FUNDACIÓ NOGUERA

benedictionem. Dum ordinis vestri sacra religio quam in domo domini prelucere conspicimus in scrutinio nostre considerationis adducitur et dum ad orthodoxe fidei cultores industrios ac religionis christiane defensores strenuos, quos producit extendimus apostolice meditationis intuitum paterne sollicitudinis excitamur instantia ut status eius ex nostra promotione concrescat eiusque palmites latius extendantur. Nuper siquidem ex certis et rationabilibus causis, que ad id nostrum et fratrum nostrorum animos induxerunt ad instantiam carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris supplicationis instantiam monasterio in castro de Montesia Valentine diocesis infra regnum suum Valentie constituto construendo de novo, in quo fratres vestri ordinis locarentur, omnia bona que quondam ordo Militie Templi eo tempore quo magister et nonnulli ex fratribus dicti ordinis in regno Francie communiter capti fuerunt, videlicet anno domini Millesimo Trecentesimo Octavo mense Octobris et quicquid etiam ordo Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani in eodem regno Valentie habuisse noscuntur, certis bonis dumtaxat exceptis, que dicto Hospitali volumus remanere, auctoritate apostolica concedenda donanda incorporanda applicanda et adnectenda duximus ac etiam unienda magistro et fratribus monasterii supradicti, qui fuerint pro tempore, inter alia concedentes quod omnibus privilegiis immunitatibus et libertatibus gaudeant, que vobis et ordini vestro sunt ab apostolica sede concessa, ac statuentes inter cetera et etiam ordinantes quod prefatum monasterium taliter construendum eidem ordini vestro sit hoc modo subiectum, videlicet quod tu fili magister per te vel per alium seu alios ac tui successores, qui pro tempore fuerint, eiusdem ordinis de Calatrava magistri modo simili dictum monasterium valeatis certis modo et forma semel in anno vel pluries si necesse fuerit, visitare et in ipso corrigere que fuerint corrigenda. Primus vero magister ipsius novi monasterii cuius provisionem hac vice dispositioni nostre ac sedis prefate duximus reservandam, cum creatus extiterit recipiendi in dicto monasterio quot vellet fratres et expedire videret plenam haberet et liberam potestatem, ipseque magister dicti novi monasterii et dilectus filius .. abbas monasterii sanctarum Crucum ordinis Cisterciensis Terraconensis diocesis pro instructione fratrum ipsorum decem fratres eiusdem ordinis Calatravensis in eodem ordine approbatos, de quibus eisdem magistro et abbati videretur expediens convocarent. Eodem autem magistro ipsius novi monasterii, qui pro tempore fuerit, cedente vel etiam decedente conventus seu fratres eiusdem monasterii eligendi sibi et ipsi monasterio aliquem de ipso ordine in magistrum infra trium mensium spatium ad tardius liberam habeant facultatem, qui eo ipso quod electus extiterit pro confirmato si in plena concordia electus fuerit habeatur et sine confirmatione

FUNDACIÓ NOGUERA

alia libere administret. Quod si forte iidem conventus vel fratres infra dictum tempus magistrum non elegerint supradictum, tu predicte magister cum predicti sanctarum Crucum vel dilecti filii .. sancte Marie de Valledigna "diocesis "Valentine monasteriorum abbatum consilio et assensu possis de magistro dicto novo monasterio providere. Verum ut prefati monasterii novella plantatio ad divini nominis laudem et gloriam spiritualibus ut optamus incrementis proficiat et vestro suffulta iuvamine temporalibus comodis augeatur ac honoris et honestatis fructus producat uberes in celestibus horreis inferendos, universitatem vestram paterno exhortamur affectu, quatinus considerantes attentius quod per hoc illi qui nullum bonum irremuneratum relinquit acceptum impendetis obsequium, vos apostolicis gratos reddetis affectibus non mediocriter dicto regi placebitis ac vestris et eiusdem ordinis vestri si diligenter inspicitis accrescet honoribus omnia bona, que vos et idem ordo in regnis et terris ipsius regis Aragonum obtinetis, prefato novo monasterio pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia de liberalitatis vestre dono apertis et caritatis visceribus concedatis. Sic igitur huiusmodi exhortationibus nostris circumspectionis vestre devota sinceritas acquiescat quod a deo illud quod pro piis actibus recompensat assequamini premium et proinde nostram et dicte sedis benedictionem et graciam ac prefati regis benivolentiam valeatis uberius promereri.

Dat. Avinione, III Idus Iunii, pontificatus nostri anno Primo.

726

1317 juliol 1, Avinyó

Joan XXII atorga a Pere Comte, canonge de Barcelona, una de les prepositures de l'església de Barcelona, sense cura d'ànimes.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-208.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, I, p. 388, doc. 4223.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Petro Comitis canonico Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Probitatis studia quibus te ferventer intendere testimonio fidedigno percepimus efficaciter promerentur, ut nos personam tuam apostolice munificentie gratia prosequamur. Volentes itaque tibi premissorum studiorum obtentu et consideratione dilecti filii nostri Arnaldi tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis nobis pro te clerico et familiari suo supplicantis liberalitatis nostre ianuam aperire teque in ecclesia Barchinonensi, in qua existis canonicus, honorare, unam

FUNDACIÓ NOGUERA

de preposituris que alias mensate vulgariter nuncupantur quibusque cura non iminet animarum, nulli alii de iure debitam, si in dicta ecclesia vacat ad presens vel cum in ea vacaverit, quam per te vel procuratorem tuum spetiale ad hoc mandatum habentem infra unius mensis spatium postquam tibi vel ipsi procuratori vacatio illius innotuerit duxeris acceptandam, conferendam tibi qui sub expectatione prebende auctoritate nostra in eadem ecclesia in canonicum es receptus post acceptationem huiusmodi donationi apostolice reservamus, inhibentes venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Barchinonensibus ne interim de prepositura huiusmodi etiam ante acceptationem huiusmodi nisi postquam eis constiterit, quod tu vel idem procurator eam nolueritis acceptare disponere quoquo modo presumant, ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis eiusdem ecclesie iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacunque firmitate alia roboratis seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de preposituris huiusmodi vel personatibus seu dignitatibus in dicta ecclesia spetiales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales eiusdem sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra preposituras easdem vel personatus seu dignitates in dicta ecclesia expectantibus te in assecutione prepositure huiusmodi, quam ut predicitur acceptaveris volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem prepositurarum personatuum vel dignitatum seu beneficiorum aliorum preiudicium generari aut si dictis episcopo et capitulo vel quibuslibet aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de preposituris personatibus seu dignitatibus vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel spetiali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio spetialis, sive quod in eadem ecclesia quoddam perpetuum beneficium vocatum de altari sancti Marchi et perpetuam capellaniam ecclesie sancti Iohannis [de] Villamulorum obtines quodque beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collationem vel presentationem .. prepositi monasterii Celsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini

FUNDACIÓ NOGUERA

Gerundensis et Urgellensis diocesium pertinens, quod duceres acceptandum auctoritate apostolica nosceris expectare. Tecum gratiosius dispensantes ut non obstantibus quod de consuetudine ac statuto iuramento firmato in prefata Barchinonensi ecclesia observatur, quod nullus existens canonicus in eadem ecclesia Barchinonensi possit in ea eiusdem altaris vel aliud simile beneficium obtinere beneficium altaris retinere valeas supradictum donec preposituram eandem per te ut premittitur acceptandam fueris pacifice assequutus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre reservationis inhibitionis constitutionis et dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Primo.

727

1317 juliol 1, Avinyó

Joan XXII mana a l'ardiaca de Shropshire de l'església d'Hereford, al sagristà i al precentor de Girona tenir cura per assignar una de les prepositures vacants a Pere Comte, canonge de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-209.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. archidiacono Salopsirie Herefordensis et .. sacriste ac .. precentori Gerundensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Probitatis studia dilecti filii Petri Comitis canonici Barchinonensis quibus ipsum ferventer intendere testimonio fidedigno percepimus efficaciter promerentur, ut nos personam suam apostolice munificentie gratia prosequamur. Volentes itaque sibi premissorum studiorum obtentu et consideratione dilecti filii nostri Arnaldi tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis nobis pro eodem Petro clerico et familiari suo supplicantis liberalitatis nostre ianuam aperire ipsumque in ecclesia Barchinonensi, in qua existit canonicus, honorare, unam de preposituris que alias mensate vulgariter nuncupantur quibusque cura non imminet animarum, nulli alii de iure debitam, si in dicta ecclesia vacat adpresens vel cum in ea vacaverit, quam idem Petrus per se vel procuratorem suum speciale ad hoc mandatum habentem infra unius mensis spacium postquam sibi vel ipsi procuratori vacatio illius innotuerit duxerit acceptandam, conferendam sibi qui sub expectatione prebende auctoritate nostra in eadem ecclesia in canonicum est recep-

FUNDACIÓ NOGUERA

tus post acceptationem huiusmodi donationi apostolice reservavimus, inhibentes venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Barchinonensibus, ne interim de prepositura huiusmodi etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit, quod ipse vel dictus procurator eam noluerint acceptare disponere quoquomodo presumerent, ac decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis eiusdem ecclesie iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de preposituris huiusmodi vel personatibus seu dignitatibus in dicta ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales eiusdem sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra preposituras easdem vel personatus seu dignitates in dicta ecclesia expectantibus dictum Petrum in assecutione prepositure huiusmodi quam ut predicitur acceptaverit, volumus anteferri. Sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem prepositurarum personatuum vel dignitatum seu beneficiorum aliorum preiudicium generari, aut si dictis episcopo et capitulo vel quibuslibet aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneatur et ad id compelli non possint quodque de preposituris personatibus seu dignitatibus vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Sive quod in eadem ecclesia quoddam perpetuum benefitium vocatum de altari sancti Marchi et perpetuam capellaniam ecclesie sancti Iohannis [de] Villamulorum obtinet quodque benefitium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collationem vel presentationem .. prepositi monasterii Celsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Gerundensis et Urgellensis diocesium pertinens, quod duceret acceptandum idem Petrus auctoritate apostolica noscitur expectare, secum gratiosius dispensantes ut non obstantibus quod de consuetudine ac statuto iuramento firmato in prefata Barchinonensi ecclesia observatur, quod nullus existens canonicus in eadem ecclesia Barchinonensi possit in ea eiusdem altaris vel aliud simile benefitium obtinere benefitium

FUNDACIÓ NOGUERA

altaris retinere valeat supradictum donec prepositurum eandem per se ut premittitur acceptandam fuerit pacifice assecutus. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios unam de dictis preposituris per nos ut premittitur reservatam si tempore huiusmodi reservationis nostre vacabat vel extunc vacavit aut cum vacare contigerit in ecclesia supradicta eidem Petro post acceptationem huiusmodi cum iuribus et pertinentiis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem eiusdem prepositure sibi ut predicitur conferende ac iurium et pertinentiarum ipsius et defendentes inductum, fatientes ipsum ad prepositurum eandem sibi ut predicitur conferendam, ut est moris admitti eique de ipsius prepositure fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis seu si prefatis episcopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum ut excommunicari suspendi vel interdici non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Primo.

728

1317 juliol 22, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que concedeix a la seva filla Violant la dispensa de l'impediment de consanguinitat o afinitat en quart grau o en tercer i quart per contraure matrimoni si la persona amb qui s'hagués de casar estigués unida a ella amb aquest parentiu.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 28, núm. 12.
a Butlla amb fil de seda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, I, p. 411, doc. 4478.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 205-206, doc. 393.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 97, doc. 5133.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Et si inter illos qui quarto vel tertio affinitatis seu consanguinitatis gradu invicem sunt coniuncti sacrorum canonum instituta matrimonialem copulam interdicant. Summus tam pontifex ex plenitudine potestatis quam non ab homine obtinet sed a deo

FUNDACIÓ NOGUERA

nonnumquam rigorem huiusmodi iustitie mansuetudine temperat et quod negat iuris severitas maxime circa sublimes personas pro pace regentium et regnorum cum id attendit salubriter expedire de gratia benignitatis indulget. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod dilecta in Christo filia Violant nata tua nonnullis regibus et aliis principibus et baronibus seu ipsorum filiis diversis consanguinitatis et affinitatis gradibus a iure prohibitis est coniuncta, ita quod cum nullo eorum propter impedimentum ex huiusmodi consanguinitate vel affinitate proveniens posset matrimonialiter copulari, licet ex huiusmodi matrimonio si fieret cum aliquo eorundem possent tibi et regno tuo multa comoda verisimiliter provenire, ac guerre dissensiones et scandala evitari. Quare nobis humiliter supplicasti ut super premissis eidem nate tue ac illi ex prefatis regibus seu principibus vel baronibus aut filiis eorundem qui cum eadem filia tua matrimonium fuerit contracturus providere de oportuno dispensationis beneficio dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, eidem nate tue quod uni ex predictis regibus seu principibus vel baronibus aut filiis eorundem sibi in quarto gradu ex utroque latere vel in quarto ex uno et in tertio gradu ex altero consanguinitatis et affinitatis huiusmodi latere attinenti dummodo fidelis existat et gratiam et communionem apostolice sedis habeat ac ille cum ea matrimonium invicem contrahere valeant et in sic contracto licite remanere, impedimento quod ex dicta consanguinitate et affinitate provenit non obstante auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem suscipiendam ex eis legitimam nuntiantes de apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XI Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Primo.

729

1317 setembre 5, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó la seva alegria per la treva concertada entre els reis Robert de Sicília (Nàpols) i Frederic II de Trinàcria, a la qual contribuí molt el seu missatger Arnau de Torrelles, cavaller, i l'anima, per mediació d'Arnau de Vilanova, perquè continuï fomentant la pau, encara que estigui una mica molest per la resolució sobre els béns dels templers.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 15.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 206-207, doc. 395.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cesserunt nobis fili carissime nec dubium quin et celsitudini regie cesserint ad gaudii et exaltationis multe materiam nova felicia de treuga videlicet inter carissimos in Christo filios nostros Robertum Sicilie et Fredericum Trinacrie reges illustres inita noviter et firmata licet etenim cunctis fidei orthodoxe cultoribus treuga huiusmodi esse debuerit excitativa leticie nobis tamen et tibi eo specialior causa debet inde succrescere iocunditatis et gaudii, quo per nos et utriusque nuncios speciales laboravimus in ipsius treuge promotione solertius et quo etiam delectabilius in ea future pacis ymaginem contemplamur. Illud namque solet haberi gratius et precarius acceptari, quod anxie queritur et laboriosius invenitur. Sed et tu magnifice princeps nichilominus letari debes tuum in electione nuncii ad regum ipsorum presentiam, propterea destinati non errasse iudicium, cum sicut gratanter audivimus, dilectus filius nobilis vir Arnaldus Torrollas miles et nuncius tuus tanquam pacis angelus concordieque zelator tuum ad pacificandos reges eosdem ingens desiderium evidenter ostendit in procurandis treugis huiusmodi et dependentibus ex eisdem per fidelis et solertis cooperationis effectum. Ecce dilectissime fili, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ad tractandum de pace inter reges ipsos ydoneos, cum sedatis guerre turbinibus nulla immineant, que possint exasperare negotium aut pacis perturbare tractatum. Ecce iam felix inicium progressum repromittit optimum et egressum. Non igitur torpendum est occio, sed tam laudabili operi vigilantius insistendum, cum nequaquam bene cepisse sufficiat, nisi perseveranter usque ad operis exitum persistatur. Eya ergo fili et tu, qui tam pie tam solicite tamque sumptuose in huiusmodi hactenus laborasti negotio, cui per summum regem bonum datum est te cooperante principium, illud prosequi non omittas. Sed prudenter advertens, quod fortes animo nec debiles viribus, qui sui operis afficiuntur ad exitum, quo plus fini propinquant eo diligentius operantur, ad perfectionem illius nobis, qui ad id non parum afficimur retentioni semper solicitudine collabores. Nec te abinde retrahat, quod illa de viis per dilectum filium nobilem virum Vitalem de Villanova nuncium tuum pro parte tua facundissime nobis tractis, que ad consummationem dicte pacis videbatur habilior, preclusa videtur per id, quod de bonis quondam Templi in regno tuo sistentibus certam ordinationem fecimus, quam novisti. Quia si per viam illam possimus pacis semitas ingredi speramus in pacis actore modos decentes aliquos inveniri, per quos nedum de hiis que hospitali

FUNDACIÓ NOGUERA

sed etiam monasterio de Montesia applicata sunt per ordinationem eandem tuis decenter compendiis satisfiet. Super hiis autem et aliis tractatum tangentibus memoratum per Vitalem eundem plenius scire poteris nostre voluntatis intentum, cui equidem veluti viro provido cautoque secreti custodi et quantum perpendere potuimus ad concordiam huiusmodi affectum gerenti sincerum nos aperuimus super istis uberius et cui eius non ignota tibi fidelitas fidem super hiis, que referet, circa ista adhiberi credulam impetrabit. Ipsum autem Vitalem de diligentia prudentia et fidelitate zeloque sincero ad regii honoris et comodi incrementa magnitudini regie commendamus non aliter quam experti.

Dat. Avinione, Nonas Septembris, pontificatus nostri anno Secundo.

730

1317 setembre 14, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que retorni a Margarida, comtessa de Foix, i als seus fills el lloc de Montcada del qual fou desposseïda pel comte Gastó perquè li negaren l'homenatge que ara estan disposats a prestar-li la vídua i els fills.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 16.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 207, doc. 396.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum patris orphanorum et iudicis viduarum vices licet immeriti geramus in terris pro viduis et pupillis intercessoris partes libenter assumimus, ut indicte nobis vicis offitium exequamur. Cum itaque locum seu Affarium de Monte Chatani ad dilectam in Christo filiam Margaritam comitissam Fuxensem et liberos de Fuxo pertinens pretextu homagii per quondam Gastonem comitem Fuxensem pro loco seu Affario ipso tibi non prestiti ad manum tuum posuisse dicaris, cum tamen dictus comes in ipsius prestatione homagii dici nequiverit negligens veluti qui sicut ponitur a te ipsius prestationis prorogationem habebat. Pietatem regiam attente requirimus et affectuose rogamus, quatinus si est ita dictum Affarium eisdem comitisse et liberis tam obtentu iustitie quam apostolice intercessionis intuitu restitui facias indilate, et nichilominus consideranter attento quod comitissa et liberi antedicti pro homagio huiusmodi faciendo presentiam regiam personaliter adire non possunt, cum illam matura

FUNDACIÓ NOGUERA

senectus et istos etas tenera evidenter excusent, ipsos per procuratorem legitimum aut per se ei quem ad id deputaveris homagium ipsum prout ad eorum quemlibet pertinet prestare paratos ut asserunt pro nostra et apostolice sedis reverentia ad dicti prestationem homagii gratanter admittas sic te in hiis favorabiliter habiturus, quod adeo sperare possis exinde pie actionis premium et a nobis assequi debeas uberioris favoris augmentum.

Dat. Avinione, XVIII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Secundo.

731

1317 octubre 1, Avinyó

Joan XXII ordena a l'arquebisbe de Tarragona (Ximeno Martínez de Luna) i als bisbes de Saragossa (Pere López de Luna) i de Tortosa (Berenguer de Prats) que quan el rei Jaume II d'Aragó hagi lliurat els castells dels templers als hospitalers amb la finalitat de reduir les despeses que va fer durant el seu setge i la seva ocupació li siguin restituïts els immobles d'aquells amb els rèdits acreditats.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 17.
a Butlla amb fil de cànem.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, II, p. 17-18, doc. 5689.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 207-208, doc. 397.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Terraconensi et .. Cesaraugustano ac .. Dertusensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Dudum carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris suique gentes et homines apostolice ducti requisitionis instantia tanquam obedientie filii sicut pro parte sua fuit expositum coram nobis, pro expugnatione castrorum ac bonorum captione que ordo quondam militie Templi in regnis et terris eiusdem regis tempore generalis captionis fratrum ordinis eiusdem habebat et alias pro dicti ordinis capiendis personis dampna subierunt plurima et expensas. Cum itaque castra et bona prefata dilectis filiis .. magistro et fratribus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani ac eidem hospitali et ordini hospitalis eiusdem nuper donanda concedenda unienda incorporanda applicanda et annectenda duxerimus imperpetuum de apostolice plenitudine potestatis bonis illis que monasterio in castro de Montesia Valentine diocesis infra regnum Valentie constituto construendo de novo auctoritate apostolica sunt unita dumtaxat exceptis et nolimus eidem regi obedientiam

FUNDACIÓ NOGUERA

suam esse in hac parte dampnosam, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios dicto regi postquam ipse supradicta bona predictis magistro et fratribus ac hospitali et ordini supradictis seu alii vel aliis pro eisdem iuxta donationem concessionem unionem incorporationem applicationem et annexionem huiusmodi eis factas plene restituerit cum effectu, auctoritate nostra omnia bona mobilia que fuerunt ordinis militie supradicte ac fructus redditus et proventus perceptos de castris et bonis prefatis que ad manus dicti regis postquam sepedicta bona recepit de mandato sedis apostolice pervenerunt, super quo vobis plenam potestatem concedimus, in quandam recompensationem dictorum dampnorum et sumptuum remittatis.

Dat. Avinione, Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Secundo.

732

1317 octubre 14, Avinyó

Joan XXII autoritza el rei Jaume II d'Aragó, a petició pròpia, que enviï al soldà de Babilònia ambaixadors i mercaders amb una nau proveïda de mercaderies no prohibides per dret comú, amb la finalitat de rescatar captius cristians.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 18.
a Butlla amb fil de cànem.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, II, p. 22, doc. 5742.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 208, doc. 398.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Tua nobis celsitudo cum instantia supplicavit, ut cum tu pro liberatione quorundam christianorum qui in terra soldani Babilonie persecutoris efferi nominis christiani in nostri redemptoris obprobrium ab hostibus fidei orthodoxe miserabiliter captivati gravibus carceris scaloribus macerantur tuos intendas ad soldanum et terram predictos ambasciatores et nuntios destinare tibi transmittendi ad eosdem soldanum et terram unam navim que dictos ambasciatores et nuntios ac ceteros mercatores et merces non vetitas deferat, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur predictis captivis pio et paterno compatientes affectu et ad liberationem ipsorum volentes favorem apostolicum impertiri, celsitudini tue mittendi navim predictam ad soldanum et terram prefatos cum ambasciatoribus nuntiis mercatoribus et mercationibus illis que sunt specialiter per constitutiones

FUNDACIÓ NOGUERA

apostolice sedis prohibite, non tamen cum armis ferro lignaminibus et aliis vetitis a iure communi constitutionibus prohibitionibus et processibus apostolice sedis spirituales et temporales sententias penes continentes et mulctas contra transferentes cum mercibus seu mercationibus in Alexandriam et terram soldani predicti editis, factis et habitis nequaquam obstantibus liberam licentiam elargimur, proviso quod fraus circa missionem navis ac mercationum predictorum nullatenus committatur. Quod si secus actum fuerit exnunc huiusmodi concessam licentiam nullius esse penitus decernimus firmitatis. Ceterum volumus quod per diocesanum loci, in quo navis onerabitur supradicta, a .. magistro et ministris eiusdem navis re premissa fiant in fraudem iuramentum specialiter exigatur.

Dat. Avinione, II Idus Octobris, pontificatus nostri anno Secundo.

733

1317 octubre 16, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que presti el seu concurs a Ponç de Sitera, rector de l'església de Vaquièrs (Tolosa), al prevere Arnau Guarini i al laic Joan Sicardi de l'església de Tolosa, diòcesis de Pàmies i d'Urgell, legats seus, enviats a les seves terres per prendre uns falsaris que s'hi han refugiat i traslladar-los a la cúria pontifícia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 19.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 208, doc. 399.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos dilectos filios Pontium de Siterra rectorem ecclesie de Vacheriis, Arnaldum Guairini presbiterum et Iohannem Sicardi laicum Tholosane Appamiarum et Urgellensis diocesium nuntios nostros latores presentium ad regnum et terras tibi subiecta pro perquirendis et capiendis et ad nostram curiam adducendis falsariis, quorum multitudo fertur in eisdem regno et terris perniciose crassari mittamus ad presens, serenitatem regiam rogamus et hortamur attentius, quatinus dictos nuntios Poncium Arnaldum et Iohannem et eorum quemlibet cum per regnum tuum ac terras et loca tue iurisdictioni subiecta transitum fecerint eundo morando et redeundo ac commissum sibi huiusmodi negotium prosequendo pro nostra et apostolice sedis reverentia benigne velis recipere et favorabiliter pertractare, eis de securo conductu necnon de oportuna gente, sub cuius tuta custodia

FUNDACIÓ NOGUERA

ad expensas curie nostre falsarii, quos ceperint, possint ad curiam eandem adduci providendo ac eis et suis in perquirendis et capiendis falsariis ipsis consilium auxilium et favorem liberaliter exhibendo, ita quod ipsi cum ad nos redierint de te referre valeant, que sint grata. Nosque proinde serenitatem regiam commendare merito valeamus.

Dat. Avinione, XVII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Secundo.

734

1317 novembre 17, Avinyó

Joan XXII concedeix a Pere Comte, canonge de Barcelona i familiar d'Arnau, cardenal prevere de Santa Prisca, que pot percebre fins i tot en la seva absència els fruits, rèdits i productes del seu benefici per poder dedicar-se als estudis durant tres anys.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-211.
a Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, II, p. 38, doc. 5910.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Petro Comitis canonico Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex probitatis tue meritis ut personam tuam apostolici favoris plenitudine prosequentes tibi in hiis que digne postulasti reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati consideratione quoque bone memorie Arnaldi tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis cuius clericus et familiaris domesticus existis auctoritate tibi presentium indulgemus, ut fructus redditus et proventus beneficiorum tuorum ecclesiasticorum que nunc obtines et que auctoritate apostolica expectas, cum illa imposterum obtinebis, insistendo scolasticis disciplinis in loco ubi studium vigeat generale, usque ad triennium cum ea integritate possis percipere cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtines personaliter resideres et ad faciendum interim in eisdem ecclesiis personalem residentiam minime tenearis neque ad id a quoquam invitus valeas coartari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum contrariis iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis etiam si tu vel procurator tuus tuo nomine de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea ipsis litteris non utendo etiam ab aliis impetratis prestiteris forsitan iuramentum seu si locorum ordinariis vel aliquibus aliis sit ab eadem sede concessum vel concedi contigerit ut canonicos et personas suarum civitatum et

FUNDACIÓ NOGUERA

diocesium compellere valeant ad faciendum personalem residentiam in eisdem seu si capitulis earundem ecclesiarum vel aliquibus aliis ab eadem sit sede indultum quod canonicis ecclesiarum ipsarum et aliis in eisdem ecclesiis beneficia obtinentibus fructus redditus et proventus prebendarum et beneficiorum suorum ecclesiasticorum ministrare in absentia minime teneantur quodque ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et quibuslibet privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Proviso quod beneficia predicta que obtines et expectas debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis quibus illa iminet nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XV Kalendas Decembris, pontificatus nostri Anno Secundo.

735

1317 novembre 17, Avinyó

Joan XXII mana al bisbe d'Elna (Guillem de Castillon), a l'abat de Fontfreda de la diòcesi de Narbona i a l'ardiaca de Shropshire de l'església d'Hereford que facin proporcionar a Pere Comte, canonge de Barcelona i familiar d'Arnau, cardenal prevere de Santa Prisca, els fruits, rèdits i productes del seus beneficis durant els tres anys que es dediqui als estudis.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-212.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Elnensi et dilectis filiis .. abbati monasterii Fontisfrigidi Narbonensis diocesis ac .. archidiacono Salopsirie in ecclesia Herfordensi salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex probitatis dilecti filii Petri Comitis canonici Barchinonensis meritis ut personam suam apostolici favoris plenitudine prosequentes sibi in hiis que digne postulat reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod nos dicti Petri supplicationibus inclinati, consideratione quoque bone memorie Arnaldi

FUNDACIÓ NOGUERA

tituli sancte Prisce presbiteri cardinalis, cuius clericus et familiaris domesticus extitit, auctoritate litterarum nostrarum sibi duximus indulgendum, ut fructus redditus et proventus beneficiorum suorum ecclesiasticorum que idem Petrus tunc obtinebat et que auctoritate apostolica expectat, cum illa imposterum obtinebit, insistendo scolasticis disciplinis in loco ubi studium vigeat generale, usque ad triennium cum ea possit integritate percipere cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperet, si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinet personaliter resideret et ad faciendum interim in eisdem ecclesiis personalem residentiam dictus Petrus minime teneretur neque ad id a quoquam invitus coartari valeret. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum contrariis iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis, etiam si idem Petrus vel procurator suus suo nomine de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo etiam ab aliis impetratis prestiterit forsitan iuramentum seu si locorum ordinariis vel aliquibus aliis sit ab eadem sede concessum vel concedi contingeret, ut canonicos et personas suarum civitatum et diocesium compellere valeant ad faciendum personalem residentiam in eisdem seu si capitulis earundem ecclesiarum vel aliquibus aliis ab eadem sit sede indultum quod canonicis ecclesiarum ipsarum et aliis in eisdem ecclesiis beneficia obtinentibus fructus redditus et proventus prebendarum et beneficiorum ecclesiasticorum ministrare in absentia minime teneantur [quodque] ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et quibuslibet privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per que nostris litteris non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in eisdem nostris litteris mentio specialis. Proviso quod beneficia predicta que idem Petrus obtinet et expectat debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis quibus illa iminet nullatenus negligatur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eidem Petro vel procuratori suo eius nomine faciatis huiusmodi fructus redditus et proventus iuxta huiusmodi concessionis nostre tenorem per idem triennium integre ministrari. Non obstantibus omnibus supradictis seu si aliquibus ab eadem sit sede indultum, quod excommunicari interdici nequeant aut suspendi per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. Avinione, XV Kalendas Decembris, pontificatus nostri Anno Secundo.

736

1317 desembre 11, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que acudeixi a Avinyó el dia u del maig vinent per a la signatura de la treva de pau establerta entre Robert de Sicília (Nàpols) i Frederic II de Trinàcria, acte al qual ambdós reis han promès l'assistència. Aquesta treva fou portada a terme pels legats del papa, el bisbe Guillem (Méchin) de Troyes i el mestre Pere Teixidor, doctor en decrets, prior de Sant Antoni de Rodés, capellà seu, i el cavaller Arnau de Torrelles, missatger del rei.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 20.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 340, doc. 159 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 209, doc. 400.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ecce fili carissime venerabilis frater noster Guilelmus Trecensis episcopus et dilecti filii magister Petrus Textoris decretorum doctor prior sancti Antonini diocesis Ruthenensis capellanus noster apostolice sedis et nobilis vir Arnaldus de Turrillis miles celsitudinis regie nuncii pridem per nos et te ad carissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti Sicilie et Frederici germani tui Trinacrie regum illustrium presentiam pro tractatu pacis inter eos ineunde negocio destinati ad nos diebus proximis prospere duce domino redierunt, qui eo prestante in cuius manu sic sunt corda regum ut quocunque voluerit vertat ea tueque diligentie ac efficacie ministerio suffragante sic utiliter sicque sedule commissis sibi vacaverunt agendis, quod felix datum est illis inicium, cui eo disponente, qui opus imperfectionis ignorat, speramus bonum progressum accedere et demum tribui votivum egressum. Licet etenim ad id prorsus nostra dirigeretur intentio, quod castra Calabrie restituerentur manualiter regi Sicilie prelibato, satis tamen acceptum habemus, quod idem Trinacrie rex castra ipsa libere et absolute in nostrorum manibus nunciorum nostro fecit nomine assignari. Sed et illud nostris et tuis pariter gratum esse debet affectibus, quod reges ipsi treugis auctoritate nostra inter ipsos per nuncios indictis eosdem concorditer acceptatis, liberaliter annuerunt

FUNDACIÓ NOGUERA

assignationi diei sibi in kalendis Maii primo futuri prefixe, qua pro reformanda inter eos deo auctore concordia se nostro conspectui representent, quod et se facturos per suas nobis litteras intimarunt. Nec omittimus quod idem Arnaldus sicut dudum ex ipsorum nunciorum nostrorum accepimus litteris et nunc etiam ab eis audivimus, expliciti relatione sermonis in predictis omnibus et singulis se multum audacter viriliter solerter et fideliter habuit veluti regii beneplaciti sedulus prosecutor. Unde nimirum regalem benivolentiam meretur uberius et nos eum propterea favorabiliter prosequentes tue munificentie ipsum propensius commendamus. Quia igitur amantissime fili perfectionem ipsius sic laudabiliter cepti negocii cordi non mediocriter gerimus teque ad idem affici minime dubitamus, quia etiam satis clamat ad te facti huiusmodi qualitas satis fraterna caritas interpellat, expedit penitus ut regibus ipsis ad nostram ut speramus presentiam ex causa premissa die assignata venturis assistentia tua pro iamdicti negocii tam fructuosa consummatione oportuna non desit quinimo decet, ut sic interim te et tua cures agenda disponere, quod die predicta cum eisdem regibus possis coram nobis annuente domino convenire. Et quamvis reges ipsos supponamus indubie ad veniendum solidam voluntatem habere, quia tamen non nocet admisso subdere calcar equo expediens multum reputaremus et utile, quod tu per efficaces vias et modos ad personaliter veniendum, si absque personarum et status sui dispendio valeant solicitares eosdem, tuam nichilominus presentiam concursuram cum eis firmiter repromittens, ut per id libentius inclinarentur ad sui preparationem adventus. In tua namque et eorum presentia facilius atque solidus ipsum negocium perfici multis nedum ad eorum sed ad tui utilitatem et sublimationem honoris favente domino promovendis via patebit habilior, imo de pluribus ad dei laudem et gloriam exaltationem fidei terre sancte succursum et tocius christianitatis comodum oportune cedentibus salubriter poterit ordinari. Regibus itaque memoratis venientibus tu premissis ex causis, si bono modo valebis, personaliter venias. Illis autem veniendi quod absit comoditate fortasse negata et solennes ac adplenum instructos mittentibus nuncios, tu ipse similiter tales mittere non postponas qui ad pacem dictorum regum sincerum habeant animum tueque circa ea que agenda incumbent sint voluntatis per omnia conscii et plena potestate suffulti.

Dat. Avinione, III Idus Decembris, pontificatus nostri anno Secundo.

FUNDACIÓ NOGUERA

737

1317 desembre 17, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut les seves lletres a través de Pere Folquet, porter seu, i n'està satisfet del contingut i promet comunicar-li aviat la resolució que pensa donar a aquest assumpte (es refereix a la divisió de l'arxidiòcesi de Tarragona en dos).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 21.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 209, doc. 401.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Litteras tuas fili carissime per dilectum filium Petrum Folqueti ostiarium tuum exhibitorem presentium nobis exhibitas leta manu suscepimus et que continebantur in illis pleno collegimus intellectu. Super quibus succincte tibi rescribimus, quod quicquid super illis duxerimus ordinandum in tuam cito notitiam perferemus.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Secundo.

738

1318 gener 8, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que no ha pogut accedir a la concessió de certes gràcies sol·licitades pels missatgers del seu germà Frederic II, rei de Trinàcria, perquè ha utilitzat en les seves peticions títols, com el de rei de Sicília, que no li corresponen.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 22.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 210, doc. 402.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Licet fili carissime omnia que cum nuntiis carissimi in Christo filii nostri Frederici regis Trinacrie illustris germani tui agi comode potuerunt in curia in tuam supponamus iam deducta fuisse notitiam per dilectum filium nobilem virum Arnaldum de Turrillis militem nuntium tuum, cui ea commisimus tibi verbotenus explicanda. Ut tamen plenius tuis obtutibus pateant ea sub brevi quodam compendio presentibus recensemus. Noveris igitur quod cum ea que predicti nuntii

FUNDACIÓ NOGUERA

nobis exponere voluerunt, patienter audivissemus seorsum in camera, quia tamen nonnulle ex eis fratres nostros contingere noscebantur, que sicut nec consuevimus sic nec expedire voluimus sine ipsis de nuntiorum ipsorum assensu ea ordinavimus in privato consistorio debere proponi. Eis ergo propositis in nostra et fratrum nostrorum presentia predictorum, quia ad quedam dicti regis firmanda nomine mandatum erat necessarium speciale, littere quedam ad petitionem fratrum pro parte regis ipsius per dictos nuncios fuerunt exhibite. Sed quia non illius regalem sed solum regis Sicilie titulum exprimebant, circa concessionem gratiarum quas pro ipso dicti nuncii requirebant votis eius nequivit satisfieri ut vellemus. Cum etenim rex Sicilie censum ecclesie debitum pro certis terminis, pro quorum altero ipsum pro dicto rege Frederico dicti nuncii offerebant iam integre persolvisset. Cum etiam homagium prestitisset per procuratorem ydoneum et super census solutione certe prorogationis terminos impetrasset sicut nec iterum censum huiusmodi pro rege Sicilie recipi licuit sic nec iterari gratias circa prestationem homagii et prorogationem predictas ab apostolica sede iam habitas expedivit. Sed nec ipsi regi Frederico ut regi Trinacrie potuerunt, ut voluissemus, huiusmodi fieri gratie cum nullum pro ipso ut tali fuerit mandatum exhibitum nec aliquis ad incumbentia circa illas se sufficienter potuerit obligare, quamvis de voluntate nunciorum ipsorum via extiterit adinventa, per quam circa receptionem census oblati pro iamdicto termino sibi ut regi Trinacrie caute provisum existit. Porro nos iampridem dicti regis volentes precavere dispendiis terminum per cuius lapsum imminere sibi poterat non leve discrimen tunc usque ad Pascha ac terminum Augusti preteriti usque ad festum Omnium sanctorum et deinde cum nec infra illud pro ipso aliquo compareret usque ad subsequens festum sancti Andree ultimo preteritum, infra quod predicti eius venerunt nuncii, duxeramus motu proprio prorogandos ne in penas aliquas laberetur. Ceterum dicto regi scripsimus nos plurimum admirari quo potuit duci consilio ut titulum quo licenter uti poterat et debebat iuxta formam pacis Sicilie per sedem apostolicam confirmate et per speciales suos nuncios iuramento in animam suam prestito solide promisse servari imprudenter abiceret et denominationem alii debitam quam retinere conscientia salva nequit illicite usurparet, quo modo etiam potuit aliquis sane mentis sibi consulere, ut pacem violando predictam non absque transgressione patula iuramenti ut de aliis taceamus, aliam intitulationem assumeret, quam que sibi est ex pacis tenore predicte tributa et quo modo sibi potuit suaderi, ut illius regni titulum, cuius plena dispositio ad sedem apostolicam pertinet, absque ipsius assensu vel licentia quomodolibet vendicaret. Et quia circa id nil sue ascri-

FUNDACIÓ NOGUERA

bendum in talibus inexperientie credimus, quin potius imperitie sibi talia consulentium succensemus, eidem duximus efficaciter suadendum, ut nullatenus credat suggestionibus talium, sed prudenter attento, quod per iniuriosam denuntiationem huiusmodi deum creatorem suum offendere creditur, quod cum in offensa ecclesie sponse sue, in cuius iura per id potenter impingit, probabiliter provocat, quod apud bonos et graves famam suam opinione sinistra commaculat, quod nedum proximorum sed et aliorum corda plurimum scandalizat denominatione Trinacrie sibi solenniter attributa contentus existens intitulationem Sicilie, ex qua nil sibi iuris acquiritur aut alteri deperit prorsus abiciat nec illa quomodolibet in sigillo vel litteris aut alias abutatur, missurus exnunc litteras seu procuratoria sufficientia sub debito titulo auctoritate, quorum suis possit negotiis comode prospici et discriminibus obviari. Nos enim qui pro certo suum honorem et comodum sinceris affectibus querimus et que contrarium saperent abhorremus, parati erimus quantum cum deo et sine alterius lesione licuerit paternum in omnibus atque propicium sibi exhibere favorem. Hec itaque fili describenda tibi providimus, ut in eis fraternum profectum prosequens et honorem dictum regem fratrem tuum ad ea implenda, prout expediens tibi videbitur, diligenter inducas.

Dat. Avinione, VI Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Secundo.

739

1318 gener 22, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que l'excusi perquè no ha procedit ràpidament a la fundació del nou monestir de l'orde de Calatrava, per raó de l'absència del mestre d'aquest orde sense el consentiment del qual no s'atreveix a prendre cap resolució.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 23.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 210, doc. 403.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Per litteras tuas fili carissime nobis noviter presentatas accepimus, quod licet ad fundationem novi monasterii de ordine Calatravensi tuus iuxta ordinationem apostolice sedis dirigatur animus, provehatur affectus, ad eam tamen nequis absque presentia dilecti filii .. magistri ordinis predicti, que ad id necessaria fore dinoscitur oportune procedere, quem licet super hoc solicite requisitum nondum

FUNDACIÓ NOGUERA

potuisti propter rationes aliquas, quas pretendit presentem habere. Quod in nostram providisti perferre notitiam, ut sciamus, ascribi tibi non debere retardationem fundationis huiusmodi sed absentie potius magistri predicti, ad que succincte rescribimus quod te super hoc excusatum habemus.

Dat. Avinione, XI Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Secundo.

740

1318 febrer 6, Avinyó

Joan XXII mana als mestres Hug de Mirabell, canonge d'Embrun i Guerau Danglars, rector de l'església de Vira d'Òlt, diòcesi de Caors, a petició de Jaume II d'Aragó, que entreguin al rei la part alíquota corresponent de la recaptació de la dècima triennal, imposada pel papa Climent V per a la prossecució de la conquesta d'Almeria en el regne de Granada.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 24.
a Butlla amb fil de cànem.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, II, p. 68-69, doc. 6248.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 210-211, doc. 404.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis magistris Hugoni de Mirabello canonico Ebredunensi et Girardo Dangles rectori ecclesie de Villalola Caturcensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Significavit nobis carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris, quod dudum felicis recordationis Clemens papa V predecessor noster dum adhuc viveret decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum regnorum et terrarum suorum Sardinie et Corsice regno dumtaxat exceptis pro negotio acquisitionis regni Granate et ecclesie Romane ac fidei catholice necessitatibus usque ad triennium extunc proximo secuturum duxit spetialiter imponendam solvendam per collectores ad hec deputatos dicto regi prefati regni Granate acquisitionis negotium prosequenti, cumque postmodum predecessor ipse ex certis causis ad dicti regis instantiam dictam decimam non colligi seu levari mandasset, nichil super decima iam collecta vel que usque ad huiusmodi mandati tempus colligi potuit innovavit. Et licet idem rex Aragonum negotium dicti regni Granate tunc continue prosequendo civitatem Almarie que a Sarracenis infidelibus detinetur per mensem ac dimidium et ultra postquam de dicta decima prefato regi Aragonum responsum non extitit, obsidione

FUNDACIÓ NOGUERA

vallasset extunc guerrarum turbatio inter eum et infidelem illum qui regem Granate se nominat duraverit sicut adhuc durare dinoscitur, tamen collectores eiusdem decime de ipsa prefato regi Aragonum usque ad tempus revocationis huiusmodi collecta respondere pro sue voluntatis libito non curarunt, sed iidem collectores et subcollectores deputati ad huiusmodi collectionis ministerium per eosdem penes se aliquam retinuerunt et adhuc detinent partem decime supradicte et quidam de subcollectoribus ipsis aliquam prefate decime partem illis, a quibus eam exegerant, contra voluntatem collectorum ipsorum restituere presumpserunt et a nonnullis personis ecclesiasticis sicut in aliquibus diocesibus regnorum et terrarum predictorum per idem tempus in ipsius decime solutione cessatum. Cum itaque predictus rex Aragonum occasione prosecutionis negotii acquisitionis predicti regni Granate multa debitorum onera et magna subierit profluvia expensarum, nos ipsius regis supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus prefato regi Aragonum pro eo tempore, que fuit in prosecutione negotii supradicti, de dicta decima videlicet pro ea parte que iam ad vos forte pervenit, respondeatis et faciatis per collectores et subcollectores eosdem responderi mandato alio vobis seu aliis quibuscunque personis super dicta decima in contrarium per nos facto in aliquo non obstante. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, VIII Idus Februarii, pontificatus nostri anno Secundo.

741

1318 febrer 14, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut la seva ambaixada i les lletres de les quals fou portador Dalmau de Pontons, vicecanceller i ambaixador, en què li consulta alguns assumptes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 26.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 211-212, doc. 406.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum nuper dilectus filius Dalmatius de Pontonibus vicecancellarius ambassiator tuus lator presentium ad sedem apostolicam accessisset eum necnon et litteras, quas nobis ex parte regia presentavit, benigne recepimus et auditis, que prefatus nuntius proponere voluit coram nobis ac litterarum ipsarum tenore plenius intellecto ad earum aliqua

FUNDACIÓ NOGUERA

per litteras nostras tue magnitudini meminimus respondisse. Super aliis vero in ore prefati nuntii responsionem nostram posuimus tibi vive vocis oraculo referendam.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Secundo.

742

1318 febrer 26, Avinyó

Joan XXII mana als mestres Hug de Mirabell, canonge d'Embrun, Guerau Danglas, rector de l'església de Vira d'Òlt (Caors), i Gerard de Camulo, clergue de la diòcesi de Caors, que permetin permutar les dècimes a l'arquebisbe (Ximeno Martínez de Luna) i al capítol de Tarragona amb les del rei Jaume II d'Aragó per la conquesta del regne de Granada.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 27.
a Butlla amb fil de cànem.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, II, p. 80, doc. 6370.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 212, doc. 407.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis magistris Hugoni de Mirabello canonico Ebredunensi, Gerardo Danglas rectori ecclesie de Villa ac Geraudo de Camulo clerico Caturcensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Significante nobis carissimo in Christo filio nostro Iacobo rege Aragonum illustri percepimus quod dudum felicis recordationis Clemens papa V predecessor noster dum adhuc viveret decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum regnorum et terrarum suarum Sardinie et Corsice regnis dumtaxat exceptis pro negocio acquisitionis regni Granate et ecclesie Romane necessitatibus usque ad triennium extunc proximo secuturum duxit specialiter imponendam per collectores ad hoc auctoritate apostolica deputatos dicto regi acquisitionis predicti regni Granate prosequenti negocium persolvendam. Cumque postmodum predecessor ipse ad dicti regis instantiam prefatam decimam non colligi seu levari mandasset eidem regi quamvis sub magnis laboribus et expensis negocium prosequeretur solicite supradictam civitatem Almarie per mensem cum dimidio et ultra obsidione vallando non extitit de decima supradicta collecta responsum, propter quod nobis dicti regis supplicationibus inclinati, pridem dedimus per nostras sub certa forma litteras in mandatis, ut eidem regi Aragonum pro eo tempore quo fuerat in prosecutione negotii supradicti de prefata decima pro ea videlicet parte que iam ad vos forte pervenerat respon-

FUNDACIÓ NOGUERA

deretis et faceretis per collectores eosdem et subcollectores deputatos ab eis etiam responderi mandato alio vobis seu aliis quibuscunque personis super dicta decima incontrarium per nos facto in aliquo non obstante. Verum quia vos sicut postmodum per dilectum filium Dalmatium de Pontonibus nuncium dicti regis accepimus certam partem decime supradicte dudum in ecclesia Terraconensi depositam per venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum et dilectos filios capitulum Terraconenses eidem regi mutuatam ab eisdem archiepiscopo et capitulo vobis mandastis cum integritate restitui contra eos, quia vestris in hac parte non curaverant parere mandatis certis processibus habitis et sententiis promulgatis. Nos nolentes archiepiscopum et capitulum supradictos huiusmodi occasione gravari, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eisdem archiepiscopo et capitulo occasione illius partis huiusmodi decime memorato regi ut premittitur mutuare, que summam illam de qua pro eo tempore quo dictum negocium extitit prosecutus satisfieri volumus non excedat, nullam deinceps molestiam inferentes predictos, revocare processus et sententias relaxare si dicta pecunia predicto regi ut premittitur mutuata de decima fuerat illo tempore recollecta quo prefatus rex in prosecutione dicti negocii persistebat, et si quid de prefata decima a dictis archiepiscopo et capitulo forsitan exegistis regi prefato usque ad dictam summam restituere procuretis. In aliis vero huiusmodi negocium decime tangentibus processuri iuxta predictarum vobis directarum apostolicarum continentiam litterarum.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Secundo.

743

1318 març 26, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha nomenat el bisbe Guillem de Troyes perquè vetlli per l'aplicació del tractat de pau de Sicília atès que hi ha estat present.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 28.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 213, doc. 408.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Celsitudinis regie litteras affectione consueta recepimus. Et ecce quod super illo negocio de quo pridem loquti fuimus, dilecto filio nobili viro Vitali de Villanova consiliario tuo et super quo

FUNDACIÓ NOGUERA

tu ipse nobis rescribere curavisti, nichil fecimus nec alicuius suasione consilii unquam aliquid intendimus facere, quod in tuum vel regni tui preiudicium valeat redundare. Ceterum cum tuo concurrentes arbitrio utile reputamus, quod venerabilis frater noster Guilelmus Trecensis episcopus et .. collega ipsius dudum pro negotio pacis Sicilie destinati finalibus intersint tractatibus, qui debent super ipsa pace actore domino reformanda coram nobis haberi, cum illi sint de multis negocium ipsum pacis contingentibus informati, que utilia esse dante domino poterunt tractatuum exitui predictorum. Unde ut ipsi episcopus et collega suam tunc curent adhibere presentiam, proinde duximus ordinandum.

Dat. Avinione, VII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Secundo.

744

1318 maig 14, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut el cavaller Pere Boil, cavaller i conseller seu, i l'assabenta que Robert de Sicília (Nàpols) serà a Avinyó el dia 8 de juny. Del rei Frederic II de Trinàcria només sap, a través d'un religiós, que acudirà, si pot, i que corre la veu que és esperat a Barcelona. Per tant, li prega que ambdós acudeixin a la cita per ultimar les negociacions.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 29.
a Marge superior en part retallat. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 213, doc. 409.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ecce fili carissime dilectum filium nobilem virum Petrum Boyl militem consiliarium tuum exhibitorem presentium per te pridem pro certis tuis negotiis ad nostram presentiam cum regalibus de credentia litteris destinatum super hiis, que nomine tuo iuxta commissam sibi credentiam prudenter nobis exposuit et que indubie fuit erga nos diligenter et solicite prosecutus, ad te remittimus prout cum deo licuit et decenter fieri potuit expeditum prout ex ipsius militis relatione fideli poteris plene scire, cuius moram si occupationes varias quibus absque intermissione distrahimur consideranter attenderis rationabiliter excusatum habebis. Porro scire te facimus, quod carissimus in Christo filius noster Robertus rex Sicilie illustris sicut per suas nobis litteras noviter intimavit, per totum octavum diem instantis mensis Iunii disponit esse duce domino Avinione nobiscum. Sed de adventu

FUNDACIÓ NOGUERA

carissimi in Christo filii nostri Frederici regis Trinacrie illustris germani tui nulla certa nova percepimus, licet ipse nobis per religiosum quendam intimaverit se si comode poterit omnino venturum, ipsiusque adventus expectari Barchinone feratur. Speramus autem in illo qui res etiam desperatas exitu votivo concludit, quod si tu et ipse conveneritis coram nobis cum rege predicto Sicilie imminentia negocia poterunt feliciter dirigi ac tractari et ordinari quamplurima credentia in compendium universi.

Dat. Avinione, II Idus Maii, pontificatus nostri anno Secundo.

745

1318 juny 26, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que es digni enviar-li al més aviat possible els seus missatgers, per tal d'acabar les negociacions de pau amb els reis Robert de Sicília (Nàpols) i Frederic II de Trinàcria, el primer dels quals ha escrit que acudirà aviat i ja han arribat a Avinyó els ambaixadors del segon. Al mateix temps, li comunica que l'arquebisbe de Tarragona (Ximeno Martínez de Luna), abans reaccionari a acceptar la divisió de la seva província en dos, ara ho accepta gustosament, i només falta per ultimar aquest assumpte l'assignació a les respectives diòcesis.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 30.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 214-215, doc. 411.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Per tuas fili carissime litteras noviter affectione consueta receptas accepimus, qualiter pro negocio tangente carissimos in Christo filios nostros Robertum Sicilie et Fredericum Trinacrie reges illustres tuos intendis licet quando non expresseris nuncios ad nostram presentiam destinare. Cum itaque nuncii dicti regis Trinacrie iam a diebus pluribus nostro se conspectui presentarint dictusque rex Sicilie scripserit nobis se cito venturum, celsitudinem regiam requirimus et rogamus attente, quatinus sicut negocium ipsum prosperari desideras sic et ipsorum missionem acceleres nunciorum cum satis reputemus expediens, ut etiam ante adventum dicti regis Sicilie circa vias et modos utiles ad expeditionem dicti negocii, quos per te nobis dictorum ministerio nunciorum supponimus intimari, conferamus solicite cum eisdem [....e]mque noveris, quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus

FUNDACIÓ NOGUERA

Terraconensis, quod antea egre videbatur de provincie sue divisione portare nunc ut scripsit nobis nostris salutaribus monitis persuasus gratanter acceptat. Est autem iam quasi totaliter ordinatum divisionis predicte negocium nec restat aliud ad perfectionem illius, nisi quod deliberamus quas diocesis cuilibet provincie possimus habiliter deputare.

Dat. Avinione, VI Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Secundo.

746

1318 juliol 19, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó, per la trigança de Robert de Sicília (Nàpols) a arribar, que ha autoritzat el retorn a la seva terra a l'arquebisbe de Palerm (Francesc d'Antioquia) i al comte de Geraci, Francesc de Ventimiglia, amics del rei Frederic II de Trinàcria, als quals ha aconsellat que s'entrevistin amb ell, a fi de consultar-li els mitjans viables per realitzar la pau entre ambdós reis.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 31.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 215, doc. 412.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sicut tuam celsitudinem latere non credimus fili carissime venerabilis frater noster .. Panormitanus archiepiscopus ac dilectus filius nobilis vir Franciscus Vintimilii et Giracii comes eorumque college carissimi in Christo filii nostri Frederici regis Trinacrie illustris fratris tui ambaxatores et nuncii iam a diebus pluribus nostro se conspectui presentare curarunt. Qui causa sui adventus prudenter exposita raciones acceptabiles non omiserunt diserte multum et discrete subiungere, quibus regem predictum efficaciter excusarunt, quod ad nostram presentiam comode nequiverat personaliter se conferre. Porro cum prefato comite seorsum in camera colloquium interdum habuimus, quem indubitanter invenimus matura industria preditum in sermone facundum virum sicut nobis ex brevi notia occurrere potuit satis tractabilem et ad dicti regis honorem et comodum fideliter ex animo aspirantem. Cum quo etiam speravissemus aliquid agere circa pacificationis negocium utile si affuisset aliquis, cum quo potuissemus pro parte carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris super negocio predicto tractare. Sed ecce quod animo amaricato referimus, rex ipse anxie multum expectatus hucusque non venit, nescimus quibus detentus prepediis aut occupatus agendis nec

FUNDACIÓ NOGUERA

pro se misit etiam aliquem, sperans ut credimus huc venire die in diem. Propter quod idem comes nunc per se apud nos nunc una cum collegis apud nos et fratres nostros suppliciter institit pro licentia redeundi asserens se super celeri reditu a predicto rege domino suo certum recepisse mandatum. Nos vero de adventu dicti regis Sicilie licet dilato diutius probabili coniectura sperantes et propterea non leviter abhorrentes comitem ipsum infecto negocio immo non inchoato redire, presertim cum in presentia dictorum regis et comitis nedum circa perfectionem ipsius negocii intenderemus cum auxilio divino voluntarios labores assumere, quinetiam circa alia ad dei laudem et gloriam et exaltationem regis utriusque cedentia solicitudine paterna vacare petitam redeundi licentiam eidem concedere comiti ex hac causa tardavimus, quam tamen non potuimus finaliter nulla certitudine de tempore adventus dicti regis Sicilie concurrente negare ubi precipue se ad reditum dominica iussione artari dicebat. Redit ergo ad domini sui presentiam comes ipse suique college cui equidem comiti providimus consulendum, quod in suo huiusmodi reditu per te transitum faceret et de viis et modis ad pacificationem predictam utilibus tecum conferre curaret, ut si forsan occurreret via domino inspirante salubris in adventu dicti regis Sicilie, de quo grandis per eum factus exinde apparatus nos sperare compellit, posset super via ipsa saltem cum tuis nunciis aliquis tractatus assumi. Tu itaque amantissime fili consideranter advertens quanta possunt ex recidivo guerre imminere dispendia quantaque utilitas toti orbi potest ex pacis compendio provenire cum eodem comite voluntatis dicti germani tui ut credimus conscio super acceptabili via pacis solicite conferas et si eam dominus ministrabit illam nobis et tuis nunciis significare lucide non omittas, ut circa prosecutionem illius tractatum cum rege Sicilie predicto cum venerit et cum predictis tuis nunciis assumere valeamus.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Secundo.

747

1318 agost 14, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha erigit a metropolitana la seu de Saragossa amb el consentiment de l'arquebisbe de Tarragona, Ximeno (Martínez de Luna), al qual ha assignat les sufragànies d'Osca, Terol, Pamplona, Calahorra i la catedral de Santa Maria d'Albarrassí, jurisdicció que es disputaven des de feia molt de temps els arquebisbes de Toledo i Tarragona; i nomena per regir-la el seu actual bisbe Pere (López de Luna). La seu de Tarragona, de la qual foren

FUNDACIÓ NOGUERA

segregades aquestes diòcesis, es queda amb la de Barcelona, Lleida, Girona, Tortosa, Vic, Urgell i València. La causa d'aquest desmembrament, entre altres que no enumera, fou la gran extensió que tenia l'arxidiòcesi Tarraconense.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 29, núm. 14.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 215-216, doc. 413.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ecce fili carissime sedula meditatione pensantes quod unus metropolitanus in quondam Terraconensi provincia lata et diffusa quamplurimum sui debitum implere nequibat officii quodque nimis durum erat atque difficile in diffusa latitudine tante provincie ad metropolitanum unicum a tot suffraganeis presertim spacio magno distantibus et a tot personis aliis ecclesiasticis et mundanis recursum haberi, premissis et aliis suadentibus iustis causis ex certa nostra sciencia de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis ac de venerabilis fratris nostri Eximini archiepiscopi Terraconensis assensu ad laudem dei exaltationem et decorem ecclesie fideliumque salutem predictam Terraconensem provinciam in duas provincias apostolica auctoritate divisimus, ut tantum onus partitum in duos, quod per unum proculdubio comode portari non poterat, levius ferretur ab illis, ita videlicet quod preter Terraconensem ecclesiam que metropolis remanet, suam distinctam provinciam, ut sequitur habitura Cesaragustana ecclesia ipsius Terraconensis quondam suffraganea, quam ad laudem divini nominis et honorem ecclesie sancte sue in archiepiscopalem seu metropolitanam ereximus et honoribus ac insigniis sedis metropolitane duximus decorandam imperpetuum pro metropolitana ecclesia certam habitura provintiam, ut infra describitur, ipsiusque presul archiepiscopus censeantur. Cui equidem ecclesie venerabilem fratrem nostrum Petrum quondam episcopum in archiepiscopum Cesaragustanum prefecimus et pastorem. Volentes et decernentes quod Terraconensis Metropoli que solenniori statu et conditione potiori prefulget et propter antiquam nobilitatem ipsius est honorabilius et favorabilius prosequenda, Barchinonensis Ilerdensis Gerundensis Dertusensis Vicensis Urgellensis et Valentine ecclesie tanquam sibi adiacentes habilius pro suffraganeis et de sua provincia iuxta solitum debeant remanere. Et quia dignum est ut Cesaragustana Metropolis, ex quo de filia facta mater metropolitice dignitatis suscepit insignia, suffraganearum congruum numerum filiarum ac decentem provinciam habeat, nos Oscensem Tirasonensem Pampilonensem et Calagurritanam ecclesias suffraganeas quondam predicte Terraconensis

FUNDACIÓ NOGUERA

ecclesie, ipsius ecclesie Cesaragustane suffraganeas et de provincia Cesaragustana imperpetuum fore decrevimus et cum suis diocesibus metropolitico iure subiecimus et subiectas esse voluimus eas sibi. Porro cathedralem ecclesiam sancte Marie Albarrasin sitam in finibus regni tui, de cuius subiectione predictus Terraconensis et venerabilis frater noster .. Tholetanus archiepiscopi diutius contendisse feruntur, cum sit eidem Cesaragustana metropoli plurimum adiacens, ab ipsorum archiepiscoporum necnon capitulorum et ecclesiarum Tholetane et Terraconensis iurisdictione subiectione ac potestate qualibet prorsus exemimus eamque similiter suffraganeam Cesaragustane ecclesie et de Cesaragustana provincia esse decrevimus ac subiecimus metropolitico iure sibi predicta contentione seu litigio nequaquam obstante. Hec amantissime fili de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis sic salubriter sic utiliter providimus ordinanda, que perpetuis esse valitura temporibus et robur incommutabilis firmitatis volumus obtinere. Celsitudinem regiam rogantes attentius et obsecrantes in domino Ihesu Christo, quatinus illius intuitu, qui est verum caput ecclesie et cui prescriptam ordinationem gratam fore nequaquam ambigimus et acceptam ac tue salutis obtentu necnon ob nostram et apostolice sedis reverentiam predictas metropoles ac suffraganeas earum ecclesias et personas presidentes eisdem sic habere velis in suis iuribus et libertatibus commendatas sic eas favore regio prosequaris, quod nedum exinde tibi vendices laudis humane preconium, sed et apud deum premium eterne retributionis acquiras et apud nos et sedem eandem benivolentie specialioris augmentum.

Dat. Avinione, XVIIII Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Secundo.

748

1318 desembre 28, Avinyó

Joan XXII concedeix al confessor del rei Jaume II d'Aragó la facultat d'absoldre'l de les censures en les quals ha incorregut per indolència en permetre el comerç amb els sarraïns d'Alexandria i Egipte, prohibit per una constitució de Climent V.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 30, núm. 34.
a Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, II, p. 316, doc. 8774.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 216, doc. 414.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 117, doc. 5195.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. confessori carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris salutem et apostolicam benedictionem. Eximie devotionis affectum quem carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris ad nos et Romanam ecclesiam habere dinoscitur attendentes illa sibi benigno favore concedimus per que conscientiam possit habere pacificam et mentem a fluctibus expeditam. Oblata siquidem nobis eiusdem regis petitio continebat, quod licet ipse tam ante quam post constitutionem per felicis recordationis Clementem papam V predecessorem nostrum editam,[10] qua cavetur ut nullus arma equos ferrum lignamina victualia et alia quecunque mercimonia in Alexandriam vel alia loca Sarracenorum terre Egipti mittere vel deferre seu de portubus suis ut eisdem deferantur extrahere vel extrahi permittere aut Sarracenis ipsis quoquomodo prestare presumat auxilium vel favorem in eos qui contrarium fecerint, excommunicationis sententia et aliis penis latis publice inhibuerit et preconizari in regno suo fecerit ut nullus ad dictas partes Alexandrie seu Egipti navigare vel res suas illuc mittere vel portare aut predicta portantibus vel mittentibus navigia sua locare vel commodare aut cum Sarracenis illarum partium commercium habere presumeret sub pena corporum et bonorum, tamen quia mercatoribus aliisque terrarum eiusdem regis gentibus penas per ipsum regem impositas quas mercatores et gentes predicti contra constitutionem et inhibitiones suas predictas temere veniendo incurrerant nonnullis ad aliquorum instantiam et a quibusdam etiam exigendo et recipiendo aliqua relaxavit habet conscientiam inquietam. Quare licet ex hoc penis in dicta constitutione contentis se fore non credat obnoxium volens tamen a sua conscientia omne scrupulum removere et in dubiis viam eligere tutiorem nobis humiliter supplicavit, ut ipsum ab excommunicationis et aliis quibuscunque sententiis et penis quas predicta et quevis alie constitutiones super hoc a predecessoribus nostris Romanis pontificibus edite inferunt, si ex huiusmodi relaxatione vel eo quod transgressores constitutionis et inhibitionum predictarum eo quo debuit vel potuit rigore non prohibuit vel impedivit, aut si erga transgressores eosdem aliter egit remissis in premissis penis ipsis forsitan sit astrictus absolvere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui ipsius regis salutem appetimus et quietem eius in hac parte supplicationibus inclinati, absolvendi eundem regem a premissis iniuncta sibi super hiis penitentia salutari, iniuncto sibi etiam ut predictam constitutionem deinceps a suis subditis cum dili-

10. "Multa mentis amaritudine", 12 d'octubre de 1308; *Regestum Clementis V*, III, p. 166, doc. 2994; *Extravagantes communes* 5.2.1, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 1289-1290.

FUNDACIÓ NOGUERA

gentia faciat observari, penas in eadem constitutione contentas contra transgressores ipsius sollicite exequendo tibi auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Avinione, v Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Tertio.

749

1319 febrer 22, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, perquè satisfaci el dot i altres llegats del testament d'Ermengol (de Cabrera), comte d'Urgell, a Faidida, vídua d'aquest, filla de Bernat Jordà, senyor d'Illa, diòcesi de Tolosa, que viu a l'estranger sense mitjans suficients. Li demana per les reiterades instàncies del seu germà Bernat, senyor d'Illa, confiat en la justícia de la demanda, ja que el comtat d'Urgell, on està hipotecat el dot, ha passat a mans de l'infant Alfons sota el jurament d'aquest a satisfer aquesta obligació. Incompliment que li recorda per tercera vegada. Per donar més eficàcia al seu prec i conèixer la seva resolució, li envia Gastó de Montcada, capellà seu, parent del rei i ardiaca de l'església de Barcelona, portador de les presents lletres que, com cal desitjar, ho serà també de les seves.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 30, núm. 35.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 216-217, doc. 415.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ex paterne caritatis affectu quo personam regiam sincere diligimus, provenit carissime fili, ut ad ea te paternis exhortationibus invitemus, que pietatis opera continent iustitiam sapiunt et respiciunt equitatem. Repetita siquidem pluries coram nobis dilecti filii nobilis viri Bernardi domini de Insula continebat assertio, quod licet quondam Ermengardus comes Urgellensis in ultimo testamento, quod dinoscitur, condidisse dilecte in Christo filie nobili mulieri Faydide sorori sue relicte quondam ipsius comitis vidue mandaverit dotem suam cum integritate restitui et alias certa bona causa donationis propter nuptias et quedam alia in eodem testamento legarit eidem, prout in testamento ipso dicitur contineri. Tuque postmodum ac dilectus filius nobilis vir Alfonsus natus tuus legata in testamento prefato per comitem antedictum promiseritis, ut accepimus, solvere prestito iuramento. Tu tamen ac idem Alfonsus quamvis comitatus Urgellensis et aliarum terrarum qui fuerunt comitis memorati dum

FUNDACIÓ NOGUERA

viveret plenam fueritis possessionem adepti, nedum quod prefate nobili de dote ac relictis eisdem iuxta promissionem huiusmodi satisfacere curaveritis usque modo pro parte sua pluries requisiti, verum etiam quominus ipsa certos redditus in comitatu et terris predictis deputatos eidem iuxta conventiones in instrumento ipsius dotis expressas integre percipiendos ab ea quousque sibi foret de dote huiusmodi plenarie satisfactum precibus nostris, quas tibi super hiis tam per binas litteras nostras quam etiam per nunctios tuos, quos ad sedem apostolicam destinasti porrexisse meminimus obauditis percipere valeat minus rationabiliter impeditis. Sicque dicta nobilis extra terram proprie nationis remanet absque dote omni quodammodo suffragio destituta. Nos igitur eidem nobili pio compatientes affectu et cupientes, ut suam in hac parte iustitiam assequatur, celsitudinem regiam precibus iteratis paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus prudenter attendens quod premissa redduntur in oculis divine maiestatis implacida tueque salutis comodis obviant gloriam regii maculant nominis et honoris quodque debitum regie dignitatis exposcit, ut viduis et aliis personis miserabilibus piis compatiaris affectibus et eas protegas et defendas, dotem et bona predicta prefate nobili pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia tueque salutis et honoris augmento iuxta voluntatem testatoris eiusdem sine difficultate restituas et assignes, faciens ei de redditibus antedictis a tempore obitus testatoris eiusdem plenam satisfactionem impendi. Et ut tibi super hiis aperiamus clarius mentem nostram ecce quod dilectum filium Gastonem de Montecano archidiaconum ecclesie Barchinonensis capellanum nostrum consanguineum tuum exhibitorem presentium propter hoc ad presentiam tue magnitudinis duximus destinandum, cui super hiis que tibi circa predicta ex parte nostra retulerit adhibeas plenam fidem rescripturus nobis per litteras tuas ad nos per eundem archidiaconum deferendas, quicquid super premissis deliberatio regia duxerit faciendum.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Tertio.

750

1319 juliol 23, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que enviï legats a la cúria apostòlica, on ja ha arribat el rei Robert de Sicília (Nàpols), i intercedeixi davant del seu germà, el rei Frederic II de Trinàcria, perquè també ho faci, a fi de signar la pau, més tard del temps convingut per causa dels perills de la mar que endarreriren la comitiva d'aquell.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 30, núm. 36.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 217, doc. 416.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Non est tibi ut extimamus incognitum dilectissime fili, qualiter dudum post nostre promotionis auspitia ad statum apostolice dignitatis ad bonum pacis inter carissimos in Christo filios nostros Robertum Sicilie et Fredericum Trinaclie reges illustres deo propitio reformande intensum gerentes animum et affectum ac super hoc efficax diligentie studium adhibentes, tandem inter eos treugas quarum fedus pacis inducit ymaginem per certi temporis spatium duraturas, ut interim posset inter eosdem reges comodius de huiusmodi pacis reformatione tractari apostolica indici auctoritate mandavimus, certo eis nichilominus termino infra quem iidem reges ad tractandum nobiscum de ipsius reformatione pacis speciales ad nostram presentiam mitterent nuntios constituto, quos quidem treugas et terminum prefati reges devote ac liberaliter acceptarunt. Et licet dictus rex Trinaclie postmodum sicut obedientie filius nuntios suos propter hoc ad sedem apostolicam infra dictum terminum destinasset, idem tamen rex Sicilie variis et arduis negotiis impeditus ad nos suos nuntios infra dictum terminum destinare nequivit sicque quod non absque multa mentis amaricatione perferimus, est huiusmodi tractatus prosecutio retardata, neque nos post predicti regis Sicilie adventum ad apostolicam sedem ubi moratur ad presens propter maris viarumque pericula que invaluerunt sicut adhuc imminere noscuntur, eundem regem Trinaclie super aliis ad nos mittendis nuntiis potuimus sicut nec adhuc possumus per nostros nuntios excitare. Profecto dum cogitamus pacis cogitationes pro filiis dum salutaria querimus consilia pro eisdem, consideratio illa potissime, qua ipsorum regum turbatio nostris aspectibus presentatur, eo molestiores in nobis anxietates multiplicat, quo illa suis circumstantiis solertius circumspectis periculosiora minatur mundo dispendia et quo reconciliatio utriusque bonorum ampliora comoda repromittit, propterea vias et modos salubres et utiles diligenter exquirimus, quibus ad illius plenitudinem pacis per quam deo reconciliatus est mundus, eosdem reges ipso pacis auctore propitio reducamus. Quia vero in tractatu pacis huiusmodi, ad quam summis desideriis nostra suspirat intentio, absque dictorum regum vel nuntiorum suorum presentia procedere non valemus et propterea dictum regem Trinaclie per nostras sub certa forma litteras, ut nuntios speciales sue plene conscios voluntatis sufficiens ad hoc mandatum habentes ad nostram non differat presentiam destinare rogandum attentius duxerimus et hortandum, celsitudinem tuam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus quod idem rex huiusmodi nostris precibus et hortationibus

FUNDACIÓ NOGUERA

acquiescat per nuntios aut litteras speciales solerter inducas et efficaciter exhorteris et nichilominus nuntios tuos huiusmodi pacis et concordie zelatores sufficienter instructos, quorum salubri consilio in huiusmodi tractatu pacis dirigi valeamus ad nostram destinare presentiam, ita quod ipsi cum adventu nuntiorum dicti regis Trinaclie concurrere valeant non ommittas. Sic igitur amantissime fili, huiusmodi precibus et hortationibus nostris obtemperes, quod nostris in hac parte desideriis quantum in te fuerit satisfiat et preter mercedem retributionis eterne quam inde mereberis, nos diligentiam quam in hac parte duxeris adhibendam, dignis valeamus in domino laudibus comendare.

Dat. Avinione, X Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Tertio.

751

1319 juliol 25, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut les seves lletres, portadores de la infausta notícia de la mort dels infants de Castella i Lleó (Pere i Joan, a la Vega de Granada), i li recomana el foment de la pau als regnes de Castella i Lleó.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 30, núm. 37.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 218, doc. 417.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio nostro Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Si iuxta doctrinam apostolicam flere cum flentibus et gaudere cum gaudentibus habeamus profecto epistola regia pro parte tua noviter nobis missa materiam nobis ministravit gaudii et meroris ad ipsos enim Christi pugiles nostrum intuitum convertentes ipsos sicut subponimus ad interminabile gaudium indubie pervenire speramus et ideo nos oportet iuxta doctrinam predictam ipsis gaudentibus congaudere. Ad eorum autem proximos et canonicos superstites presertim ad genitricem illius benedicti infantis tui videlicet generis ac utriusque consortem reflectentes aciem mentis nostre ipsis utique dolentibus nos convenit condolere. Status quoque negocii quem sic strenue sic petenter ambo ceperant prosequi ac regnorum Castelle et Legionis, qui ex eorum transitu non levibus periculis expositus formidatur, nobis indicunt tristiciam set speramus in illo qui omnia potest, quod circa illa sua providentia salubriter providebit. Nos quoque circa ipsa iam ordinavimus cum nostris fratribus remedia, que occurrunt, presentia-

FUNDACIÓ NOGUERA

liter adhibere adhibituri alia si hoc viderimus expedire. Tu quoque fili carissime quesumus circa directionem premissorum studiose invigila et studium solicitum adhibere procura prudentiam autem attendere volumus regiam quam pie quamque clementer incomprehensibilis divina providentia circa premissos nobiles fuerit operata nostrum enim qui laudabiliter vixerat ut vitam mutaret in melius et fieret bonus diutius expectavit. Alterum vero qui semper quantum humana racio nosce sinit laudabiliter vixerat ne mutaret eius intellectum malicia rapuit premature saluti per hoc misericorditer providens utriusque.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Tertio.

752

1319 agost 2, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que talli a temps les discòrdies suscitades entre ell i el rei de Mallorca (Sanç), que poden conduir a una guerra perillosa, en consideració al parentiu que els uneix i a les despeses que aquella ocasionaria.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 30, núm. 38.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 218, doc. 418.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Audito nuper quod humani generis inimicus inter te et carissimum in Christo filium nostrum .. regem Maioricarum illustrem discordiarum spargere semina satagebat multa fuimus in animo nec indigne molestatione turbati. Cum igitur periculosa dispendia que guerrarum calamitas introducere consuevit, tibi non incognita fore credamus et nimis existat incongruum, quod tam sublimes persone tanta consanguinitate coniuncte ab invicem aliqua discordia separentur. Celsitudinem regiam paterno rogamus et hortamur affectu et per dei misericordiam obsecramus, quatinus animum tuum quibusvis contrariis suasionibus omnino repulsis ad tractatum pacis inclinans aliquos una cum dicto rege communes assumas amicos, qui omnem causam ex qua huiusmodi provenire vel nutriri posset discordia per viam amicabilem terminent et decidant. Sic igitur amantissime fili huiusmodi nostris precibus et exhortationibus acquiescas, quod eiusdem discordie precisa materia inter te dictumque regem solite vigeat dilectio caritatis et nostris in hac parte desideriis satisfiat.

Dat. Avinione, IIII Nonas Augusti, pontificatus nostri anno Tertio.

FUNDACIÓ NOGUERA

753

1319 agost 19, Avinyó

Joan XXII anima l'infant Jaume, primogènit de Jaume II d'Aragó, a la pràctica de les virtuts, a abandonar els llocs solitaris i freqüentar la societat, a realitzar el projectat matrimoni amb la infanta de Castella (Elionor, filla de Ferran IV), i li prega que influeixi, tot el que pugui, en l'ànim del seu pare perquè no s'enemisti amb el rei de Mallorca (Sanç).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 30, núm. 33.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 218-219, doc. 419.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Iacobo carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris primogenito salutem et apostolicam benedictionem. Exultat fili cor nostrum in domino ipsumque devotis laudibus anima nostra magnificat, quod tu sicut habet multorum grata relatio quam letanter audimus spiritu cogitandi, que recta sunt propitius et agendi de sui muneris largitare percepto per semitas graderis equitatis teque rerum iustitie constituis amatorem ei, qui iustus est in omnibus viis suis per laudabilem cultum eius gratum obsequium impendendo. Super hiis itaque tibi specialiter congaudentes internis desideramus affectibus, quod semper divinis beneplacitis te coaptans adherensque virtutibus in ipsius amore iustitie ut illorum qui faciunt et custodiunt iustitiam omni tempore beatorum munero valeas aggregari stabiliter perseveres. Te ad pietatem que vite presentis promissionem obtinet ac future ferventer exerceas Romanam ecclesiam matrem tuam que te gerit sincerius in visceribus caritatis studio filialis venerationis honorans ecclesias ipsarumque pastores libertatem et personas ecclesiasticas tanquam dei ministros pro sui nominis gloria tuearis. Tuum reverearis ut benedictionem consecutus a domino in tuis filiis iocunderis plenis affectibus genitorem cum sedula et devota visitatione letifices et ut in oculis suis appareas gratiosus frequenter eius conspectibus presertim infirmitatis vel debilitatis tempore tuam exhibere presentiam non ommittas. Solitaria vero loca ne singularis ab aliis vel solitarius habearis colere pretermittens insignia potius et alia multitudine referta fidelium sicut honori tue magnitudinis expedit studeas frequentare baronibus nobilibus et aliis de prefati genitoris tui regnis et terris te benivolum et benignum exhibeas et eos ad consortium tue familiaritatis admittas, ut per conversationem huiusmodi talem in iuventutis auspitiis te cognoscant qualem desiderium eorundem in processu etatis provectoris expectat. Quocirca magnitudinem tuam paterno rogamus et hortamur

FUNDACIÓ NOGUERA

affectu, quatinus huiusmodi nostris exhortationibus sicut benedictionis filius acquiescens in hiis iuvenilibus annis sic te secundum deum dirigere studeas et sic virtuosis actibus assuescas, quod ab illis nec avelli valeas processu temporis nec averti. Hec enim preter multifarias laudes quas tue devotionis integritas consequetur, tibi sicut verisimiliter est sperandum, annos vite producent, dierum longitudinem prorogabunt et post vite presentis excursum ille cui nunquam sine remuneratione servitur tibi coronam glorie inmarcescibilis largietur. Preterea quia tibi per matrimonium inter te et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem .. natam clare memorie .. regis Castelle annuente domino contrahendum, de quo sicut nosti habitus est tractatus, honoris et status incrementa speramus magnifici proventura, presertim cum fere omnes catholici principes orbis terre ei sint consanguinitate coniuncti nec hiis temporibus si diligenter advertis posses alii tam honorifice matrimonialiter copulari. Quesumus ut ad matrimonium huiusmodi contrahendum procedere non ommittas. Ceterum intellecto nuper quod inter predictum Aragonum genitorem tuum et carissimum in Christo filium nostrum Maioricarum regem illustrem initiata fuerat hostis antiqui suasione discordia, nos periculosis dispendiis que non solum regnis et terris ac subditis eorundem sed fere toti christianitati ex eadem poterat discordia provenire in examine recte considerationis adductis ipsisque volentes studio paterne solicitudinis obviare, reges ipsos per diversas litteras nostras rogandos duximus "et hortandos "attentius, ut a processu quolibet per quem dicta posset foveri discordia penitus abstinentes actionem si qua alteri adversus alterum forsitan competebat non vi armorum dirimerent sed aliquos assumerent communes amicos, qui eam amicabiliter terminarent. Quare nobilitatem tuam rogamus precibus iteratis, quatinus apud eundem genitorem tuum quod super hiis nostris precibus et hortationibus acquiescat pro divina et apostolice sedis ac nostra reverentia efficaciter elabores. Et quia personam tuam brachiis paterne dilectionis amplectimur, volumus quod in oportunitatibus tuis ad nos tanquam ad patrem benivolum cum plena securitate recurras, nam benivolentiam nostram et dicte sedis reperies quantum cum deo fieri poterit liberalem in tuis iustis desideriis adimplendis.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Tertio.

FUNDACIÓ NOGUERA

754

1319 agost 29, Avinyó

Joan XXII es reserva, per una vegada, la provisió del càrrec de mestre del monestir de Montesa de l'orde de Calatrava, diòcesi de València, de recent fundació.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 30, núm. 32.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 219, doc. 420.

IOHANNES XXII EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Intendentes monasterio de Muntesia ordinis Calatravensis Valentine diocesis cum illud magistro vacare contigerit de persona ydonea providere provisionem faciendam eidem monasterio de magistro hac vice dispositioni et ordinationi nostre ac apostolice sedis ex certis causis que nostrum ad hoc animum induxerunt auctoritate apostolica reservamus. Ipsius monasterii conventui et quibusvis aliis ad quos magistri eiusdem monasterii electio provisio seu quevis dispositio pertinet, districtius inhibentes, ne ipsi vel aliqui ex eis ad aliquam electionem seu postulationem vel quamvis dispositionem de prefiendo sibi et eidem monasterio magistrum quoquomodo procedant ac decernentes exnunc irritum et inane quicquid super hoc contra huiusmodi reservationis et inhibitionis nostre tenorem scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre reservationis inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Tertio.

755

1319 setembre 19, Avinyó

Joan XXII comunica a l'infant Jaume, primogènit de Jaume II d'Aragó, que li reitera les recomanacions que li va fer a l'agost, les quals ni tan sols sap si les ha rebudes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 39.
a Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 367-368, doc. 170, 2 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 219-220, doc. 421.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Iacobo carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris primogenito salutem et apostolicam benedictionem. Scripsisse tibi fili post salutationis eloquium sub infrascripta forma meminimus hiis diebus illaque ideo iteramus, quia cordi nostro insident et an ad te pervenerint ignoramus. Exultat fili cor nostrum in domino ipsumque devotis laudibus anima nostra magnificat, quod tu sicut habet multorum grata relatio, quam letanter audimus, spiritu cogitandi, que recta sunt, propicius et agendi de sui muneris largitate percepto per semitas graderis equitatis teque verum iusticie constitutis amatorem ei, qui iustus est in omnibus viis suis, per laudabilem cultum eius gratum obsequium impendendo. Super hiis itaque tibi specialiter congaudentes internis desideramus affectibus, quod semper divinis beneplacitis te coaptans adherensque virtutibus in ipsius amore iusticie, ut illorum qui faciunt et custodiunt iustitiam omni tempore beatorum numero valeas aggregari stabiliter perseveres. Te ad pietatem que vite presentis promissionem obtinet ac future, ferventer exercens Romanam ecclesiam matrem tuam que te gerit sincerius in visceribus caritatis studio filialis venerationis honorans ecclesiis ipsarumque pastores libertatem et personas ecclesiasticas tanquam dei ministros pro sui nominis gloria tuearis, tuum reverearis ut benedictionem consequtus a domino in tuis filiis iocunderis plenis affectibus genitorem, eum sedula et devota visitacione letifices et ut in oculis suis appareas gratiosus, frequenter eius conspectibus presertim infirmitatis vel debilitatis tempore tuam exhibere presentiam non obmittas, solitaria vero loca, ne singularis ab aliis vel solitarius habearis, colere pretermittens, insignia potius et alia multitudine referta fidelium, sicut honori tue magnitudinis expedit, studeas frequentare, baronibus nobilibus et aliis de prefati genitoris tui regnis et terris te benivolum et benignum exhibeas et eos ad consortium tue familiaritatis et conversationis admittas, ut per conversationem huiusmodi talem in iuventutis auspiciis te cognoscant qualem desiderium eorundem in processu etatis provectoris expectat. Quocirca magnitudinem tuam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus huiusmodi nostris exhortationibus sicut benedictionis filius acquiecens in hiis iuvenilibus annis sic te secundum deum dirigere studeas et sic virtuosis actibus assuescas, quod ab illis nec avelli valeas processu temporis nec averti. Hoc enim preter multifarias laudes, quas tue devotionis integritas consequetur, tibi sicut verisimiliter est sperandum, annos vite producent dierum longitudinem prorogabunt et post vite presentis excursum ille cuius numquam sine remuneratione servitur ubi coronam glorie inmarcessibilis largietur. Preterea quia tibi per matrimonium inter te et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem .. natam clare memorie regis Castelle annuente domino contrahendum, de quo sicut nosti habitus est tractatus, honoris et

FUNDACIÓ NOGUERA

status incrementa speramus magnifica proventura, et si per te quod absit staret, quod non fieret, odia et rancores et alia varia dispendia subsequi formidamus, presertim cum fere omnes catholici principes orbis terre ei sint consanguinitate coniuncti, nec hiis temporibus si diligenter advertis, posses alii tam honorifice matrimonialiter copulari, quesumus, ut ad matrimonium huiusmodi contrahendum procedere non obmittas. Ceterum intellecto nuper quod inter predictum Aragonum genitorem tuum et carissimum in Christo filium nostrum .. Maioricarum reges illustres iniciata fuerat hostis antiqui suasione discordia, nos periculosis dispendiis que non solum regnis et terris ac subditis eorundem set fere toti christianitatis ex eadem poterat discordia provenire in examine, recte considerationis adductis ipsisque volentes studio paterne solicitudinis obviare, reges ipsos per diversas litteras nostras rogandos duximus attentius et hortandos, ut a processu quolibet per quem dicta posset laveri discordia, penitus abstinentes actionem, si qua alteri adversus alterum forsitan competebat, non vi armorum dirimerent set aliquos assumerent, comunes amicos qui eam amicabiliter terminarent. Quare nobilitatem tuam rogamus precibus iteratis, quatinus apud eundem genitorem tuum quod super hiis nostris precibus et hortationibus acquiescat pro divina dicteque sedis ac nostra reverentia efficaciter elabores et quia personam tuam brachiis paterne dilectionis amplectimur, volumus quod in oportunitatibus tuis ad nos tanquam ad patrem benivolum cum plena securitate recurras. Nam benivolentiam nostram et dicte sedis reperies quantum cum deo fieri poterit liberalem in tuis iustis desideriis adimplendis.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Quarto.

756

1319 novembre 13, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que li sap greu no poder accedir a la seva petició de proveir la vacant del mestre del monestir de Santa Maria de Montesa, orde de Calatrava, produïda per l'òbit de Guillem d'Erill, religiós de l'esmentat monestir, perquè no hi ha trobat cap persona apta per al càrrec, raó per la qual ha encarregat a l'abat del monestir de Santes Creus, diòcesi de Tarragona, que ho faci en persona idònia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 40.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 220, doc. 422.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum apostolatui nostro per tuas litteras intimasti, quod quondam frater Guil(e)l(mu)s de Erillo magister monasterii sancte Marie de Muntesia ordinis Calatravensis adeo dura erat infirmitate gravatus, quod de ipsius obitu sperabatur potius quam de vita, propter quod nobis cum instantia per easdem litteras supplicasti, ut ea vice provisionem de magistro prefato monasterio faciendum reservare dispositioni nostre ac sedis apostolice dignaremur, et nichilominus cum in monasterio ipso non esset persona sufficiens ad dicum monasterium gubernandum, postulabas instanter dilecto filio .. abbati monasterii sanctarum Crucum Terraconensis diocesis apostolica auctoritate committi, ut tribus personis ydoneis in fratres monasterii supradicti receptis de una ipsarum prius in eodem monasterio facta professione per eas eidem monasterio provideret, super qua quidem reservatione tuis meminimus affectibus satisfactum. Nuper autem per alias litteras tuas quas paterna affectione recepimus, supplicasti quod cum postmodum idem frater Guil(e)l(mu)s obierit eidem monasterio mandaremus de persona simili provideri. Profecto dilectissime fili, licet tuas petitiones libenter quantum cum deo possumus ad exauditionis gratiam admittamus, quia tamen huiusmodi provisio divine pietati foret ingrata institutis obviaret canonicis manifeste ac nostro et ecclesie Romane matris tue derogaret honori, presertim cum non debeat in magistrum assumi, qui formam discipuli non assumpsit nec prefici debeat, qui subesse non novit super eadem provisione quod tua celsitudo moleste non ferat, nequivimus satisfacere votis tuis, sed ut de persona ydonea que regiis affectibus sit accepta dicto valeat monasterio provideri, ecce quod prefato abbati provisionem faciendam ipsi monasterio de magistro per litteras apostolicas, quas eidem abbati per .. latorem presentium destinamus, duximus committendam, sicut in eisdem litteris poteris intueri.

Dat. Avinione, Idus Novembris, pontificatus nostri anno Quarto.

757

1319 novembre 17, Avinyó

Joan XXII mana a Ramon d'Empúries, prior de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem a Catalunya, com a successor dels béns de l'orde del Temple de Jerusalem a Castella, Aragó, Portugal i Mallorca, fora del regne de França, que presti jurament de fidelitat al rei d'Aragó.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, carpeta 30, núm. 63.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, III, p. 37, doc. 10672.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Raymundo de Empuriis priori hospitalis Sancti Iohannis Ierosolimitani in Cathalonia salutem et apostolicam benedictionem. Dudum post sublatu quondam ordinem Militie Templi Ierosolimitani in generali concilio Viennensi cum [.....] quondam ordinis, ordini hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani ac ipsi hospitali donaverit et incorporaverit de apostolice plenitudine potestatis, illis bonis dumtaxat exceptis que idem ordo Templariorum in regnis et terris carissimorum in Christo filiorum nostrorum .. Castelle .. Aragonum .. Portugalie et .. Maioricarum regum illustrium extra regnum Francie habebat vel quomodolibet spectabant ad ipsum, in quibus prefati reges se ius aliquod pretendebant habere. Nos ad apicem summi apostolatus assumpti post diversos tractatus et allegationes varias habitas de bonis eisdem in regnis et terris ipsius regis Aragonum consistentibus coram predecessore predicto sepius per procuratores et nuntios dicti regis Aragonum in nostra presentia repetitas intendentes de bonis ipsius predicti quondam ordinis Templi in regnis et terris ipsius regis Aragonum consistentibus salubriter ordinare ea omnia et singula in quibuscunque consisterent, exceptis illis dumtaxat que in regno Valentie consistebant, de quibus iuxta beneplacitum regis eiusdem provide duximus ordinandum, predicto ordini hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani presente ac assistente ad hoc .. procuratore regis eiusdem ad hoc spetiale mandatum habente donavimus concessimus et univimus de apostolice plenitudine potestatis, eaque omnia que tunc temporis tenebantur per regem eundem vel quoscunque alios in regnis et terris dilectis filiis .. magistro et fratribus ac hospitali et ordini supradictis aut aliis eorum nomine restitui mandavimus integraliter cum effectu, volentes ac etiam inter alia ordinantes pro securitate ipsorum regis et regni Aragonum et ad propellenda imminentia sibi quoque pericula que infuturum possent verisimiliter formidari, quod magister dicti hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani aut preceptor seu castellanus loci Emposte in partibus Cathalonie constituti vel commendator maior, qui tam hospitalis eiusdem quam hiis que fuerunt quondam dicti ordinis Templariorum bonis pro tempore eidem Aragonum regi subiectis prefuerit, antequam administrationem huiusmodi bonorum se vigerat, coram dicto rege et illo qui pro tempore fuerit si regem ipsum tunc in aliquo regnorum suorum Aragonum videlicet seu Valentie aut comitatu Barchinone fore contingeret se personaliter presentaret eique prestaret iuramentum et homagium faceret, in hunc modum videlicet quod ipse magister aut castellanus vel commendator fidelis erit eidem regi et per se vel alium nunquam

FUNDACIÓ NOGUERA

aliquid faciet aut procurabit vel fieri seu procurari consentiet publice vel occulte, propter quod eidem regi et suis vel regnis et terris eius aliquod dampnum valeat evenire, quod si forte sciret aliquid procurari vel fieri, quod in dampnum dicti regis aut regnorum seu terrarum ipsius esse vel cedere posset, id eidem regi quamcito poterit intimabat vel faciet intimari, et nichilominus impediet iuxta posse, quodque de castris villis et locis aliis ac hominibus, que dictus ordo hospitalis habet ad presens vel haberet imposterum in regnis et terris predictis necnon castris villis et locis aliis ac hominibus, qui fuerunt quondam dicti ordinis Templariorum nunquam dicto regi vel subditis regnis et terris suis eodem magistro seu preceptore aut castellano vel commendatore sciente volente mandante aut ratum habente aliquod dampnum eveniet infuturum. Quod si forte id sciverit vel senserit, totis impediet iuribus, et quantum in eo fuerit amovebit. Quod iuramentum et homagium per dictum magistrum vel preceptorem aut castellanum seu commendatorem non ratione dictorum bonorum, sed ratione persone prestantis prestari et fieri volumus regi Aragonum supradicto nullumque ipsi regi ex iuramento et homagio supradictis in bonis eisdem quomodolibet ius acquiri. Quequidem iuramentum et homagium idem rex infra decem dierum spatium recipere teneatur. Quod si rex ipse iuramentum et homagium huiusmodi infra terminum ipsum forte recipere non curaret, liceat dicto magistro aut preceptori vel castellano seu commendatori absque displicentia et indignatione dicti regis ab ipso rege recedere et officium preceptorie seu castellanie aut commendatorie bonorum huiusmodi exercere libere et sicut pro utilitate dicti ordinis sibi videbitur expedire administrare plenarie in eisdem. Si vero in primo magistri seu preceptoris aut castellani seu commendatoris eiusdem adventu ad regna vel comitatum predicta dictum regem qui nunc est vel qui pro tempore fuerit ab ipsis regnis et comitatu abesse forte contingeret, idem magister vel preceptor aut castellanus seu commendator locumtenenti dicti regis teneatur prestare iuramentum et homagium facere supradicta. Eodem vero magistro seu preceptore vel castellano aut commendatore absente locumtenens ipsius teneatur dicto regi si in aliquo dictorum regnorum aut memorato comitatu extiterit, alioquin eiusdem regis locumtenenti iuramentum prestare et homagium facere, sicut superius est expressum. Et si contingeret fortassis interdum quod predictis bonis magister aut preceptor seu castellanus vel commendator aliquis non preesset locumtenens ipsius aut ille qui bonorum ipsorum administrationem habuerit, prefato regi vel eius locumtenenti ipso rege a regnis et comitatu predictis absente iuramentum prestet et homagium faciat supradicta. Inferiores quoque preceptores hospitalis eiusdem eorumque loca tenentes, cum preceptores ipsos a dictis terris eius-

FUNDACIÓ NOGUERA

dem regis Aragonum absentes fore contingeret, ante quam incipiant in bonis administrare predictis, offerre iuramentum et homagium huiusmodi dicto regi, si ipse in aliquorum dictorum regnorum aut comitatu, in quo preceptoria fuerit, presens extiterit. Alioquin locumtenenti eius infra predictum tempus prestare iuramentum et homagium facere huiusmodi teneantur, quo elapso sive dicta iuramentum et homagium sint recepta vel etiam non recepta, liceat predictis inferioribus preceptoribus vel ipsorum loca tenentibus ad eorum loca redire et absque displicentia vel indignatione regis eiusdem seu locatenentis ipsius in bonis administrare supradictis. Volumus tamen quod tam magister ipse seu castellanus aut preceptor maior predicti hospitalis seu locatenens ipsius eo absente quam alii qui fuerint sub eodem in regnis et terris eiusdem regis Aragonum ad curias ipsius regis accederent ac ei et suis heredibus et successoribus omnia facerent, que ipsi iidem ac quondam Templarii predicte ipsorum captionis tempore facere debebant, quodque dictus rex Aragonum omnia servitia et iura regalia, que tam ipso quam sui ab hospitalis et quondam Templi ordinum predictorum fratribus, dum ordo ipse Templariorum subsistebat necnon et hominibus atque bonis ipsorum habere consueverant temporibus retroactis et habere noscuntur, a magistro sive castellano et fratribus ordinis hospitalis habere valeat supradicti ac eidem regi et suis in eisdem hominibus et bonis salva et illibata serventur et integra iura et servicia supradicta nec super ipsis eidem regi vel suis aliquod preiudicium generetur. Et licet dilectus filius frater Martinus Petri de Ros castellanus Empeste, cui omnia et singula tam hospitalis quam dicti quondam ordinis Templi bona predicta tenenda et gubernanda per eum postmodum per nos usque ad certum tempus fuerant assignata iuxta premissam formam iuramentum et homagium predicta regi predicto fecisset, quia tamen dilectus filius Helionus de Villanova magister hospitalis predicti ex certis rationabilibus causis et pro meliori statu hospitalis ipsius administrationem dictorum bonorum et etiam aliorum, que ante fuerant hospitalis eiusdem, de conniventia et ex certa scientia nostra divisit ac etiam ordinavit, quod in bonis eisdem omnibus in Cathalonia consistentibus esset unus prior, qui ea dumtaxat decetero gubernaret teque bonorum ipsorum per suas certi tenoris litteras instituit in priorem, reliquis aliis bonis omnibus [...] prius eidem castelliano dimissis. Nos attendentes quod iuramentum et homagium predicta prestari regi prefato non ratione dictorum bonorum sed personarum precipue, ut premittitur, fuerat ordinatum, volentes quoque quod omnino propterea futuris eiusdem regis periculis ovietur et amputetur dissensionis materia, que posset quod absit inter regem eundem et te ac successores tuos in ipso prioratu ac hospitale prefatum ex di-

FUNDACIÓ NOGUERA

visione huiusmodi suboriri ratione huiusmodi iuramenti, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus iuramentum et homagium supradicta nichilominus prestes et facias regi prefato iuxta formam et conditiones superius enarratas illaque pro maiori securitate regis et successorum ipsorum volumus et presentium auctoritate decernimus per te et successores tuos in prioratu predicto prestari, ut premissum est, perpetuis futuris temporibus regi et successoribus antedictis.

Dat. Avinione, XV Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Quarto.

758

1319 desembre 12, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que influeixi sobre el seu germà, el rei Frederic II de Trinàcria, perquè enviï aviat plenipotenciaris a Avinyó, a l'efecte de concertar la pau amb el rei Robert de Sicília (Nàpols).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 41.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 220, doc. 423.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Notitie tue non existit incognitum dilectissime fili, quod ad pacem inter carissimos in Christo filios nostros Robertum Sicilie cognatum et Fredericum Trinaclie reges illustres germanum tuos deo propitio reformandam incensum sicut et te pro certo habere percepimus, gerimus animum et affectum. Cum igitur nos eidem regi Trinaclie ut nuntios suos huiusmodi pacis et concordie zelatores plenum ad tractandum pacem huiusmodi mandatum habentes, cum quibus de ipsius reformatione pacis tractare possimus, ad presentiam nostram transmittat cum efficaci precum et exhortationum instantia litterarum apostolicarum sugeramus. Magnificentiam regiam rogamus et hortamur attentius, quatinus apud eundem regem Trinaclie ut ad presentiam nostram huiusmodi nuntios sine dilatione transmittat ac treugas inter eosdem reges indictas non obstantibus quibuscunque pro parte ipsorum propositis coram nobis observet per nuntios tuos et litteras speciales cum efficacia qua poteris solerter insistere non postponas, ut per tractatum huiusmodi eisdem regibus pacis serenitas illucescat. Tuque preter mercedem retributionis eterne quam

FUNDACIÓ NOGUERA

inde mereberis nostram et apostolice sedis benedictionem et gratiam plenius merearis.

Dat. Avinione, II Idus Decembris, pontificatus nostri anno Quarto.

759

1319 desembre 12, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha nomenat arquebisbe de Toledo el seu fill, l'infant Joan (d'Aragó), recomanant-li que li doni bons consellers i servidors.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 42.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 221, doc. 424.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 122, doc. 5216.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ecclesia Toletana vacante nos ei de illo intendentes providere pastore, qui suo regimini utiliter presideret, provisionem ipsius ecclesie dispositioni nostre et apostolice sedis ea vice duximus reservandam. Demum vero de provisione huiusmodi paterna sollicitudine cogitantes et ad personam dilecti filii Iohannis nati tui capellani nostri dirigentes apostolice considerationis intuitum ac sperantes quod tuo salubri consilio et directione suffultus eandem ecclesiam in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernaret, de ipso eidem ecclesie Toletane duximus providendum eum illi preficientes in archiepiscopum et pastorem sibi curam et administrationem illius in spiritualibus et temporalibus committendo. Quare magnitudinem tuam rogamus et hortamur attentius, quatinus electo de illis consiliariis sociis et familiaribus tam clericis quam laicis studeas providere, qui deum timentes et ipsius electi diligentes honorem propria lucra cum sue salutis dispendio non venentur sed sic ei circa salubrem ipsius gubernationem ecclesie fideliter et solerter assistant, quod suum laudabile regimen nobis cedet ad gaudium eidem electo crescat ad meritum eius subditis sit ad statum salubrem et prosperum ac ceteris in exemplum.

Dat. Avinione, II Idus Decembris, pontificatus nostri anno Quarto.

FUNDACIÓ NOGUERA

760

1319 desembre 17, Avinyó

Joan XXII exhorta el rei Jaume II d'Aragó perquè li faci costat davant el seu germà, el rei Frederic II de Trinàcria, i li torna a recomanar que enviï aviat plenipotenciaris a Avinyó, a l'efecte de concertar la pau amb el rei Robert de Sicília (Nàpols).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 43.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 221, doc. 425.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Scimus fili carissime quantum regiis tuis desideriis illustrium regum Sicilie et Trinaclie concordia sit votiva quantumque cordi nostro insideat exellentiam regiam credimus non latere. Cum itaque regem prefatum Trinaclie per nostras duxerimus litteras inducendum ut ad nostram presentiam certos nuncios de sua conscientia instructos plenius super tractatu pacis inter reges ipsos dante domino reformande studeat destinare, celsitudinem regiam exortamur, quatinus exortationes tuas nostris cures adiungere, ut nostris et tuis in hac parte desideriis promptius et efficacius satisfiat.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

761

1319 desembre 28, Avinyó

Joan XXII prega a l'infant Juan, arquebisbe electe de Toledo, i l'exhorta, que vagi com més aviat millor a ocupar la seva seu, entre altres motius per estudiar conjuntament, amb els prelats i els nobles, la manera de reiniciar la conquesta del regne de Granada.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 44.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 221-222, doc. 426.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Intendentes dilecti filii Iohannis electi Toletani nati tui et ecclesie Toletane parcere laboribus et expensis ei scribimus per litteras nostras, ut veniendi ad nos laborem aliquem non assumat sed

FUNDACIÓ NOGUERA

quamcito comode poterit ad eandem ecclesiam accedere non postponat ipsius regimen ad dei laudem prosecuturus solicite, sicut ei dominus melius ministrabit et alias circa reformationem status illarum partium cum prelatis et nobilibus qui habent in brevi super hoc ut accepimus convenire solicitam operam impensurus ac exhibiturus solicitudinem efficacem, quod negocium impugnationis regni Granate potenter et viriliter resumatur. Quare celsitudinem regiam rogamus et hortamur attentius, quatinus premissis provida consideratione pensatis eundem electum ad prefatam ecclesiam quamtotius transmittere non postponas.

Dat. Avinione, v Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

762

1320 gener 12, Avinyó

Joan XXII manifesta al rei Jaume II d'Aragó la seva admiració i l'aplaudeix per l'abnegada resolució del seu primogènit Jaume d'abraçar l'estat religiós a l'orde de Sant Joan de Jerusalem, i n'elogia l'enteresa.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 46.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 368-369, doc. 170, 3 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 222, doc. 427.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Tria nobis fili carissime innotuerunt regie littere novissime nobis misse, videlicet mutationem status tui primogeniti, diligentiam sedulam, quam ad impediendam illam adhibere curasti ac constantem patientiam, quam in mutatione tenuisti huiusmodi et servasti. Profecto fili carissime primum admiratione vacuum non videtur. Quis enim non miretur adolescentem inclitum regna et honores respuere et sponsam abicere sic preclaram. Utique nos miseri de talibus admiramur, qui de presentibus ideo sepius perperam iudicamus, quia finem ad quem ipsa ordinavit ille, qui omnia disponit suaviter ignoramus. Set in illius occulis cui sicut presentia futura sunt nota quique presentia iuxta futurorum conveniencia ordinat, hec non videntur mirabilia set congrue et convenientissime ordinata. Secundum autem fuisse laudabile arbitramur, quis enim laude dignum non dixerit patrem providum, cui est cura de filio procurare filium in statu constanter persistere iuxta humanum iudicium deo grato, filio honorabili, patri placido et subditis oportuno. Utique sapiens nullus directus Tercium autem velut magna virtute plenum apud deum credimus renunciacione magna

FUNDACIÓ NOGUERA

condignum. Tene igitur fili virtutem patientie, sta in illa inmurabiliter, ipsam enim opus habere perfectum appellationis attestatur, supponens indubie quod ille qui solus est bonus mutationem huiusmodi fieri non sinisset nisi meliora elicere previdisset. Redde illi vitulum labiorum, qui talem tibi dedit primogenitum, qui novit terrena regna respuere, ut possit ad celestia facilius pervenire. Instrue illum et confortare paternis salutaribus monitis, ut inceptis laudabiliter perseveret, quia profecto melius fuisset illi et omnibus, qui eum diligunt, ipsum non agressum fuisse talia, quam ab agressis apostatando dampnabiliter resilire. Age gratias bonorum omnium largitori, qui tibi filium, ymmo filios alios contulit, quos dante domino poteris in regnis et terris aliis dimittere successores, cura illos instruere sedule nec illum in cuius manu mors et vita consisterent, timeant illique sue inventiones primicias offerentes fortitudinem suam custodiant et resident vices et ipsa continuatione Saliteris propositi et priorum prosecutione operum studeant devovere et favendo ecclesiis ipsarum libertates et iura necnon et ministros dei, personas videlicet ecclesiasticas confovendo. Hec enim illis annos vite producent, hoc illis dierum longitudinem ministrabunt. Talesque ipsis consiliarios et familiares alios providencia regia studeat ordinare, qui eos in semitis mandatorum domini dirigant non perversis suggestionibus a via rectitudinis abstrahant, nec exemplis detestandis abducant nostrum et regni statum pacificum diligant ac tuis subditis faveant suaque luc[rum] in alienis dispendiis non perquirant.

Dat. Avinione, II Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

763

1320 gener 18, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que enviï missatgers als reis de Castella (Ferran IV i Constança), molt disgustats, com tot el regne, perquè no s'ha verificat el matrimoni entre el seu primogènit Jaume, recent entrat en religió, i la infanta Elionor de Castella, per expressar-los com li sap greu i més per l'entossudiment que posà per tal que es realitzés. Li demana que tracti bé la infanta mentre estigui en la seva companyia, la consoli i l'acompanyi a Castella.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 47.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 369-370, doc. 170, 3b (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 222-223, doc. 428.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam

FUNDACIÓ NOGUERA

benedictionem. Quam sit domus tue regie ac Castelle fili carissime unio grata deo mutuo utilis utriusque fidelibus desiderabilis et universis christiane religionis professoribus oportuna quantaque discentio, quam deus avertat, comminaretur pericula varia ex parte percepimus et tuam ex parte providentiam credimus non latere. Ideoque vigilanti quaque vitanda sunt studio, per que ipsa sauciari posset concordia et studiosa exercenda sunt vigilantia per que ipsa concordia nutriri valeat et continua recipere dante domino incrementa. Sane fili sicut hiis diebus ad nostram perduxit audientiam relatio fidedigna domus illa Castelle contra tuam propter dissolutionem matrimonii celebrati inter primogenitum tuum et Helionorem natam carissime filie nostre regine Castelle turbata dicitur et tota illa patria iam commota, per quod expediens arbitramur et sano tibi nichilominus consilio suademus, quatinus solennes ad reginam prefatam et regem curet providentia regia nuncios destinare, qui super dissolutione huiusmodi eisdem in prelatorum et baronum illis assistentium presentia innocentiam tuam pandant diligentiam, quam ut dictum contraheretur et consumaretur matrimonium adhibere curasti aperiant et displicentiam quam ex ipsa dissolutione habuisti apertius manifestent, sinceram quoque tuam affectionem qua ad domum illam afficeris prudenter studeant intimare. Consulimus insuper ut prefatam nobilem quamdiu apud te residebit, sepius consoleris comitivam sibi decentem teneas nec de ipsa temptes aliquid absque regis et regine Castelle beneplacito ordinare et cum ipsam ad regem et reginam predictos remittere te continget, iuxta tuam et ipsius magnificentiam ipsam honorabiliter remitti provideat regia celsitudo, per hec enim ora obstruentur iniqua loquentium obviabitur maliciis querentium inter te ac regem et reginam predictos suis susurris disseminare discordias et discentionum accendere incentiva turbatio illorum mitigabitur ac inter te et ipsos retineri probabiliter poterit caritatis affectus. Circa hoc premissa et alia que tibi dominus ministrabit exequeris cum diligentia si paternis utique salutaribus monitis acquiescas.

Dat. Avinione, XV Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Quarto.

764

1320 febrer 23, Avinyó

Joan XXII ordena al bisbe de Vic (Berenguer de Guàrdia) i al capítol que agreguin el tresorer al còmput del capítol, constituït per vint canonges, el qual passarà a ésser de vint-i-un canonges.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 37-5-5.
a Butlla amb fil de seda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, III, p. 69, doc. 11046.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis capitulo Vicensibus salutem et apostolicam benedictionem. Iustis petentium desideriis dignum est nos propitium prebere consensum et vota, que a rationis tramite non discedunt, effectu prosequente complere. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod licet thesaurarius ecclesie Vicensis qui est pro tempore eiusdem ecclesie canonicus non existat, tamen sicut unus ex canonicis ipsius ecclesie in ea canonicalem percipit portionem tenetur esse sacerdos et in maiori altari per septimanam missarum celebrare solennia sicut unus ex canonicis ecclesie supradicte. Preterea idem thesaurarius custodire thesaurum ipsius ecclesie et deposita que fiunt apud dictam ecclesiam necnon sigillum vestrum filii capitulum tenere et servare tenetur, propter quod pro parte habet vestra non ignorare secreta. Quare nobis per litteras vestras humiliter supplicastis ut cum plurimum expediat honori et comodo ecclesie memorate ut dictus thesaurarius sit canonicus ecclesie supradicte quodque vicenario numero canonicorum ipsius ecclesie dudum in eadem ecclesia auctoritate apostolica constituto idem thesaurarius debeat superaddi, ita quod ipso thesaurario computato sint deinceps viginti et unus canonici in ecclesia prelibata habeatque dictus thesaurarius stallum in choro et vocem in capitulo sentire commoda et onera ipsius ecclesie sicut unus ex canonicis supradictis quodque collacio thesaurarie prefate, ad quam presentatio thesaurarii cum imminet facienda pro tempore ad sacristam ipsius ecclesie de antiqua consuetudine spectat, dilecto filio .. sacrista ipsius ecclesie qui nunc est cedente vel decedente ad te frater .. episcope tuosque successores et sacristas supradicte ecclesie qui pro tempore fuerint pertinere communiter debeat per litteras nostras statuere dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, presentium auctoritate statuimus et etiam ordinamus ut supradicto vicenario numero addatur thesaurarius memoratus qui nunc est et qui pro tempore fuerit thesaurarius ecclesie supradicte sitque canonicus eiusdem ecclesie, ita quod ipso computato sint deinceps viginti et unus canonici in ecclesia prelibata, habeatque thesaurarius prefatus stallum in choro et vocem in capitulo supradictis et iamdicta sentire commoda et onera teneatur quodque collacio thesaurarie prefate sacrista ipsius ecclesie qui nunc est cedente vel decedente ad te, dicte episcope, et successores et sacristas eosdem perpetuis futuris temporibus communiter debeat pertinere numero supradicto alias in suo robore duraturo nisi adeo ecclesie ipsius exercuerint facultates quod illum merito exigant augmentari. Nulli ergo omnino hominum liceat

FUNDACIÓ NOGUERA

hanc paginam nostre constitucionis et ordinationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VII Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Quarto.

765

1320 abril 2, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que mani retornar al noble Roger de Comenge, fill d'Arnau d'Hispània, vescomte de Coserans, el castell de Lord amb tot el comtat de Pallars, del qual fou desposseït injustament per lliurar-lo a Hug de Mataplana.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 48.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 223, doc. 429.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quia scimus fili carissime, quod tu tanquam benedictionis alumpnus libenter veritatem amplecteris et per iustitie semitas dirigis gressus tuos super hiis que iustitie sunt amica affectu paterno tibi dirigimus preces nostras. Habet siquidem dilecti filii nobilis viri Rogerii de Convennis nati dilecti filii nobilis viri Arnaldi de Ispania vicecomitis Conseranensis nobis oblata petitio, quod cum dictus vicecomes dudum comitatum de Palhar superiorem longo tempore cum suis iuribus et pertinentiis possedisset, tandem dictum comitatum donatione que dicitur inter vivos legitime celebrata cum omnibus suis iuribus et pertinentiis in Rogerium transtulit memoratum, quo dictum comitatum ex causa possidente predicta regia magnitudo contra eum et comitatum predictum in cuius tunc possessione pacifica consistebat eo ad iudicium non vocato potenter armata manu consurgens castrum de Lehort comitatus predicti obsidione vallavit, et tandem interveniente tractatu communium amicorum prefati vicecomes et Rogerius eius filius super debato et dissentione inter eos ex parte una et dilectum filium nobilem virum Hugonem de Mataplana asserentem se ius habere in comitatu predicto ex altera exortis cognitioni et ordinationi regie se voluntarie submiserunt et pro predictis ordinatione et cognitione tenendis complendis et observandis prefati vicecomes et filius dictum castrum in tuis manibus posuerunt ac deinde circumspectio regia per suas litteras certis personis commisit, ut de utriusque partis iuribus

FUNDACIÓ NOGUERA

plenarie informatione recepta negotium secundum iustitiam terminarent, a quibus factis quibusdam citationibus et in earum qualibet dicto Rogerio comparente et coram eisdem commissariis pendente negotio supradicto celsitudo tua non expectata huiusmodi decisione negotii dictum castrum de Lehort parte dicti Rogerii non vocata et eius rationibus inauditis adverse parti ut dicitur assignavit et eam in eiusdem castri possessionem posuit corporalem dictusque Rogerius postmodum vi et potentia armorum eiusdem partis adverse possidentis castrum predictum tuoque auxilio consilio et favore suffulte de possessione et sasina dicti comitatus eiectus et expulsus fuisse dicitur violenter. Quia igitur dictus Rogerius apud magnitudinem regiam sperat futura sibi nostra precamina fructuosa, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatinus nostrorum precaminum interventu eidem Rogerio super reintegratione possessionis comitatus predicti qua se iniuste et absque omni iudicio conqueritur destitutum, sine strepitu et figura iudicii placeat iustitie facere complementum sibique de violentia et oppressione predictis satisfactionem mandare fieri competentem. Et nichilominus dilectum filium Hugonem de Mirabello prepositum ecclesie Mimatensis capellanum nostrum qui super hiis per nostras litteras informatus celsitudinem regalem adibit, sublimitas regia benigne recipere et hiis que super premissis ex parte nostra dixerit, auditionis et exauditionis quantum iustitia patitur aures velit impendere efficaces, nobisque rescribere quicquid in hac parte providerit faciendum.

Dat. Avinione, IIII Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno Quarto.

766

1320 abril 5, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que li denega la petició perquè el seu fill, fra Jaume de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, vesteixi clàmide de color.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 49.
a Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 371, doc. 170, 4.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 223, doc. 430.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Super petitione fili carissime pro dilecto filio fratre Iacobo ordinis Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani nato tuo quem

FUNDACIÓ NOGUERA

tibi dominus carnali genitura concedens velut gratam sibi primitiam eductum a seculo in societatem sue spiritualis militie evocavit, videlicet de clamide honesti coloris preterquam de nigro indulgenda sibi nobis ex parte tua porrecta spetiali, qua serenitatem regiam dilectione prosequimur, respondemus quod decet ut idem genitus tuus regis eterni serviciis dedicatus, fratribus dicti ordinis in habitu sit conformis et, quanto maior est, humiliet se in omnibus et ad dei gloriam et aliorum edificationem humilitatem diligere et sectari tam in habitu uniformi cum aliis quam in ceteris studeat demonstrare. Absit enim quod a viro tante perfectionis qui contempta regnorum temporalium gloria in vita humili se deputavit obsequiis Ihesu Christi dispar ritus moleat, quinimmo divina gratia concedente de hospite tanto dictus ordo virtutum normam humilitatis exemplar, sancte vite speculum et circa religionis observantiam gratum deo et acceptum hominibus recipiat incrementum.

Dat. Avinione, Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno Quarto.

767

1320 maig 10, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que li denega la petició d'ajuntar les rendes anuals d'una o dues parròquies, les quals pugen a trescentes lliures jaqueses, al monestir de monges de Saragossa fundat per la reina Blanca d'Aragó (de Nàpols), la seva difunta esposa, per la raó que són insuficients les que té per al seu manteniment a causa del creixent nombre de religioses.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 50.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 224, doc. 431.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Per tue magnitudinis litteras quas nuper affectione paterna recepimus, nobis cum instantia supplicasti, quod cum olim clare memorie Blanca regina Aragonie consors tua dum adhuc viveret quoddam monasterium monialium in civitate Cesaraugustana ad nostri redemptoris sueque gloriosissime genitricis honorem fecisset de propriis facultatibus construi et propter numerum monialium postmodum in ipso monasterio receptarum eidem proprie non sufficiant, facultates unam vel plures parrochiales ecclesias, quarum redditus et proventus reservatis portionibus pro vicariis servituris ibidem ad

FUNDACIÓ NOGUERA

summam trecentarum librarum Iacensium annuatim ascenderent pro ipsius monasterii necessitatibus supportandis eidem unire et concedere monasterio dignaremur, ad quod tue celsitudini duximus respondendum, quod multa parrochialibus ecclesiis onera novimus imminere, ad que cum vix rectores sufficiant earundem multo minus vicarii possent sufficere supportanda. Et propterea unum cooperire aliudve discooperire volentes altare a talibus unionibus concedendis retraximus manus nostras. Quare serenitas regia moleste non ferat, si super eadem concessione non satisfecimus votis tuis.

Dat. Avinione, VI Idus Maii, pontificatus nostri anno Quarto.

768

1320 maig 10, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que desestima la seva petició feta a favor del bisbe de Vic (Berenguer de Guàrdia), de concedir-li per un quinquenni poder efectuar la visita en la seva diòcesi per mitjà d'algú altre, sense minvar les procuracions, entre altres motius pel seu delicat estat de salut.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 51.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 224, doc. 432.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pro parte tua carissime fili fuit nobis cum instantia supplicatum, quod cum venerabilis frater noster .. Vicensis episcopus tam propter debilitatem proprii corporis quam ex certis aliis causis Vicensem diocesim per se nequeat visitare sibi quod per alium dictam diocesim et plura uno die visitare loca ac procurationes ab eisdem visitatis locis recipere posset in pecunia numerata usque ad quinquennium concedere dignaremur. Ad quod tue celsitudini duximus respondendum, quod non propter emolumentum aut lucrum sed propter illorum qui visitantur fructum et comodum procurationes a sacris canonibus visitantibus sunt concesse, propter quod numquam olim dum essemus in minoribus constituti talem gratiam postulasse recolimus et postquam fuimus ad statum apostolice dignitatis assumpti raro aliis meminimus concessisse. Et ideo tua celsitudo moleste non ferat, si super exauditione petitionis huiusmodi nequivimus satisfacere votis tuis. Nam idem episcopus et alii, quibus competit visitationis officium, possunt absque nostra licentia visitare per alios et per mi-

FUNDACIÓ NOGUERA

nisterium visitationis huiusmodi fructum sibi commissarum ovium quem contempnere videntur impetrantes talia procurare.

Dat. Avinione, VI Idus Maii, pontificatus nostri anno Quarto.

769

1320 maig 10, Avinyó

Joan XXII concedeix a l'infant Jaume de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, primogènit del rei, la facultat per elegir sepultura al monestir de Santes Creus de l'orde del Cister, diòcesi de Tarragona, conforme ho havia fet abans d'entrar en religió, o en el lloc que millor li sembli.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 52.
a Butlla separada amb fil de seda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, III, p. 98, doc. 11407.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 224-225, doc. 433.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 125, doc. 5228.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Iacobo primogenito carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris ordinis Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani salutem et apostolicam benedictionem. Habet in nobis devotionis tue grata sinceritas, ut personam tuam paterna benivolentia prosequentes tibi reddamur ad gratiam liberales. Nuper siquidem tua petitio nobis exhibita continebat, quod tu iamdudum antequam ordinem sancti Iohannis Ierosolimitani fuisses ingressus, tuam in monasterio sanctarum Crucum Cisterciensis ordinis Terraconensis diocesis sepulturam specialiter elegisti, te ad hoc per iuramentum proprium obligando. Cum itaque postmodum prefatum ordinem Hospitalis eiusdem duxeris assumendum, sicque iuxta Hospitalis eiusdem consuetudines et statuta in aliquo ipsius Hospitalis loco cum te de vita presenti transire contigerit sepeliri cogaris, nos tuis et carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris genitoris tui supplicationibus inclinati, tibi ut in eodem monasterio vel in alio loco quem duxeris eligendum ipsorum Hospitalis et loci statutis et consuetudinibus contrariis iuramento confirmatione sedis apostolice seu quacunque firmitate alia roboratis, aut quibuslibet privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis eisdem Hospitali et loco concessis per que presentium effectus impediri posset quomodolibet vel differri nequaquam obstantibus libere possis sepeliri auctoritate presentium concedimus de gratia speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis

FUNDACIÓ NOGUERA

infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VI Idus Maii, pontificatus nostri anno Quarto.

770

1320 maig 10, Avinyó

Joan XXII concedeix a l'infant Jaume de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, primogènit del rei, la seva dispensa del vot que va fer d'ingressar al monestir de Santes Creus de l'orde del Cister, diòcesi de Tarragona, en cas d'entrar en religió.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 53.
a Butlla amb fil de seda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, III, p. 98, doc. 11408.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 225, doc. 434.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 126, doc. 5229.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Iacobo primogenito carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris ordinis Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani salutem et apostolicam benedictionem. Tue devotionis sinceritas promeretur ut petitiones tuas quantum cum deo possumus ad exauditionis gratiam admittamus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu iamdudum antequam ordinem Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani fuisses ingressus, si te contingeret habitum religionis recipere, illum in monasterio sanctarum Crucum Cisterciensis ordinis diocesis Terraconensis assumeres per solenne votum te specialiter obligasti. Cum itaque tu postmodum prefatum ordinem Hospitalis eiusdem assumens huiusmodi voti transgressor effectus extiteris, supplicasti nobis humiliter ut tue in hac parte providere saluti de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur tuis et carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris genitoris tui supplicationibus inclinati, te auctoritate apostolica ab huiusmodi transgressione voti absolvimus de gratia speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VI Idus Maii, pontificatus nostri anno Quarto.

FUNDACIÓ NOGUERA

771

1320 maig 21, Avinyó

Joan XXII assabenta el rei Jaume II d'Aragó que mai no dispensarà d'una professió religiosa solemne, si no es veu obligat per raons de justícia, singularment en el cas que la dispensa podria ésser motiu d'escàndol. Per tant, li inclou unes lletres perquè, al seu arbitri, les faci arribar o no al seu primogènit Jaume, religiós de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 54.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 375-376, doc. 170, 10.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 225-226, doc. 435.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Firmiter tene fili carissime et nullatenus dubites, quod super professione religionis alicuius solenniter emissa non intendimus ad cuiusvis preces nisi ad hoc nos artaret iusticia cum aliquo dispensare, presertim si ex dispensatione huiusmodi scandala strages corporum et varia animarum pericula probabiliter possent sequi, et ecce dilecto filio religioso viro fratri Iacobo ordinis Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani nato tuo, ut in vocatione sua remanere debeat, litteras apostolicas mittimus sub forma, quam continet cedula presentibus interclusa, quas exhiberi sibi facere vel retinere poteris prout providentia regia viderit expedire.

Dat. Avinione, XII Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Quarto.

772

1320 maig 21, Avinyó

Joan XXII anima fra Jaume de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, fill de Jaume II d'Aragó, a perseverar en l'estat religiós que ha elegit i solemnement ha professat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 55.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 226, doc. 436.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio religioso viro fratri Iacobo carissimi filii Iacobi regis Aragonum illustris nato ordinis sancti Iohannis Ierosolimitani salutem et apostolicam

FUNDACIÓ NOGUERA

benedictionem. Nosti fili quod status tui mutatione percepta te ad perseverandum in statu, ad quem per solennem professionem transiveras sicut et deo gratum tueque saluti expediens videbamus, duximus per nostras litteras inducendum. Sane quia illius antiqui hostis humani generis cuius astutias in parte novimus, qui a suo apostatavit ordine primus veremur, admodum ut te quod absit in apostasia sibi similem fieri cupiens ad illam nunc velut blanda que respuisti nunc velut aspera que elegisti ante tue mentis oculos offerens perversis suggestionibus per se ac suos satellites te inducat. Ideoque paterno more de tua salute soliciti exortationes exortationibus addimus te obsecrantes per viscera misericordie dei nostri, quatinus angelorum leticiam nolis in luctum vertere nec luctum demonium in gaudium commutare, quod profecto fieret si professionem sic emissam solenniter violares, set sta fili in iusticia et timore animam tuam preparans ad hostis predicti maliciam superandam, diligenter considerans et prudenter advertens quam brevis sit vita presens est enim vapor ad modicum parens quam variis amaritudinibus et periculis corporis et anime presertim presidentium sit respersa quantaque paupertatis castitatis et obedientie professoribus et in ea perseverantibus gaudia fuit promissa, profecto sibi si hec prudenter adverteris, si hec examinaveris diligenter dimissa reputabis velut stercora teque quasi nichil nisi dumtaxat onerantia reperies dimisisse. Confidimus siquidem in illo qui non permittit temptari aliquem super posse quod si ad primos ictus steteris fortiter tibi adiutor aderit cui omne genu flectitur celestium terrestrium et infernorum et obediunt universa. Noli fili pro vita caduca perhenniter perdere noli celestia prima pro penis infernalibus commutare, set certa viriliter contra hostem suffer eius iactantia patienter considerans quod si temptationes eius substuleris coronam recipies glorie quam dominus se diligentibus repromisit.

Dat. Avinione, XII Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Quarto.

773

1320 agost 5, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó, responent a les seves lletres sobre diversos assumptes que motivaren l'ambaixada formada per l'ardiaca Joan de Tarassona i Guerau de Rocabertí, que ha resolt que, per ara, la conquesta de Sardenya no és oportuna, ja que pels voltants guerregen els genovesos i no convé excitar més els ànims; que el comissari dels cardenals ha desestimat la seva petició de destinar la recaptació en concepte de dècima per a Terra Santa, durant deu

FUNDACIÓ NOGUERA

anys, a la conquesta del regne de Granada, i que intercedeixi davant el seu germà Frederic II de Trinàcria, per fer-lo desistir de les intencions guerreres que denuncien unes paraules provocadores, proferides per un emissari seu a Avinyó, i pels preparatius que fa de galeres i d'armes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 56.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 386-387, doc. 175 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 226-227, doc. 437.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Venientes ad presentiam nostram dilecti filii Iohannes archidiaconus Tyrasonensis et Geraldus de Roccabertino nuntii tui exhibitores presentium nobis tuas litteras per quas ipsorum adhiberi fidem postulasti relatibus presentarunt, quibus affectione consueta receptis et eis audientia benigne concessa proposuerunt inter cetera coram nobis, quod tu ad acquisitionem regni Sardenie, si de nostra voluntate procederet, intendebas. Sed demum cum per nos responsum fuisset eisdem, quod civitas Ianuensis et alia dicto regno Sardenie circumvicina partes et loca guerrarum gravium diutinis et horrendis erant concussa fremitibus et continue calamitosis angustiis involvebantur ipsarum, quas adversus ea peccatis exigentibus non desinebat procellarum spiritus excitare, nostro ac tuo nequaquam expediens videbatur honori, quod per te foret ad acquisitionem huiusmodi, ne per hoc validiora commotionum discrimina in illis excitarentur partibus procedendum. Fuit a nobis per eos cum instantia supplicatum, ut tibi qui ad impugnandum Sarracenos de regno Granate non ambicione terram aliquam acquirendi sed pro divini nominis gloria et ut iniurias per Sarracenorum ipsorum perfidiam Ispanie christianis illatas ulcisceres ipsorumque humiliares superbiam tuis ac filiorum magnatum et aliorum subditorum tuorum non parcendo laboribus animum dirigebas, decimam sex annorum in regnis et terris tuis collectam pro subsidio terre sancte convertendam in prosecutione impugnationis eiusdem concedere dignaremur. Nos vero huiusmodi propositione diligentius intellecta certos ei concessimus tractatores, qui cum ipsis huiusmodi negotium plene discuterent ac viderent, quid tu circa huiusmodi negotii prosecutionem offerres. Qui tandem ad te per eos nunciis destinatis et deinde informatione a tua serenitate recepta nobis per quandam cedulam responderunt, sicut in tenore ipsius, quem tibi mittimus presentibus interclusum, poteris intueri. Demum autem negotio ipso et eiusdem circumstantiis universis cum fratribus nostris provida consultatione discussis eis visum extitit ne-

FUNDACIÓ NOGUERA

mine discrepante, quod huiusmodi non esset tuta petitio admittenda. Propter quod moleste tua magnitudo non ferat, si super hoc votis tuis non extitit satisfactum. Preterea nosti plenius dilectissime fili, quod dudum quasi statim post nostre promotionis auspitia ad culmen apostolice dignitatis sine intermissione quodammodo solicitudinis adhibuimus nostre curas, ut inter carissimos in Christo filios nostros Robertum Sicilie et Fredericum Trinaclie reges illustres possent federa pacis stabilis reformari. Et ut tractatus pacis huiusmodi feliciorem haberet ex nostre prosecutionis directione processum treugas inter eos per nuncios nostros, quos ad eorum presentiam duximus destinandos usque ad festum Nativitatis domini proximo venturum. Nuncio tuo ac procuratoribus regum presentibus eorundem ac fidelium astante multitudine copiosa indici fecimus, sicut tua novit sublimitas duraturas. In omnes et singulos treugas infringentes aut violantes seu non servantes easdem excommunicationis et in terras eorum per nuncios memoratos interdicti sententiis promulgatis. Quas demum treugas procuratores ipsi nomine regum ratificarunt ipsorum et etiam approbarunt et quod eas reges ipsi per totum tempus predictum inviolabiliter observarent in regum eorundem animas, corporaliter iuraverunt. Inter se nichilominus procuratores ipsi dictorum regum nomine homagio sicut nosse te credimus hincinde prestito et recepto, quas deinde reges ipsi ratificantes et etiam approbantes illas sicut te ingnorare non credimus, servare inviolabiliter promiserunt. Cumque dictus Fredericus iuxta nostre requisitionis instantiam tempore procedente pro huiusmodi pacis prosecutione tractatus suos ad apostolicam sedem sicut tua serenitas non ignorat, nuncios destinasset, tandem iidem nuntii cum per dies aliquot moram traxissent ibidem, quia dictus Robertus rex Sicilie supervenientibus certis impedimentis eidem ad sedem prefatam quamvis ad hoc se parasset tunc venire non poterat nec suos nuncios destinare de nostra licentia recesserunt. Licet idem rex Sicilie demum ab impedimentis expeditus eisdem propter hoc ad memoratam sedem ubi adhuc morari dinoscitur accessisset. Postmodum autem diligentius attendentes quod festum appropinquabat Nativitatis domini proximo venturum, quo treuge finiebantur huiusmodi et insuper considerantes attentius innumera que non solum prefatis regibus ipsorumque regnis terris et subditis sed etiam toti mundo ipsarum poterat resumptio guerrarum odiosa producere a ceptis non putavimus desistendum. Et ideo pacis eiusdem tractatum prosequi paterne diligentie studiis intendentes nec scire possemus, si dictus Fredericus rex Trinaclie quem super hoc per nostras rogandum litteras duxeramus attentius et hortandum tuque diligenter institeras apud eum suos ad nos infra dictum proximo venturum festum Nativitatis, quo treuge finiuntur predicte, esset nun-

FUNDACIÓ NOGUERA

cios transmissurus. Treugas easdem auctoritate apostolica de fratrum predictorum consilio ex certa scientia ratificandas duximus et etiam approbandas et inter eosdem reges ipsorumque regna terras et homines usque ad tres annos complendos a dicto festo Nativitatis venturum proximo inchoandos de fratrum predictorum consilio fidelium astante multitudine copiosa duximus indicendas. Nuper autem cum nos alios dicti Frederici nuncios per eum ad nostram presentiam transmittendos, super quo per diversas litteras nostras sicut tua serenitas non ignorat rogandum et hortandum duxeramus eundem tuque studio diligentis persuasionis institeras apud eum, ut cum eis ac dicto rege Sicilie vel aliis deputandis ab ipso huiusmodi possemus pacis prosequi negotium et tractatum anxie nostrum desiderium expectaret, quidam miles qui dicti Frederici nuncium se dicebat ad civitatem Avinionensem ubi nos cum Romana curia residemus, accedens ad hospitium dicti regis in eadem constitutum civitate se contulit, et eiusdem hospitii aulam ingressus coram astantibus ibidem improvide nostra reverentia et sedis predicte calcata expresse ac publice dixit, quod Fredericus rex predictus prefatum Robertum Sicilie regem suosque valitores vassallos et homines diffidabat. Quibus verbis per militem prolatis eundem ipsius Roberti regis qui tunc erat in camera sua eiusdem hospicii nequaquam expectata presentia licet ab astantibus instanter fuerit requisitus, nec aliquo ibidem super hoc exhibito vel ostenso mandato presumptuose recessit. Et deinde fama publica referente multarumque litterarum ad diversos in curia morantes eadem transmissarum insinuatione percepimus, quod idem Fredericus galeas et milites ac gentes alias preparabat et ut tam ex dicta diffidatione quam ex multis coniecturis presumitur ad regnum et terram predicta invadendum et etiam impugnandum, per quod patenter ostenditur quod idem Fredericus quamvis de tempore dictarum treugarum per nuncios prefatos ut predicitur indictarum usque ad festum Nativitatis restaret predictum ad huiusmodi prefati regis Sicilie dictorumque regni et terre non absque nostra et eiusdem ecclesie Romane iniuriosa molestia et contemptu transgressionem iuramenti prefati dictasque penas et sententias non formidans impugnationem et guerrarum contra eos commotionem intendit, propter quod nos congruis et oportunis remediis occurrere talibus conatibus intendentes contra dictum Fredericum et alios universos et singulos tam clericos quam laicos cuiuscunque status ordinis conditionis preminentie vel dignitatis existerent, etiam si pontificali vel imperiali seu regali aut quavis dignitate alia preminerent, per se vel per alios dictum regnum Sicilie vel ipsius homines aut aliquos ex eis vel eiusdem regni partem seu loca per terram vel per mare impugnare offendere molestare turbare vel invadere aut eis iniurias dampna vel violentias per rapinas aut

FUNDACIÓ NOGUERA

depredationes seu spolia vel incendia presumentes inferre, certos processus habuimus diversas penas et sententias continentes prout in transumptis treugarum et processuum ipsorum, que tibi mittimus presentibus interclusa, poteris intueri. Cum igitur amantissime fili permaxima quibus idem rex Trinaclie pericula se subiecit et que in diversis orbis partibus dura scandala preparantur necnon et animarum deflenda dispendia dolenda personarum excidia et facultatum subtractiones innumeras ac nocumenta irreparabilia terre sancte, que nisi celeribus occurratur remediis proventura formidantur verisimiliter ex premissis regalis magnitudinis expertam prudentiam circumspicere manifeste credamus et propterea nobis indubitare spei fiducia suggeratur, quod dicti regis Trinaclie tam iniquos motus detestabiles et effrenos precordiis regiis in multe cumulum turbationis accedant, regalem magnificentiam paterno rogamus et hortamur affectu, quatinus premissis in scrutinio provide considerationis adductis memoratum regem Trinaclie a tam precipiti lapsu, ante quam pes eius in malorum profunda labatur, ad hoc modis et viis congruis et efficacibus exequi sitis pro nostra et dicte sedis reverentia cuiuslibet dilationis mora subtracta non differas revocare nullum ei circa premissa per te vel per alios favorem auxilium vel consilium impendendo, ut per huiusmodi revocationem salubrem et providam dicti regis Trinaclie tam gravibus periculis consulatur et consultius tantorum malorum occurratur generalibus nocumentis tuque preter laudis humane preconia, que regia celsitudo merebitur, eius misericordia largiente cui nunquam sine remuneratione servitur illius pacis inextimabile bonum merearis acquirere, quod est summa felicitas beatorum.

Dat. Avinione, Nonas Augusti, pontificatus nostri anno Quarto.

774

1320 octubre 18, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que si no pot fer desistir el seu germà, el rei Frederic II de Trinàcria, del desafiament al rei Robert de Sicília (Nàpols), com a mínim que no li presti ajut ni favor.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 57.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 227, doc. 438.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ex tue fili carissime serenitatis litteris serie nobis pre-

FUNDACIÓ NOGUERA

sentatis noviter percepimus evidenter diffidamentum factum carissimo in Christo filio nostro Roberto Sicilie regi illustri per invicium regis Trinaclie hiis diebus te graviter multiplici ratione gerere ac moleste teque promptum quantum in te fuerit dictum Trinaclie regem a talibus revocare, quod si forsan rex predictus in predictis duceret persistendum in non dandis circa premissa eidem favore vel auxilio, quantum tibi possibile fuerit prospicere et cavere, pro quibus excellentie regie gratiarum actiones uberes refferentes eandem attentius deprecamur, ut circa premissa curet providentia regia solicitam diligentiam adhibere.

Dat. Avinione, XV Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

775

1320 desembre 10, Avinyó

Joan XXII mana a l'abat de Sant Serni de Tavèrnoles i als priors de Sant Jaume de Frontanyà i d'Organyà, diòcesi d'Urgell, que donin suport a la col·lecta de les dècimes a la ciutat i diòcesi d'Urgell pel subsidi a Terra Santa, segons la disposició del Concili de Viena.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla amb fil de cànem.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, III, p. 221, doc. 12714.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Saturnini de Tavernulis et .. sancti Iacobi de Frontinhano ac de .. Organiano prioribus Urgellensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Significarunt nobis venerabilis frater noster Raymundus episcopus et dilecti filii capitulum Urgellenses quod cum olim tam per dominos temporales castrorum Disona et de Lordano Urgellensis diocesis extra tamen iurisdictionem ecclesie Urgellensis consistentium quam per latrones homicidias et fures qui habebant ad illa recursum multa dampna et gravia nocumenta eisdem episcopo et capitulo ac clericis et laicis Urgellensibus et aliis personis subiectis eisdem per depredationes et spolia illata fuissent temporibus retroactis et cotidie inferrentur eisdem, iidem episcopus et capitulum volentes tantis malis prudenter ocurrere, dicta castra pro precio novem milium librarum Barchinonensium parvorum emisse noscuntur. Verum cum ipsi episcopus et capitulum quinque milia librarum eiusdem monete de pretio memorato persolverint et residua quatuor milia librarum usque ad festum Nativitatis domini proximo venturum sub gravibus penis se promiserint soluturos, nobis humiliter supplicarunt ut cum ipsi ad eadem quatuor milia librarum persolvenda

FUNDACIÓ NOGUERA

sufficere non possint adpresens ei super hoc de oportune subventionis auxilio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui episcopi et capituli predictorum augmentum paternis desideriis concupimus et eis libenter quietis et pacis comoda procuramus in hac parte deficere nolentes eisdem, discretioni vestre de qua plenam in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vos vel alter vestrum pecuniam decime collectam in civitate ac diocesi Urgellensi iuxta ordinationem concilii Viennensis[11] pro subsidio terre sancte a collectoribus super collectione ipsius per sedem apostolicam constitutis et succollectoribus deputatis ab eis et quibusvis aliis personis ecclesiasticis vel secularibus, ad quas pecunia eiusdem decime que ad summam quatuor milium librarum eiusdem monete ut fertur ascendit quomodolibet pervenisset, nostro et Romane ecclesie nomine petere exigere ac recipere studeatis eos ad tradendum et assignandum vobis illam per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, ipsaque recepta pecunia eadem quatuor milia librarum eisdem episcopo et capitulo ad solvendum residuum precii supradicti pro castris prefatis nostro et ipsius ecclesie Romane nomine mutuetis, recepturi ab episcopo et capitulo sepedictis pro se et successoribus eorundem sufficientes et ydoneas cautiones cum obligatione bonorum ad mensam episcopalem ipsius ecclesie Urgellensis et capitulum supradictum spectantium communiter vel divisim adiectis penis, de quibus videritis expedire, nostro et successorum nostrorum et eiusdem ecclesie Romane nomine, quod ipsi dicta quatuor milia librarum videlicet duo milia librarum dicto festo Nativitatis usque ad aliud festum Nativitatis anno revoluto reliqua duo milia librarum nobis et eidem ecclesie Romane ubicunque tunc Romana curia residebit, cum integritate restituent et persolvent. Volumus autem quod de mutuo et aliis premissis faciatis confici duo publica consimilia instrumenta dictorum episcopi et capituli sigillis munita, quorum altero penes vos retento reliquum nobis per fidelem nuncium quantotius transmittatis et alias nobis per litteras nostras harum seriem continentes rescribatis fideliter quicquid in premissis duxeritis faciendum.

Dat. Avinione, IIII Idus Decembris, pontificatus nostri anno Quinto.

11. "Redemptor noster", 1 de desembre de 1312, *Regestum Clementis V*, VIII, p. 412-416, doc. 9983; ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 350-356.

FUNDACIÓ NOGUERA

776

1320 desembre 17, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que cregui les instruccions que li doni de paraula o per escrit Guillem (Pere Godin de Baiona), cardenal bisbe de Sabina, legat seu, i les porti a la pràctica.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 58.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 227, doc. 439.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos venerabili fratri nostro Guil(e)l(m)o episcopo Sabinensi apostolice sedis legato quedam tue celsitudini referenda vel intimanda per nuntium seu litteras spetiales, si eum te non posse videre contingeret, duxerimus imponenda, magnitudinem regiam rogamus et hortamur attentius, quatinus eidem legato super hiis que tibi ex parte nostra retulerit aut per dictum nuntium seu litteras intimabit, indubitatam fidem adhibeas et ea pro nostra et apostolice sedis reverentia studeas efficaciter adimplere.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Quinto.

777

1321 gener 15, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que interpreti com un acte de zel en defensa dels seus drets i no com una malvolença cap al seu fill la dissensió haguda entre l'infant Joan (d'Aragó), arquebisbe de Toledo, d'una banda, i els arquebisbes de Saragossa (Pere López de Luna) i de Tarragona (Ximeno Martínez de Luna), d'una altra, pel fet que aquell vulgui anar precedit de la creu alçada a les províncies eclesiàstiques d'aquests.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 59.
a Butlla perduda.
b VILLANUEVA, *Viage literario*, XIX, p. 332-333, doc. 54.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 228, doc. 440.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitati regie scripsisse meminimus illam paternis

FUNDACIÓ NOGUERA

exhortationibus deprecando, ut sicut eam distributor bonorum omnium dono prudentie inter alios mundi principes illustrarat, in recta ponderans statera iudicii, quod dissentio nuper inter venerabiles fratres nostros Iohannem Toletanum ex una parte et Cesaraugustanum ac Terragonensem archiepiscopos ex altera, occasione portationis crucis per dictum Toletanum in Cesaraugustana et Terragonensi provinciis suscitata, censenda erat zelo potius, quo ipsi archiepiscopi ad suarum ecclesiarum iura servanda tenentur, quam cuiquam iniuriandi animo processisse, dictorum Cesaraugustani et Terragonensis processus contra dictum Tholetanum super hiis habitos haberet rationabiliter excusatos, nec propterea regius animus contra dictos Cesaraugustanum et Terragonensem archiepiscopos turbaretur. Verum licet supponamus indubie regalem modestiam illa circumspectione vigere, quod animum vovit a cuiusvis inordinati odii calore conpescere, quia tamen antiqu[u]s pacis emulus illuc nititur maxime virus suos diffundere, quo magis id conspicit divine maiestatis occulis displicere, eapropter cupientes eius insidiis pro viribus obviare, tuamque magnificenciam contra cuiusvis temptationis odiose fomitem premunire, celsitudinem regiam rogamus et hortamur attentius precibus iteratis, quatinus prudenter attendens quod prefati Cesaraugustanus et Terragonensis archiepiscopi honoris tui ac tuorum fuerunt actenus, sunt adhuc et esse cupiunt imposterum fervidi zelatores, de quibus celsitudo regia suspicari non debet, quod in tuam quicquam vel tuorum iniuriam molirentur, eosdem archiepiscopos taliter velis pro nostra et apostolice sedis reverentia habere super hiis excusatos, quod a solita celsitudinis tue benivolentia elongatos se propterea non agnoscant.

Dat. Avinione, XVIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Quinto.

778

1321 febrer 6, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que falli amb justícia el plet per qui tingui més dret al comtat de Pallars, per la qual cosa li envia el mestre Joan Garcia, doctor en lleis, i fra Antoni de Castroverdún de l'orde dels predicadors. El plet es fonamenta en el fet que la comtessa de Pallars, dona de Roger de Comenge, vescomte de Coserans, matrimoni sense descendència, quan es retirà com a religiosa en un monestir va vendre la meitat del comtat al seu marit i va donar en vida l'altra meitat a Arnau d'Hispània, fill d'aquell en primeres núpcies. Mentrestant, Roger contrau terceres núpcies amb Sibil·la (de Berga), de la qual tingué dos fills, Arnau Roger i Ramon Roger.

FUNDACIÓ NOGUERA

Mort el pare, el comtat passa per venda i donació al primer dels seus fills i d'aquest al seu fill Roger de Comenge, després de vint anys de pacífica possessió, encara que amb algunes queixes per part d'Arnau d'Hispània. Més tard, Sibil·la, filla d'Arnau Roger i dona del noble Hug de Mataplana, renovà la protesta perquè creu que és desposseïda il·legítimament, i el rei Jaume II dipositù dos dels seus castells a les mans d'un baró com a garantia i féu signar una treva de cinquanta anys, i, sense esperar la resolució jurídica, els va assignar a Sibil·la i al seu marit.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 31, núm. 60.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 228-229, doc. 441.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Celsitudinis tue litteras responsivas ad illas, quas pro dilecto filio nobili viro Rogerio de Convennis vicecomite Conseranensi tibi direximus, consueta benignitate recepimus et intelleximus diligenter, et quia earundem litterarum nostrarum seriem et responsalium propter recentiam temporis tue memorie inesse credimus contenta in utrisque repetere necessarium non videmus. Attendentes tamen quod eterni regis obtentu per equitatis semitas dirigis gressus tuos et in actibus tuis iusticiam amplexaris, seriem facti nobis expositi, unde indubitanter ius oritur excellentie tue decens et necessarium fore credimus explicare. Habet siquidem eiusdem Rogerii de Convennis assertio, quod olim quondam Rogerius de Convennis vicecomes Conseranensis proavus eius uxore premortua, de qua filium legitimum et naturalem susceperat, comitissam de Palhariis sibi matrimonialiter copulavit, et cum longo tempore insimul permansissent nec prolem aliquam procreassent, eadem comitissa volens comitatum suum de Palhariis, quem pacifice possidebat, penes virum suum predictum eiusque successores imperpetuum remanere, medietatem dicti comitatus Rogerio de Convenis privigno suo filio eiusdem viri sui avo exponentis predicti vendidit pro certa pecunie quantitate et subsequenter lapso modico tempore reliquam medietatem comitatus predicti eidem privigno dedit et tradidit pura et irrevocabili donatione imperpetuum inter vivos dictusque vir eius nomine dicti filii sui cui venditio et donatio facte erant comitatum predictum extunc quamdiu vixit tenuit et possedit dictaque comitissa constante matrimonio religionem intravit dicto viro in seculo remanente, ac demum dicta comitissa adhuc superstite idem vir eius contra legem matrimonii de facto alteram superduxit, ex qua duos filios videlicet Arnaldum Rogerii et Raymundum Rogerii procreavit et deinde dictus Rogerius in quem huiusmodi venditio et

FUNDACIÓ NOGUERA

donatio facte fuerant, legitimam recepit uxorem, ex qua quondam Arnaldum de Ispania patrem exponentis predicti legitimum et naturalem filium noscitur suscepisse. Ex altera vero parte dictus Arnaldus Rogerii ex supradicta uxore susceptus matrimonium contraxit, ex qua nobilem mulierem Sibiliam uxorem nobilis viri Ugueti de Mataplana dicitur suscepisse. Premissis autem in facto sic se habentibus et predicto donatario viam universe carnis ingresso prefatus Arnaldus de Ispania filius et heres eiusdem, qui dictum comitatum ex venditione et donatione sibi a noverca sua factis ut premittitur acquisivit, post mortem patris sui incepit tenere et possidere comitatum predictum utpote ad eum ex successione paterna legitime pertinentem. Verum post aliqua tempora Arnaldus Rogerii patruus dicti Arnaldi de Ispania ex dicta tertia superducta uxore susceptus, nullum ius habens in comitatu predicto dictum Arnaldum de Ispania de dicto comitatu violenter eiecit ac demum tam dicto Arnaldo Rogerii quam Rogerio Rogerii fratre suo viam universe carnis ingressis dictus Arnaldus de Ispania comitatum predictum recuperavit et extunc tam dictus Arnaldus de Ispania quam prefatus Rogerius natus eius nunc vicecomes dictum comitatum per viginti annos et ultra continue tenuerunt et possederunt ad eos exemptione et donatione predictis iure hereditario ut premittitur legitime pertinentem. Post que prefata Sibilia nata eiusdem Arnaldi Rogerii tue sicut asseritur excellentie conquerente se comitatu predicto fuisse per violentiam spoliatam et quod ad eam ex successione paterna dictus comitatus legitime pertinebat et quod pater eius dictum comitatum possederat, tacito quod possessionem huiusmodi dictus Arnaldus pater suus adeptus fuerat violenter ad eiusdem Sibilie instantiam et dicti Hugueti viri sui eosdem Arnaldum de Ispania et Rogerium natum eius ad tuam fecisti presentiam evocari, asserendo quod intendebas dictis partibus super comitatu predicto iustitiam ministrare, qui in statuto termino in tua curia comparentes de stando iuri prestiterunt ydoneam cautionem et duo castra de dicto comitatu in manibus cuiusdam baronis posuerunt per ipsum tenenda quousque que ipsarum partium in iure foret potior appareret, quibus peractis treugas usque ad quinquaginta annos partibus indixisti, de quibus omnibus et singulis ex parte dicti Rogerii nobis supra expositis per instrumenta publica paratus est dictus Rogerius ut asserit facere promptam fidem. Postmodum vero dictis treugis pendentibus et negotio indeciso nec inchoata informatione seu lite super comitatu predicto dicta castra per dictos Arnaldum et Rogerium eius filium posita in manibus dicti baronis de mandato tuo Sibilie et viro suo predictis assignata fuisse dicuntur, quibus habitis prefati Sibilia et vir eius cum armorum potentia dictos Arnaldum de Ispania et Rogerium eius filium de comitatu eiecerunt predicto contra dictas

FUNDACIÓ NOGUERA

treugas et cautionem datam de stando iuri et traditionem castrorum, quibus sic stantibus erat a novitate cessandum temere veniendo et si premissa veritate nitantur, videtur dictus Rogerius iustitiam postulare. Quia igitur fili carissime inest nobis indubitata credulitas, quod in executione iustitie nec odio quenquam deprimas nec gratia blandiente sublimes, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus precum interventu nostrarum predicta facti serie diligentius intellecta ac prudenter attendens, quod nullus est de possessione sine iuris ordine eiciendus vel etiam spoliandus et quod etiam predo ante omnia restituendus existit, prefatum Rogerium vicecomitem Conseranensem qui se comitatu predicto iniuste conqueritur destitutum, habens in sua iustitia commendatum sibi super reintegratione possessionis comitatus predicti et etiam proprietatis iure sine strepitu et figura iudicii facias iustitie complementum sibique de violentia et oppressione predictis sique sint satisfactionem mandes fieri competentem. Et nichilominus dilectos filios magistrum Iohannem Garsie legum doctorem et fratrem Attonem de Castroverduno ordinis Predicatorum vel eorum alterum per quos vel alterum eorum presentes litteras tibi volumus presentari ad tuam presentiam accedentes benigne recipias et que pro iure eiusdem vicecomitis studebunt exponere placeat audire benigne et quantum iustitie debitum exigit, cum sit gloriosum in quolibet et presertim in principe equali libra ministrare iustitiam efficaciter exaudire. Preces huiusmodi equitatem et iustitiam continentes sic circumspectio regia grate suscipiat et deducat ad exauditionis effectum quod retributionis proinde premium consequatur a domino et a nobis digna perveniat sibi actio gratiarum.

Dat. Avinione, VIII Idus Februarii, pontificatus nostri anno Quinto.

779

1321 juny 20, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut el seu missatger Pere d'Esplugues, ardiaca d'Alzira de l'església de València, portador de les seves lletres, i li respon que donarà al seu fill Joan, arquebisbe de Toledo, el privilegi de poder anar precedit de la creu alçada als seus regnes si els arquebisbes d'aquests hi accedeixen; també, que l'hagués satisfet molt que hagués negat al seu germà, el rei Frederic II de Trinàcria, l'armament de galeres als seus regnes, i que considera molt difícil que prosperi la seva proposició que ambdós reis celebrin una entrevista en territori neutral, per exemple Montpeller, atès que a les múltiples convocatòries que li ha fet ha respost amb la coronació del seu primogènit rei de Sicília i ha amenaçat l'Església.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 32, núm. 61.
a Butlla amb fil de cànem.
b MARCA, *Dissertationes tres*, p. 390-392, doc. 30.
c FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 391-393, doc. 179.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 229-230, doc. 442.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatis regie litteras per dilectum filium magistrum Petrum de Splugis archidiaconum Dalgesira in ecclesia Valentina nobis noviter presentatas solita benignitate recepimus ac contenta in ipsis et que prefatus archidiaconus proponere voluit, intelleximus diligenter. Ad que celsitudini regie breviter respondemus, quod circa admissionem postulationis, pro qua tua excellentia per litteras et nuncium supplicavit, condescendimus votis regiis sicut decenter potuimus, prout circumspectioni regie litterarum nostrarum super hoc confectarum series innotescet. Super eo autem quod celsitudo regia postulabat, ut venerabilis frater noster Iohannes Toletanus archiepiscopus natus tuus per regna tua crucem ante se deferre posset, respondemus, quod istud prompto faciemus animo, si archiepiscoporum tuorum regnorum consensus accesserit, quem te credimus faciliter, si ad hoc operam dederis, obtinere. Ceterum idem archidiaconus sine litteris et credentia, que posset comprehendi sub credencia litterali, pro parte tua nobis exposuit, quod licet Fredericus rex Trinacrie illustris pro armandis galeis et gentibus armorum habendis ad regnum tuum certos nuncios destinasset, ut tamen tanquam devotus ecclesie Romane filius in stabilitate solita perseverans galeas in dicto regno nec muniri nec armari quomodolibet permisisti, quod profecto nostris non indigne gratum accedit affectibus et pro quo celsitudini regie gratiarum referimus uberes actiones. Foretque nobis acceptius admodum, si gentem tuam ad ipsum accedere similiter non sinisses, sicut nec ad carissimum in Christo filium Robertum regem Sicilie illustrem alias permisisti. Adiecit quoque dictus archidiaconus pro parte regia, ut dicebat, quod regia celsitudo multum expediens reputabat, si pro sopiendis et sedandis commotionibus ac guerris inter memoratos Sicilie et Trinacrie reges sedes apostolica tanquam superior eosdem reges, ut per se vel per solennes nuncios compararent, pacis subituri tractatum in aliquo loco congruo et alterutri partium non suspecto, qualem reputabas locum Montispessulani, ad sui presentiam evocaret. Ad quod etiam respondemus, quod sicut tua sublimitas non ignorat, alias dicto regi Trinacrie super mittendis ad nostram presentiam nunciis sepius scripsimus teque ad ipsum sibi frequenter suasisse credimus, sed ipse obturatis auribus exhortationes contempnens huiusmodi nec misit nuncios nec

FUNDACIÓ NOGUERA

rescripsit, quinimmo quod est deterius, contra conventiones et pacta alias multa firmitate vallata, filium suum primogenitum in regem coronare de facto non expavit, ecclesiarum insule Sicilie bona occupavit, personas ecclesiasticas presumptuosa temeritate opprimens et quantum est in eo sue subiugans tirannide servituti, ad earum iura et bona extendens dampnabiliter manus avidas et rapaces nec hiis contentus, ut fertur, velut in reprobum sensum datus et venundatus, ut faciat malum ad invadendum et occupandum Urbem et terras ecclesie ausu nephario conflare dicitur vires suas. Sed speramus in illo, qui superbis consuevit resistere, quod sibi sua iniquitas mentietur nec perficere poteris, quod mente tam superba presumptuose tractavit. Propter quod fili carissime expediens non videtur, quod nos filio adeo indevoto sic extra limites posito rationis, sic se contra matrem suam et dominam temere extollentem debeamus scribere, qui dum esset in ipsius gratia, dum ab ea ut predilectus filius tractaretur, sic subito ab eius devotione discessit, sic repente in hostem de filio est conversus nec eius acquiesceret monitis, qui dum tractaretur ut predilectus filius eius salutaria monita spernere non expavit. Sed si tu fili a tanto posses ipsum devio revocare, deo gratum et nobis acceptum esset admodum et pro pace inter ipsum et regem Sicilie prefatum reformanda vel Avinione vel in comitatu Venaisini curaremus operosum studium et studiosam operam adhibere.

Dat. Avinione, XII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quinto.

780

1321 juny 21, Avinyó

Joan XXII dóna gràcies el rei Jaume II d'Aragó per la bona acollida que, a precs seus, ha donat a Faidida, vídua del comte d'Urgell (Ermengol de Cabrera).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 32, núm. 62.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 230, doc. 443.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatis regie litteras responsales expeditionis gratiose negocii dilecte in Christo filie nobilis mulieris Faydide comitis quondam Urgellensis relicte seriem continentes, pro qua tue celsitudini alias scripsisse meminimus, recepimus leta manu super quarum

FUNDACIÓ NOGUERA

exauditionem devotam tuam fili carissime sinceritatem in domino commendantes excellencie regie gratiarum refferimus uberes actiones.

Dat. Avinione, XI Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quinto.

781

1321 juny 30, Avinyó

Joan XXII concedeix al rei Jaume II d'Aragó la facultat per enviar una nau plena de mercaderies amb ambaixadors al soldà de Babilònia pel rescat de captius cristians a Alexandria i terres d'Egipte.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 32, núm. 63.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 513, doc. 235 (en part).
c MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, III, p. 312, doc. 13699.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 230, doc. 444.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 133, doc. 5259.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Celsitudinis tue precibus in hiis precipue libenter annuimus, in quibus salus fidelium procuratur. Cum itaque sicut oblate nobis pro parte tua petitionis series continebat, tu faciente domino tibique super hoc adiutorio sedis apostolice suffragante ac precibus tuis cooperantibus redemeris hactenus de soldani Babilonie manibus multos etiam nobiles christianos in eiusdem soldani carceribus maceratos et ad presens disponas unam navem pro christianorum captivorum in eiusdem soldani carceribus consistentium redemptione ad partes dicti soldani cum tuis ambaxiatoribus et nuntiis destinare idque sicut asseris comode fieri nequeat nisi mercatores et alii cum mercibus et mercimoniis in dicta nave ad partes Alexandrie et terre Egipti valeant navigare, nobis humiliter supplicasti, ut tam pio et utili proposito assensum adhibere benivolum dignaremur. Nos igitur tuis in hac parte piis supplicationibus inclinati, devotioni tue destinandi navem cum dictis ambaxiatoribus et nuntiis tuis ad partes eiusdem soldani, in qua mercatores et alii cum mercibus et mercimoniis non tamen ferro armis lignaminibus seu aliis rebus de iure communi prohibitis ad dictas partes Alexandrie et Egipti valeant navigare, constitutionibus prohibitionibus et processibus apostolice sedis spirituales et temporales sententias penas et mulctas contra transfretantes cum mercibus seu mercationibus in Alexandriam et terram soldani predicti continentibus editis factis et habitis nequaquam obstantibus, ita quod

FUNDACIÓ NOGUERA

ipsi vel persone que in dicta navi consistent, nullas propterea ex predictis sententiis penis et mulctis incurrant, auctoritate presentium hac vice dumtaxat liberam licentiam elargimur, proviso quod fraus seu aliqua sinistra machinatio circa missionem navis et mercationum huiusmodi nullatenus committatur, super quo volumus et districte precipimus quod diocesanus loci in quo navis onerabitur supradicta, a magistro et ministris navis eiusdem auctoritate nostra specialiter exigat et recipiat iuramentum. Quod si forsan circa missionem navis et mercationum huiusmodi fraus sive machinatio aliqua committatur vel etiam si dictus ordinarius predictum non receperit iuramentum seu alias per quoscumque quomodolibet secus attemptatum fuerit in premissis, tam huiusmodi attemptantes quam ambaxiatores et mercatores predictos et alias personas que ut premittitur in dicta navi consistent, predictas sententias penas et mulctas incurrere volumus ipso facto. Et nichilominus huiusmodi concessam licentiam exnunc nullius esse penitus decernimus firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis voluntatis precepti et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quinto.

782

1321 setembre 6, Avinyó

Joan XXII dóna compte a l'infant Alfons, primogènit del rei Jaume II d'Aragó, comte d'Urgell, de la resolució presa en consistori d'enviar legats a ell i al seu pare sobre la concessió de la dècima (per a la conquesta de Sardenya) que sol·licita el cavaller Simó de Bell-lloc, enviat seu.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 32, núm. 65.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 231, doc. 445.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Alphonso infanti primogenito carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris comiti Urgelli salutem et apostolicam benedictionem. Incliti genitoris tui predicti litteris per dilectum filium nobilem virum Symonem de Belloloco militem nuncium tuum nostro apostolatui presentatis inter cetera continentibus, ut super quibusdam tuis et eiusdem genitoris negociis nobis per ipsum nuncium exponendis sibi dignaremur fidem adhibere credulam, solita benignitate

FUNDACIÓ NOGUERA

receptis et hiis que prefatus nuncius ex parte tua et eiusdem regis genitoris tui explicare voluit, plenius intellectis ac super ipsis cum fratribus nostris deliberatione habita pleniori prefato regi et tibi fili per nostras litteras alias sibi et tibi per certum nostrum nuncium destinandas duximus respondendum.

Dat. Avinione, VIII Idus Septembris, pontificatus nostri anno Sexto.

783

1321 setembre 6, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut el cavaller Simó de Bell-lloc, missatger del seu primogènit l'infant Alfons, comte d'Urgell, i li anuncia l'enviament d'un legat seu amb lletres per a tots dos.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 32, núm. 66.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 231, doc. 446.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Tue serenitatis litteris per dilectum filium nobilem virum Symonem de Belloloco militem nuncium nobilis viri dilecti filii Alphonsi infantis primogeniti tui comitis Urgelli nostro apostolatui presentatis, in quibus super quibusdam negociis tuis et eiusdem primogeniti nobis per ipsum nuncium exponendis sibi fidem petiisti adhiberi credulam, solita benignitate receptis et hiis que dictus nuncius ex parte tua et dicti primogeniti explicare voluit, plenius intellectis ac super ipsis cum fratribus nostris deliberatione habita pleniori tue celsitudini ac eidem primogenito per nostras litteras tibi et sibi per certum nostrum nuncium destinandas duximus respondendum.

Dat. Avinione, VIII Idus Septembris, pontificatus nostri anno Sexto.

784

1321 setembre 22, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut les seves lletres, a través del seu missatger Guerau de Rocabertí, cavaller i conseller seu, i les de Sanç de Mallorca, a través del seu bisbe Guiu (de Terrena). Li respon que, consultat el cas en consistori, no creu convenient enviar legats apostòlics juntament amb els seus missatgers i els de Sanç de Mallorca al rei Felip V de França, perquè al seu entendre moltes

FUNDACIÓ NOGUERA

expressions semblen més preludi de guerra que de pau; malgrat això, està inclinat a fer-ho sempre que el rei de Mallorca, com a bon vassall, només pretengui justícia i pau.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 32, núm. 67.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 394-395, doc. 180.
c COULON - CLÉMENCET, *Lettres secrètes et curiales du pape Jean XXII*, II, col. 31-32, doc. 1298.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 231-232, doc. 447.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cognoscentes ex parte pacis comoda nec prorsus dissentionum discrimina ignorantes illam in universos sancte matris ecclesie filios et precipue catholicos principes declinare velud flumen desiderantes appetimus, istis prorsus ab eorum finibus relegatis. Ad hec utique procuranda votive labores inpendimus et prompte studiosam operam adhibemus. Sane ne more imperiti medici pro salutaribus mortifera ministremus, summopere providere nos convenit, ad quem finem possent perducere, que suscipimus, presertim inter principes procuranda. Ideoque receptis tuis fili carissime litteris nobis per dilectum filium nobilem virum G(eraldum) de Rocabertino militem familiarem tuum et consiliarium ac carissimi in Christo filii nostri Santii regis Maioricarum illustris per venerabilem fratrem nostrum Guidonem Maioricensem episcopum presentatis, per quas tu dicto militi et rex predictus episcopo fidem adhiberi indubiam petebatis, auditaque credentia utriusque, quam continet cedula presentibus interclusa, necnon et super ea deliberatione cum nonnullis ex nostris fratribus zelatoribus dicte pacis prehabita diligenti, propter multa que in ea vidimus contineri, que ad pacem non dirigunt, set potius disponunt ad discordias et inducunt, nobis et ipsis visum est, nullatenus expedire pro talium prosecutione nos nuntios cum tuis et dicti regis Maioricarum nunciis ad carissimi filii nostri .. regis Francie illustris presentiam destinare. Set si rex Maioricarum predictus iusticiam suam, sicut vassallus cum domino et consanguineus cum tali consanguineo velit prosequi, nos spretis expensis et laboribus non vitatis sumus parati nuncios et litteras ad dictum regem mittere et instanter instigare, ut ipsam absque cunctatione debeat realiter obtinere ac pro pace finali convenienti perpetuo duratura studiosam et efficacem operam adhibere, quod si faciat rex predictus, decere credimus tuam magnificentiam efficaciter laborare, presertim cum antequam inter te et ipsum firmata pacis fuissent federa, ad hec se paratum et dispositum exhiberet.

Dat. Avinione, X Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Sexto.

FUNDACIÓ NOGUERA

785

1321 octubre 3, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que no veu la manera de poder reduir el rei Frederic II de Trinàcria per concertar la pau amb el rei Robert de Sicília (Nàpols), per la seva contumàcia a no escoltar les invitacions que se li han fet, fins al punt d'haver preferit caure en censura eclesiàstica abans que sotmetre's. Tanmateix, encarrega al cavaller Simó de Bell-lloc, missatger del seu primogènit Alfons, vicari general dels seus regnes, que els faci arribar a ell i al rei de Mallorca, tan interessats per la pau, la seguretat d'una bona acollida de la Seu Apostòlica en cas que trobin algun mitjà viable per assolir-la.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 32, núm. 68.
a Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 396-397, doc. 181 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 232, doc. 448.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Noscat regia celsitudo quod quicquid dilectus filius nobilis vir Symon de Belloloco miles familiaris tuus et consiliarius per dilectum filium nobilem virum Alfonsum primogenitum tuum et vicarium generalem ad nostram presentiam super certis negotiis principaliter destinatus super facto pacis inter carissimum in Christo filium nostrum Robertum Sicilie et Fredericum Trinaclie reges reformande ac treugarum indicandarum inter eosdem reges pro parte tua proponere voluit patienter audivimus et intelleximus diligenter et quamquam littere regie nobis per militem ipsum exhibite se nostro inditio non extenderent ad premissa, laudabilis tamen eius conditio nos induxit ad non repellendum illa que proposuit, sed quod intendendum potius quomodo bonum pacis vel saltem treugarum effectum laudabilem sortirentur. Cumque fuissemus ab eodem milite sciscitati, que pax cum dicto Frederico posset fieri vel treuga indici cum et pacem olim factam inter reges predictos ac reformatam per sedem apostolicam et penis variis roboratam non erubuerit violare ac treugam inter ipsos per nos indictam iuramentis et homagiis partium ac excommunicationis in personis et interdicti in terris [...] sententiis roboratas non curaverit observare. Respondit miles prefatus quod tua providentia intendebat, quod per te et carissimum in Christo filium nostrum .. [reg]em Maioricarum illustrem pax vel treuga si contingeret illas fieri firmaretur sic quod si dictum Fredericum pacem vel treugam contingeret violare, part[...] cum rege Sicilie predicto deberetis facere ipsumque Fredericum compellere ad illa complendum ad

FUNDACIÓ NOGUERA

que propter violationem huiusmodi teneretur, quo audito super dicto tractatu pacis et treugarum cum dicto milite sepius ac cum rege Sicilie predicto absente interdum dicto milite et demum eo presente colloquium habuimus et tractatum. Cumque rex predictus viam pacis tactam per dictum militem, que tue circumspectioni prout asserebat predictus miles inter omnes alias que tibi tacte fuerint vel que tibi occurrerant hactenus sepius cogitanti promptior ac securior et partibus videbatur utilior repulisset et modum treugarum per dictum militem explicatum minime admisisset. Nos attendentes quod dictus miles nullum mandatum tuum vel dicti Frederici super hiis offerebat, cum fratribus nostris loqui distulimus ne nostre simplicitati ne dicamus fatuitati posset merito imputari, sed si speret tua prudentia, quod dictus Fredericus paci convenienti reformande cum dicto rege vel indicendis treugis oportuni temporis consentiret, sic quod illis durantibus pro se vel aliis dicto regi guerram non posset facere nec ipsum aliqualiter molestare, sicut et tue intentionis dictus miles existere affirmabat, tuque et rex Maioricarum predictus velitis nos pro hiis servandis inviolabiliter et tenendis efficaciter obligare dictusque Fredericus ab iniuriis illatis nobis et ecclesie desistere voluerit et de factis satisfacere competenter. Fac fili carissime, quod dictus Fredericus suos procuratores et nuncios tuque et dictus rex Maioricarum vestros cum mandatis sufficientibus pro premissis tractandis complendis et efficaciter roborandis ad nostram presentiam celeriter destinetis. Nos enim domino concedente circa premissa exequenda et procuranda intendimus vigilanti studio studiosamque vigilantiam curabimus adhibere.

Dat. Avinione, v Nonas Octobris, pontificatus nostri anno Sexto.

786

1321 octubre 3, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que desestima la seva petició i la del seu fill Alfons, mitjançant el seu missatger Simó de Bell-lloc, que els sigui donada la dècima per a la conquesta de Sardenya, atès que el consistori estima que l'Orient està més necessitat, així com el regne de Granada, ja que els sarraïns persisteixen en els seus propòsits d'envair la Hispània cristiana.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 32, núm. 69.

a Butlla perduda.

b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 233, doc. 449.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Experimentali fili carissime discere scientia potuisti, quam sit nobis votivum votis annuere regiis in hiis que possumus absque offensa dei iniuria proximi et indecentia status nostri et utinam sic suas petitiones temperaret providentia regia moderamine rationis tempus et alias circumstantias debite ponderando, quod possent salvis premissis ad exauditionis gratiam introduci. Sane fili, dilectus filius nobilis vir Symon de Belloloco miles tuus et principalis dilecti filii nobilis viri Alfonsi infantis tui primogeniti et vicarii generalis nuncius in nostra presentia constitutus regiis et dicti primogeniti tui exhibitis litteris, per quas sibi petebatis super certo negotio fidem credulam adhiberi. Primo in camera secundo in privato consistorio proposuit suam verbo credentiam et demum in scriptis exhibuit, quam benigne audivimus et intelleximus diligenter. Tenor autem supplicationis predicte noscitur esse talis:

Proponit humiliter coram sanctitate vestra Symon de Belloloco ambaxator ab inclito infante Alfonso illustrissimi domini regis Aragonum primogenito destinatus, de ipsius voluntate domini et consensu, sanctissime pater et domine constat sanctitati vestre vestroque sancto collegio, qualiter dominus rex Aragonum fuit semper et est devotus et obediens sancte Romane ecclesie tanquam ille cui nunquam denegavit exequi quecunque sibi dicta sancta ecclesia precipere voluit, immo ea omnia fecit et benigne in pluribus valde arduis et notabilibus casibus adimplevit, propter cuius bonam affectionem et veram obedientiam sanctissimus pater dominus Bonifatius qui tunc prelibate sancte preerat ecclesie, una cum suo sancto collegio in predicte affectionis et obedientie gratiosam remunerationem dedit dicto domino regi Aragonum regnum Sardinie et Corsice in feudum ipsius sancte ecclesie sub certis conditionibus census servicii et auxilii ac aliorum, que sanctitati vestre et ecclesie sancte idem dominus rex in sui provide facere teneantur. Qualiter etiam prohibentibus passagio Granate et nonnullis aliis arduis negotiis quibus occupatus extitit, prefatus dominus rex circa dicti regni acquisitionem intendere non potuit usque modo. Nunc autem sicuti novit sanctitas, deus providit de domino meo infante Alfonso eiusdem domini regis primogenito ipsumque in statu posuit, quod post dies dicti patris sui sperat esse rex et dominus regnorum eiusdem. Et scitis sanctissime pater inquantum deus ipsum infantem de alto sanguine et preclaro genere procreavit et dotavit eum bona persona et magno corde ac virtutibus, sic quod cor suum obtime notabilitati sui generis noscitur respondere, qui cum se constitutum videat in meliori etate quam posset tempus suum amittere non vult, qum aliqua negotia grandia sumat agenda

FUNDACIÓ NOGUERA

et pensavit, quod nulla negotia adpresens assumere potest, que magis honorem ac utilitatem vestram et dicte sancte ecclesie sapiant et augmentum ac ampliationem corone Aragonie, quam conquistam dicti regni quod ad se spectat post dies dicti domini patris sui. Quocirca in suo posuit animo ut dicta negotia inchoet auctoritate paterna et consensu ac permittente altissimo peragenda assumat. Sibi enim non videtur quod prout nunc existunt, sint ad honorem vestrum et vestre sancte ecclesie sed potius ad contemptum nec minus dicti patris eius et suum. Quapropter sanctitati vestre quanto potest carius et humilius supplicat, quatinus in predictis eidem subvenire dignaremini et placeat de decima regnorum et terrarum dicti domini regis patris sui inibi iam collecta, nam predicta expedire et agere desiderat multo magis cum vestro auxilio vestraque gratia, quam persone aut personarum quarumlibet de hoc mundo. Circa hec autem prefatus dominus rex Aragonum humilitate possibili scitati vestre supplicat, ut memorato infanti eius nato predictam dignetur gratiam elargiri pro eo, quia exinde provenient honor et comodum vobis et vestre sancte ecclesie et maxima preparatio ac passagium Terre sancte et ad inferendum nocumenta plurima fidei catholice inimicis et hoc dicto domino regi plurimum adveniet gratiosum dictum enim eius filium esse et laborare optat in hiis et similibus, que sint sanctitati vestre et sancte matri ecclesie ad honorem et utilitatem ac rei publice hoc sue presertim tempore iuventutis.

Habita igitur super illa deliberatione cum nostris fratribus diligenti levantes oculos in circuitu mentis nostre mundum guerris repletum, diversisque turbationibus vidimus et precipue maritimam orientis in qua regnum adversus regnum et civitas contra civitatem moventur hostiliter et in plerisque partibus, civitates contra se ipsas moveri non desinunt, sed ad hoc continue se disponunt. Unde vide fili si te deceat ad novam movendam guerram precipue versus orientales partes disponere nec a nobis qui ad sedandas ceptas intendimus ut debemus pro movendis subsidium postulare. Attende fili quantum istius guerre motio subsidium transmarinum ad quod filius noster in Christo carissimus Philippus rex Francorum illustris igne divini amoris succensus se disponere creditur et pro quo nobis hiis diebus preteritis per solennes nuncios se et posse suum obtulit impediret. Rursus fili considera si te deceat subsidium collectum de ecclesiarum proventibus pro Terre sancte subsidio contra Agarenos perfidos pro guerra movenda contra christicolas postulare, et si nos absque dei offensa ubi pro tuitione Christi sanguine redemptorum tanta necessitas imminet illud concedere presertim contra illos quos nos nunquam induximus, ut illud quod ad te pertinere asseris sine

FUNDACIÓ NOGUERA

effusione sanguinis tibi dimittant libere, illud tibi concedere valeamus. Scimus quidem prudentiam regiam non latere qualiter regni Granate perfidi Agareni regna Yspaniarum invadere non formidant, Soldanus quoque membrum diaboli anno isto regnum Armenie sepius invadere non expavit, dampna illi in personis et bonis innumera inferendo nec adhuc desinit, immo sicut audivimus ad exterminium illorum, nisi dextera dei ipsos protegat se disponit. Isti omnes Romane ecclesie matri sue hec et alia non facile numeranda pericula que probabiliter pertimescunt per inculcatas litteras et nuncios nunciare non desinunt sibi postulantes subsidium impertiri, hiis et aliis multis introductis in consistorio rationis videtur nobis et fratribus nostris ad presens ab inchoatione guerre huiusmodi abstinendum et vacandum ut filiis nostris et fratribus in tantis periculis constitutis oportunum subsidium impendamus. Non ergo ferat egre quesumus providentia regis si premissis rationibus ad presens eius petitioni non duximus annuendum, parati enim sumus sicut et fuimus in hiis que secundum deum poterimus annuere votis suis.

Dat. Avinione, v Nonas Octobris, pontificatus nostri anno Sexto.

787

1321 desembre 8, Avinyó

Joan XXII mana al bisbe Guiu (Farnese) d'Orvieto, rector del patrimoni de Sant Pere de la Toscana, que publiqui la mateixa indulgència papal atorgada als que defensen Terra Santa per a tots aquells que vagin contra Frederic, comte de Montefeltro, rebel, idòlatra i excomunicat.

A Barcelona, Biblioteca de Catalunya, Pergamins, R. 4148.
a Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Guittoni episcopo Urbevetano patrimonii beati Petri in Tuscia rectori salutem et apostolicam benedictionem. Exurgat deus et iudicet causam suam improperiorum non immemor que fiunt inclite sponse sue ab insipientibus tota die. Ipsi quidem in ea ultionum offendere dominum non verentes illam crebris hostilitatis turbinibus persequuntur, diris lacessunt iniuriis contumeliis innumeris provocant et obprobriis gravibus inhonorant et de presumpta contra nos et Romanam ecclesiam dampnande rebellionis audacia gloriantes per frequentes commotiones nes guerrarum, in quibus fidelium animas perditioni lugemus expositas et periclitari corpora deploramus eiusdem ecclesie fidelibus et devotis multimodas inferunt lesiones periculosis scandalis

FUNDACIÓ NOGUERA

suscitatis. Horum autem insipientium nephando consortio Fredericus Guido et Sperantia fratres olim comites de Monte feretro ut in profundum malorum cum eisdem corruant adunati perfidie toxica que cum lacte matris de radice sumpserunt pestifera de qua produxerunt originem colubri venenosi servantes in pectore illa frequenter execrandis evomunt flatibus, ut perimant innocentes. Hii sunt etenim filii pestilentes partusque viperei, quos domus exasperans educavit, qui quanto illis eadem ecclesia in multarum relaxatione culparum se amplius liberalem exhibuit et benignam magisque misericordem pietatem exercuit erga eos tanto adversus illam conati sunt congregare plurium congeriem offensarum et deteriora prioribus continue committendo diebus preteritis post inordinate libitum voluntatis postposito rationis iudicio currendo precipites et tergum non faciem eidem vertentes ecclesie contra eam cervicem rebellionis erigere presumpserunt ac civitatem nostram Urbini et deinde una cum communitate civitatis ipsius nonnulla castra comitatus quondam civitatis eiusdem ad nos et ecclesiam ipsam spectantia sibi diversis associatis complicibus non absque multorum strage fidelium animarumque dispendiis per violentiam occuparunt et detinent in ipsius ecclesie contumeliam et contemptum per sevam tyrampnicem occupata et nonnullos de civitate et castris eiusdem ecclesie predicte fideles bonis omnibus violente predationis nequitia spoliatos per violentiam eiecerunt alios importabilibus collectis et talliis aggravando nec contenti, quod omnes insimul contra predictos ecclesiam et fideles armata impietate crudeliter ardentes perfidie sue conatus exponerint, sed singulariter singulis belunam feritatem et iram satagentibus in eosdem scelestis actibus exercere idem Fredericus elationis sue currum ascendit et capitaniam Aximanam Racanatensem et aliorum de provincia nostra Marchie Anchonitane nostrorum et ipsius ecclesie Romane rebellium imprudenter assumens castrum Pice cum eisdem rebellibus exercitu congregato depopulavit hostiliter et per aliquod temporis spatium dure ac violente obsidionis instantia coartavit, ex quibus multorum strages fidelium rapine bonorum locorum incendia et alia innumera nephanda facinora provenerunt dictusque Guido castrum sancti Donati constitutum infra comitatum eundem ad nos et ecclesiam pertinens supradictam cum multitudine armorum agrediens illud violenter invasit bonis omnibus spoliando et nichilominus Fredericus ipse quendam Marchese nomine dilecti filii Amelii abbatis monasterii sancti Saturnini Tholosani tunc prepositi Bellimontis capellani nostri provincie memorate rectoris Baiulum ipsius rectoris litteras deferentem prope portam dicte civitatis Urbini per quosdam suos latrunculos capi fecit et diro carceri mancipari, et nisi eum miseratio divina per fuge subsidium ab ipso carcere liberasset illum seve mortis suppliciis tra-

FUNDACIÓ NOGUERA

didisset nec adhuc iidem fratres tantorum scelerum enormitate contenti, dictum rectorem et officiales suos quominus in eos ac civitatem et castra predicta que infra provinciam sibi decretam consistere dinoscuntur, iurisdictionem suam per se vel officiales ipsos posset libere prout ad eum pertinet exercere temerariis presumpserunt ausibus impedire et quod in eis acerbiori turbatione doluimus et dolemus, ipsi propriam salutem tanquam in sensum dati reprobum contempnentes omnino multorum saluti detrahere conabantur, dum eos qui persistebant in ipsius ecclesie fidelitate constanter ab illius obedientia quantum in eis erat fellicis labiis et lingua venenosa subducere molientes apud ecclesie predicte rebelles, ne ad nostram et ipsius fidelitatem redirent perversis suggestionibus insistebant et alios diversos et enormes excessus et scelera detestanda, que seriem longe narrationis exigerent, si ea contingeret recitari per singula commiserunt et adhuc committere nephandis ausibus non verentur, per que manifeste colligitur, quod in eis ecclesia prefata tamquam in proterve ingratitudinis filiis beneficia multe levitatis ammisit. Et licet rector prefatus contra eos propter dictos excessus varios processus excommunicationis et interdicti et alias diversas penas et sententias continentes habuerit, ipsi tamen fratres eosdem processus penas et sententias, quos in sue robore firmitatis permanere volumus contempnentes illos induratis animis sustinuerunt diutius sicut adhuc sustinent in salutis proprie detrimentum. Nos vero licet subditorum frequenter iuxta paterne mansuetudinis gratiam, que durius provocata benignius miseretur dissimulemus offensas. Quia tamen tam horrendorum immanitas scelerum adeo in maternam contumeliam redundabat, quod illam non poteramus nec etiam debebamus transire per dissimulationem vel negligentiam impunitam eosdem fratres per litteras nostras requirendos duximus attentius et monendos districte precipientes eisdem quod infra terminum competentem per dictas litteras prefixum eisdem ad nostra et ipsius ecclesie mandata ac veram et plenam obedientiam redire curarent dictisque civitate et castris prefato rectori libere restitutis a quovis impedimento quominus ipse per se et officiales suos plenam in ipsos et eadem civitatem et castra prout ad ipsum spectabat rectorem iurisdictionem posset omnimodam exercere penitus abstinerent. Et nichilominus nobis et eisdem ecclesie ac retori super premissis debitam satisfactionem impenderent nostroque se conspectui personaliter presentarent mandatis nostris plenarie parituri ac facturi et recepturi, quod iustitia suaderet. Quod si forsitan ipsi monitis et mandatis ac citationi nostris huiusmodi parere contempnerent ipsos et eorum complices ac sequaces valitores adiutores fautores vel eis quomodolibet adherentes aut super hiis prestantes eisdem auxilium consilium vel favorem directe vel indirecte publice

FUNDACIÓ NOGUERA

vel occulte cuiuscunque conditionis status vel dignitatis existerent excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Communitates vero in hiis culpabiles dictamque civitatem Urbini ac terras castra villas et loca eisdem subiecta interdicto ecclesiastico subiacere. Et nichilominus eos et quosvis alios tam clericos quam laicos huiusmodi excessuum patratores necnon et complices adiutores valitores sequaces fautores et adherentes predictos qui per triginta dies dictum terminum immediate sequentes memoratas sententias sustinerent, omnibus privilegiis indulgentiis gratiis libertatibus et immunitatibus realibus et personalibus eis communiter vel divisim sub quacunque forma verborum a dicta sede concessis dictosque clericos omnibus beneficiis ecclesiasticis dignitatibus personatibus et officiis cum cura vel sine cura extunc apostolica duximus auctoritate privandos ipsorum vassallos et homines a iuramento fidelitate et quavis obligatione, quibus tenerentur eisdem penitus absolventes. Feuda quoque iura honores et officia ac alia bona immobilia quecunque infra provincias seu terras eiusdem ecclesie Romane et alibi ubicunque ab eadem Romana tenerent ecclesia de fratrum nostrorum consilio duximus confiscanda, volentes quod aliis feudis iuribus et bonis immobilibus, que a quibusvis aliis tenerent ecclesiis essent ipso iure privati, que sic libere ad easdem reverterentur ecclesias quod de illis earum rectores pro sua disponerent voluntate. Quod si forte fratres et alii supradicti per alios triginta dies huiusmodi nostros processus sustinerent animis induratis extunc communionem commercium et participationem fidelium adeo illis interdicenda duximus et etiam prohibenda, quod nullus bladum vinum carnes pannos ligna seu res quascunque vel merces ad eos deferre aut ipsis vendere seu quovis alio modo in ipsos transferre vel ab eis emere quovis presumeret colore quesito, in omnes contra prohibitionem nostram huiusmodi venientes, si persona existeret singularis quantacumque dignitate fulgeret excommunicationis, si vero civitas castrum locus villa sive universitas foret interdicti sententiis subiaceret, auctoritate nichilominus apostolica statuentes et etiam ordinantes quod extunc predicti fratres note infamie perpetue subiacerent nec eorum aliquis vel quivis aliorum predictorum ad testimonium aliquod vel alios legitimos actus posset admitti sic intestabiles reddentes eosdem, quod nec possent condere testamentum nec ex testamento vel ab intestato ad cuiusquam successionem admitti. Nullus insuper eis vel eorum alicui respondere super quocunque negotio teneretur, sed ipsi tenerentur aliis respondere nec ad ipsorum audientiam cause quelibet perferrentur nec ipsorum valerent sententie vel processus nec aliquis eis vel ipsorum alicui in quacunque causa vel negotio presumeret patrocinium impertiri nec ipsi vel ipsorum aliquis admitteretur ad patrocinium aliis

FUNDACIÓ NOGUERA

impendendum. Sententie vero ac processus illorum qui iudicatus officium exercerent ac instrumenta confecta per illos ex eis qui tabellionatus obtinerent officium nullam haberent protinus firmitatem, sed cum actore dampnato potius dampnarentur. Filii quoque ac nepotes ipsorum usque in quartam generationem ad nullos admitterentur honores ecclesiasticos vel mundanos ad nullas dignitates vel beneficia ecclesiastica aut officia publica quomodolibet obtinenda. Et insuper omnes et singuli qui cum dictis fratribus vel eorum aliquo ipsorum contumacia durante confederationem societatem colligationem seu ligam facerent vel inirent aut eis darent auxilium consilium vel favorem in rebellione predicta si persone singulares existerent etiam si patriarchali vel maiori seu regali vel quavis dignitate alia preminerent anathematis, si vero civitas castrum locus aut villa universitas vel communitas seu collegium esset interdicti sententias incurrerent ipso facto. Easdem nichilominus et quasvis alias confederationes societates colligationes et ligas super premissis vel ea contingentibus necnon et actiones conventiones et obligationes quascunque inter eos et quasvis alias singulares personas aut civitates castra seu loca communitates vel universitates sub quavis forma verborum factas vel quas imposterum fieri contingeret, etiam si essent iuramentis promissionibus obligationibus penarum adiectionibus vel alia quacunque firmitate vallate annullandas cassandas irritandas vacuandas et cassas irritas et vacuas nuntiandas duximus et nullam habere decrevimus roboris firmitatem eosdem fratres et ipsorum quemlibet in dignitatibus seu publicis officiis constitutos, qui per alios triginta dies predictos ultimos triginta dies immediate sequentes in contumacia persisterent supradicta extunc sententialiter ab eisdem dignitatibus et officiis duximus deponendos ipsosque reddidimus inhabiles et indignos ad ea et quelibet alia imposterum obtinenda ipsorumque bona mobilia concessimus occupanda fidelibus et personas eorum ut redigerentur in capientium servitutem eisdem exposuimus fidelibus capiendas. Et demum quia fratres ipsi eisdem processibus in locis, de quibus non est dubium eos ad ipsorum pervenisse notitiam publicatis eosdem processus penas et sententias obstinatis mentibus contempnentes et sustinentes animis induratis ad nostra et eiusdem ecclesie redire mandata infra dictos terminos et post ipsos etiam diutius expectati inconsultis ducti motibus non curarunt eos dictosque valitores adiutores fautores sequaces adherentes ac prestantes eisdem auxilium consilium vel favorem dictas penas et sententias incurrisse mandavimus solenniter nuntiari. Postmodum autem Fredericus ipse documentis veritatis abiectis et ad obscenas operationes et sordidas inclinatus non advertens, quod illa virtus illaque sapientia et illa est vere colenda maiestas que universitatem mundi creavit ex nichilo et in quas formas voluit et

FUNDACIÓ NOGUERA

mensuras terrenam celestemque substantiam omnipotenti ratione produxit ydolatrie nephandissimo cultui per prophanas superstitiones et horridas ceca et stulta dementia se ingessit pestifera labe respersus heretice pravitatis. Ecce quidem prophanus hostis et impius catholice matris adversus Christum sponsum eius insurgit blasphemiis fidei catholice murum detractionum ictibus impetit eiusque diruere nititur matris orthodoxe structuram, et illam suorum invasione iurium aggredi non formidat. Hiis vero processu temporis ad dilecti filii Laurentii de Mondayno ordinis Minorum inquisitoris pravitatis eiusdem auctoritate apostolica deputati fidedigna relatione perductis auditum, idem inquisitor super illis contra dictum Fredericum legitime huiusmodi auctoritate procedens et per inquisitionem habitam per eundem reperta super eisdem criminibus veritate dictum Fredericum super hiis plurium tam prelatorum et religiosorum quam aliorum peritorum consilio et deliberatione prehabitis declaravit et declarando decrevit ac pronuntiavit dictis criminibus irretitum ipsumque tanquam hereticum et ydolatram condempnavit et esse velut talem excommunicationis vinculo innodatum, mandans eum ab omnibus artius evitari et tanquam hereticum curie seculari relinquens animadversione debita puniendum eius bona ipsius ecclesie Romane camere confiscavit, iudicans et declarans eundem ad quelibet officia beneficia et honores omnesque actus legitimos inhabilem et indignum. Et ut in eum omnium concurreret penarum effectus illum nedum inventis et excogitatis a iure, sed etiam novis et excogitandis penis dignissimum reputavit ipsum cum suis posteritatibus et descendentibus ab eodem usque ad gradus diffinitos a iure omnes penas privationes et sententias incurrisse, tam a iure canonico quam civili statutas et impositas declarando. Et ut edificiorum ruine monstrarent quanta per eum illata nostro esset iniuria et contumelia creatori pronuntiavit domum, in qua obscenum quod colebat ydolum servabatur dari funditus in ruina nullo unquam tempore reparandam. Contra fautores nichilominus valitores credentes receptatores defensores complices et sequaces ipsius eique adherentes ac prestantes auxilium consilium vel favorem quocumque pallio vel colore quesito publice vel occulte mediante iusticia processurus prout nobis constat per publica et sufficientia documenta. Et quamvis nos Fredericum hereticum supradictum de mansuetudine sedis apostolice consueta sue libentius emendat in subditos peccata quam puniat nec ferrum precisionis adigit libenter in morbos, qui possunt ex levi fomento recipere sanitatem duxerimus diutius expectandum, ut culpas eius modesta correctione sanante, non traheret eum in desperationis laqueum magnitudo peccati, sed pie porrecta manus apostolice discipline reduceret ad salutem, idem tamen hereticus per huiusmodi expectationis clementiam, que ipsum ad

FUNDACIÓ NOGUERA

penitentiam reduxisse debuerat correctionis medelam non sentiens sed abutens illa cum suarum ulcera sint indurata culparum nephande temeritatis ausibus in derisum ad ecclesie predicte salubre gremium redire contempsit nec a solita malignitate quievit quin potius in diversoria mortis corruens ac desperans penitus et contempnens incessanter prioribus deteriora committit. Nuper autem sicut mirantes et dolentes accepimus communitas et populus Spoletanus in eam feruntur insaniam prorupisse, quod dicto Frederico heretico prodigo filio in regionem abeunti longinquam adherentes improvide, ut eos a domo paterna videlicet ecclesia catholica omni bono celestis gratie denudatos funditus immergat volutabris, ne facile adiciant, ut resurgant eum recepisse et sibi quasi novum Baalam ydolum in ducem assumpsisse dicuntur, ut ipse devorator illorum effectus devorentur tandem ipsi virtute altissimi cum eodem. Dolet igitur mater ecclesia quod sacro regenerati fonte baptismatis et nature divine consortes effecti conversatione degeneri in vilitatem veterem per mortis illecebras et preruptam erroris excrabilis semitam relicta gloria catholice fidei relabuntur. Nosque non immerito tristamur ab intimis quod perditionis filii decorem catholice matris quam nostra interest uni viro virginem castam exhibere Christo heretice pravitatis conantur obscenitatibus maculare. Non enim expedit, ut tam horrendorum scelerum in succedentia temporum secula sine recordatione vindicte memoria differatur, ne illorum infamis impunitas in generationes futuras similium audaciam proroget presumptorum, sed potius est eo fortius ipsius resistentie obice intentio elidenda eoque potentius repugnancie obstaculo sui prosecutio reprimenda propositi, eiusque pravis affectibus contrariis effectibus obviandum quo magis humane salutis emulus infidelis infidelium intendit pectoribus cultum catholice fidei sine qua nemo unquam deum videre poterit depravare. Exurgat igitur deus et eum preveniat celeris preventione vindicte obiter et subvertat erigat brachium suum sicut ab initio allidat in virtute sua virtutem illius obumbret in die belli caput zelantium bellum eius. Quia vero in hiis dei et eiusdem fidei catholice causam agi conspicimus decrevimus devote prosequentibus illam etiam spiritualibus auxiliis assistendum, ut causam ipsam eo ferventius prosequantur, quo tutius huiusmodi prosecutionis eventum poterunt experiri. Ideoque nos de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui dictum Fredericum rebellem hereticum ydolatram excommunicatum et fidei catholice corruptorem dei adversarium et hostem apertum, dicte persecutorem et inimicum ecclesie manifestum et fidelium ipsorum tirampnum sevissimum dictosque Spoletanum et Urbinatum Auximanum et Racanatensem communitates et populos ac prefatos

FUNDACIÓ NOGUERA

Guidonem et Sperantiam eiusdem heretici fratres et alios omnes et singulos fautores et receptatores ipsius necnon et civitates castra terras et loca, que iidem hereticus et fratres detinere presumunt, queve ipsos recipiunt et receptant seu parent eis et illos qui eos imposterum dum extra sedis fuerint apostolice gratiam receptabunt aut favebunt eisdem in personis propriis necnon et hiis qui in propriis personis alienis tamen sumptibus expugnabunt et super hoc per annum incipiendum a die, de quo prefatus abbas dicte provincie Marchie rector duxerit ordinandum continuum vel interpolatum infra biennium extunc complendum proximo laborabunt ecclesie predicte sequendo vexillum tam clericis quam laicis et insuper eis, qui suis dumtaxat expensis iuxta quantitatem et facultatem suam destinabunt ydoneos bellatores per dictum tempus moraturos et laboraturos ibidem illam concedimus veniam peccatorum, que proficiscentibus in terre sancte subsidium concedi per dictam sedem apostolicam consuevit. Eos autem qui non per annum integrum sed pro ipsius anni parte in huiusmodi servitio dei forsitan laborabunt iuxta quantitatem laboris et devotionis affectum participes esse volumus indulgentie supradicte. Quod si forsan ipsorum aliquos post iter arreptum in prosecutione dicti negotii ex hac luce migrare contigerit vel interim negotium ipsum congrua terminatione compleri eos integre participes esse volumus indulgentie memorate. Huius etiam remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad impugnationem heretici et ydolatre ac aliorum predictorum de bonis suis congrue ministrabunt. Quare fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus per te vel per alium seu alios huiusmodi concessionem nostram in ecclesiis et locis tibi decrete provincie quotiens et quando expedire videris studeas solenniter publicare. Rescripturus nobis per tuas patentes litteras vel instrumentum publicum principium et finem continens presentium litterarum, quicquid super dicte concessionis publicatione duxeris faciendum.

Dat. Avinione, VI Idus Decembris, pontificatus nostri Anno Sexto.

788

1321 desembre 24, Avinyó

Joan XXII confirma al bisbe (Ramon Trebailla), al degà i al capítol de l'església d'Urgell, el pagament a la Cambra Apostòlica de quatre mil lliures barceloneses de la dècima, segons la disposició del Concili de Viena, de mans de Ramon de Vilalta, precentor, i d'Esteve de Pouclòs,

FUNDACIÓ NOGUERA

canonge d'Urgell, en concepte del prèstec per l'adquisició dels llocs i castells de Llordà i d'Isona de la diòcesi d'Urgell.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla amb fil de cànem.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Urgellensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum dudum de pecunia decime per felicis recordationis Clementem papam V predecessorem nostrum imposite in concilio Viennensi collecta in civitate et diocesi Urgellensi pro acquisitione castrorum et locorum Lordani et Isone dicte Urgellensis diocesis ad opus et nomine dicte Urgellensis ecclesie per vos facta, quatuor milia librarum Barchinonensium monete nobis et ecclesie Romane certis ad hoc prefixis terminis solvendarum vobis fecerimus mutuari vosque de huiusmodi quantitate pecunie ut premittitur mutuare duo milia librarum Barchinonensium in duobus milibus trecentis septuaginta sex florenis auri et quatuor solidis tribus denariis Turonensibus parvorum, floreno quolibet pro sexdecim solidis decem denariis dicte monete Barchinonensis computato, per manus dilectorum filiorum Ramundi de Vilalta precentoris et Stephani de Puteo clauso canonici prefate ecclesie Urgellensis procuratorum vestrorum pro primo solutionis termino festi videlicet Nativitatis domini Ihesu Christi proximo futuri nostre camere exsolvi fueritis ac etiam assignari. Nos volentes vestris et ecclesie predicte Urgellensis indempnitatibus super hiis precavere, vos et eandem ecclesiam de dictis duobus milibus librarum Barchinonensium sic solutis absolvimus et quitamus.

Dat. Avinione, VIIII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Sexto.

789

1322 gener 19, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut Joan Sa Ribera, cavaller, i Ramon Vinater, jurispèrit, missatgers seus i de Sanç de Mallorca, i que no estima convenient que vagin al nou rei (Carles IV) sense noves ordres i lletres d'ambdós monarques.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 32, núm. 70.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 233-234, doc. 450.
c COULON - CLÉMENCET, *Lettres secrètes et curiales du pape Jean XXII*, II, col. 64, doc. 1359.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad regie celsitudinis noticiam deducimus quod receptis tuis et carissimi filii nostri Sancii regis Maioricarum illustris litteris nobis per Iohannem sa Ribera militem et Raymundum Vinaterii iurisperitum tuos et ipsius nuncios presentatis ac que dicte littere continebant et que dicti nuncii proponere ac exhibere voluerunt plenius intellectis, propter gravem infirmitatem inclite recordationis Philippi regis Francie et Navarre non fuit nobis visum, expediens quod dicti nuncii cum nostris ad dicti regis presentiam, quousque de convalescentia quam prestolabamur continue, haberemus certitudinem, se conferrent. Frustrati igitur spe predicta cum prout domino placuit spiritum suum deo reddiderit qui eum creaverat rex prefatus, nec nobis nec dictis nunciis visum est expedire, ut ad novi regis presentiam absque novo mandato et litteris dirigendis prefato regi debeant se conferre. Ordinet igitur fili carissime tua et dicti regis providentia quid agendum, supponentes indubie quod vita comite nos super dicto negocio amicabiliter terminando, cum rege predicto et aliis de quibus expedire videbimus dante domino curabimus indefessum studium adhibere.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Sexto.

790

1322 abril 27, Avinyó

Joan XXII mana a Berenguer de Vilaró, canonge d'Urgell, que procuri anullar la donació dels béns propietat del monestir de Solsona de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell, que els predecessors del prepòsit i del convent d'aquest monestir van donar als clergues i laics.

A Solsona, Arxiu Diocesà, Butlles i Lletres pontifícies, núm. 13.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Berengario de Vilarone canonico Urgellensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit quod tam dilecti filii prepositus et conventus monasterii Celsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis quam predecessores eorum decimas terras domos vineas possessiones prata pascua piscarias grangias nemora molendina silvas redditus iura iurisdictiones et quedam alia bona eiusdem monasterii datis super hoc litteris confectis exinde publicis instrumentis interpositis iuramentis

FUNDACIÓ NOGUERA

factis renunciacionibus et penis adiectis in gravem ipsius monasterii lesionem, nonnullis clericis et laicis aliquibus eorum ad vitam quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui confirmationis litteras in forma communi super hiis a sede apostolica impetrasse dicuntur. Quia vero nostra interest super hoc de oportuno remedio providere, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea que de bonis ipsius monasterii per concessiones huiusmodi alienata inveneris illicite vel dis[tracta], non obstantibus litteris instrumentis penis iuramentis renuntiationibus et confirmationibus supradictis, ad ius et proprietatem eiusdem monasterii legitime revocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, v Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Sexto.

791

1322 maig 1, Avinyó

Joan XXII mana a l'oficial de Barcelona que uneixi la prepositura de la mensa de l'església amb els rèdits i producció del lloc de Manresa, diòcesi de Vic, a la mensa episcopal de Vic.

A Vic, Arxiu Capitular, Mensa Episcopal, IV, núm. 73.
a Part esquerra i plica retallades. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, IV, p. 89, doc. 15376.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. officiali Barchinonensis ecclesie salutem et apostolicam benedictionem. Grate devotionis [studia] quibus dilecti filii capitulum [ecclesie Vicensis erga nos et Romanam vigent ecclesiam digne merentur ut petitiones suas in hiis presertim] que ipsorum et eiusdem ecclesie respiciunt co[modum favorabiliter ad exauditionis gratiam admittamus. Petitio siquidem ipsorum capituli nobis exhibit]a continebat, quod in eadem ecclesia quedam prepositura consistit [mensata vulgariter nuncupata, quam Iacobus de Solerio eiusdem ecclesie canonicus noscitur obtinere, cuius quidem prepositure redditus et proventus in loco de Minorissa Vicensis diocesis consistentes propter malitiam potentiam et oppressiones habitorum eiusdem loci] non possunt percipi vel haberi, nec dicta prepositura ab oppressionibus habi[torum ipsorum

FUNDACIÓ NOGUERA

potestper dictum prepositum aliquatenus defensari, immo ex coniecturi]s verisimilibus dubitatur eandem prepositurarn dilabi proximo in ruinam [nisi ei de celeri remedio succurratur. Verum cum prepositure predicte defensio et] tuitio non aliter posset, ut iidem capitulum asserunt utilius procurari [quam si eadem prepositura uniretur episcopali mense Vicensis ecclesie supradicte ipsaque] unio sit alias eis et prefate ecclesie fructuosa, presertim cum venerabilis [frater noster .. Vicensis episcopus ad cognitionem duorum per eosdem capitulum electorum mense communi] dictorum capituli, que redditus habet valde tenues et exiles se daturum offe[rat certam annuam pensionem ultra servitium consuetum, prefati capitulum nobis] humiliter supplicarunt, ut dictam prepositurarn eidem episcopali mense unire et an[nectere auctoritate apostolica dignaremur. Nos itaque ipsorum capituli supplicationibus incli]nati ac de circumspectione tua plenam in domino fiduciam obtinentes, discretioni [tue presentium auctoritate committimus et per apostolica scripta mandamus, quatinus in]-quisita super premissis diligentius veritate, si tibi constiterit ita esse, pre[fatam prepositurarn cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem episcopali mense auctori]tate nostra unias usibus ipsius episcopi et successorum suorum episcoporum Vicensium qui erunt [pro tempore applicandam itaque cedente vel decedente dicto Iacobo vel alias dictam prepositu]ram quomodolibet dimittente, iidem episcopus et successores possessionem eiusdem prepo[siture ingredi valeant et habere cuiusvis assensu minime requisito.] Non obstantibus quibuscumque litteris sedis apostolice super quorumcumque provisionibus impetratis [seu impetrandis aut reservationibus vel inhibitionibus seu processibus quibuscumque ipsarum auct]oritate factis aut etiam faciendis, quibus quo ad assecutionem aliarum preposi[turarum nullum volumus per hec preiudicium generari, seu si aliquibus communiter] vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici suspendi vel excommunicari non [possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad] verbum de indulto huiusmodi mencionem. Contradictores per censuram [ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, proviso quod dicta prepositura per huiusmodi unionem debitis obsequiis non fraudetur et animarum cura si que ei] super eo forsan immineat nullatenus negligatur.

Dat. Avinione, Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Sexto.

FUNDACIÓ NOGUERA

792

1322 maig 14, Avinyó

Joan XXII mana al bisbe de Vic (Berenguer de Guàrdia) que anul·li la donació dels béns propietat del priorat de Santa Anna del Sepulcre de Jerusalem a Barcelona, orde de sant Agustí, com són: dècimes, terres, cases, possessions, vinyes, prats, granges, pesca, molins, boscos, llacs, drets de certes jurisdiccions i altres béns del convent, que els predecessors del prior han donat a alguns clergues i laics.

A Barcelona, Arxiu Diocesà, Col·legiata de Santa Anna, Pergamins, carpeta 4, núm. 3.

a Marge dret retallat. Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam nostram pervenit quod tam dilectus filius .. prior prioratus sancte Anne Sepulcri dominici Ierosolimitani Barchinonensis ordinis sancti Augustini, quam predecessores sui dicti prioratus priores qui fuerunt pro tempore decimas terras domos possessiones vineas prata pascua grangias piscarias nemora molendina silvas stagna lacus redditus iura iurisdictiones et quedam alia bona eiusdem prioratus datis super hoc litteris confectis exinde publicis instrumentis interpositis iuramentis factis renuntiationibus et penis adiectis in gravem ipsius prioratus lesionem nonnullis clericis et laicis aliquibus eorum ad vitam quibusdam vero ad non modicum tempus et aliis perpetuo ad firmam vel sub censu annuo concesserunt, quorum aliqui dicuntur super hiis confirmationis litteras in forma communi a sede apostolica impetrasse. Quia vero nostra interest super hoc de oportuno remedio providere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ea que de bonis ipsius prioratus per concessiones huiusmodi alienata inveneris illicita vel distracta, non obstantibus litteris instrumentis iuramentis renuntiationibus penis et confirmationibus supradictis ad ius et proprietatem eiusdem prioratus legitime revocare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, II Idus Maii, pontificatus nostri Anno Sexto.

FUNDACIÓ NOGUERA

793

1322 setembre 11, Avinyó

Joan XXII prega i recomana al rei Jaume II d'Aragó que doni instruccions i enviï poders al seu missatger Simó de Bell-lloc, familiar i conseller seu, o a altre qualsevol, sobre les darreres proposicions del tractat de pau (establertes entre els reis Robert de Sicília (Nàpols) i Frederic II de Trinàcria).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 71.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 234, doc. 451.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Super negocio pro quo fili carissime dilectum filium nobilem virum Symonem de Belloloco familiarem tuum et consiliarium ad nostram presentiam destinasti prudentie regie alias scripsisse meminimus. Nos mirati quomodo de tanto negocio cum simplici tua littera credentie nulla de qua doceat potestate suffultum duxeris transmittendum, cum nulla verisimilitudo repromitteret, quod pars alia cum tali sic nudo nuncio tractatum aliquem aliqualiter inchoaret, quod utique subsequens experientia evidentius comprobavit. Nos enim licet hoc supponeremus indubie devicti tamen tua et dicti militis instantia importuna credentiam a te dicto militi commissam et impositam exponendam illi duximus et ut super deliberare vellet et ad tractandum super illa tractatores aliquos deputare interdum soli et interdum in nonnullorum fratrum nostrorum presentia duxerimus suadendum. Ipse tamen tractatum ipsum infestum sibi nimium reputans et molestum constanter asserunt se in illo prout propositus fuerat nullatenus consentire. Et licet quid illi vellet adici fuerit sepius requisitus nequaquam tamen ab eo potuit aliquatenus extorqueri. Nos autem speramus si via aliqua alia sibi portabilis offerretur, ad illam possemus eius animum inclinare, regie prudentie suademus, quatinus si potestatem habeat per alium hec tractandi prefato militi vel alii prout expedire videris, committas per scripturam autenticam vices tuas de viis dudum tactis, quas te latere non credimus et aliis, si que forsan se offerant curaris dictum militem vel alium reddere certiorem, cum quo super viis ipsis possimus habere colloquium et tractatum. Nos enim ut fructus pacis inde sequi valeat intendimus annuente domino diligentiam sedulam adhibere alias nisi premissa feceris, non videmus quod valeamus assequi circa hec que te obtare supponimus et que nos intensis desideriis affectamus.

Dat. Avinione, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno Septimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

794

1322 octubre 14, Avinyó

Joan XXII mana al bisbe de Lleida (Ponç de Vilamur), al canceller (de l'Estudi General) i a Bernat de Plegamans, canonge de l'església de Lleida, que autoritzin els estudiants eclesiàstics de l'Estudi (General) per tal que puguin percebre les rendes dels seus beneficis durant cinc anys, encara que no estiguin presents a Lleida.

A Lleida, Arxiu Municipal, Fons Municipal, Pergamí núm. 269.
a Butlla amb fil de cànem.
b ESTEVE I PERENDREU, *Butlles pontifícies sobre l'Estudi General de Lleida*, p. 99-100, doc. 1.
c GORT, *Documents de l'Estudi*, p. 69-70, doc. 8.
d ENJUANES i altres, *Catàleg de l'Arxiu Municipal de Lleida*, p. 79, doc. 107.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Ilerdensi et dilectis filiis .. cancellario ac Bernardo de Plicamanibus canonico ecclesie Ilerdensis salutem et apostolicam benedictionem. Inter ea que placida nos oblectatione letificant grandi cor nostrum reficitur gaudio et letitia exultat optata, cum eis qui celesti sunt providentia prediti ad populorum regimen et regnorum ad communem bonorum profectum intentos conspicimus ipsosque ad publice utilitatis comoda sollicitos intuemur probabile nanque argumentum tribuitur et spes certa quod tali regimine ipse regum et regnorum dominus honoretur et tam reges et regna quam populi floridis et fructuosis proficiant incrementis. Sane carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris prudenter attendens quod per viros litteratos et maxime iuris canonici et civilis scientia preditos reges et populi salutaribus ducuntur consiliis et regna salubriter gubernantur desiderat, quod in civitate Ilerdensi regni sui in qua auctoritate sedis apostolice in utroque iure et aliis scientiis viget studium generale, dictum studium per gratiam sedis apostolice de bono in melius susciperet incrementum. Nos igitur dicti regis intentionis propositum dignis in domino laudibus commendantes ut eo libentius studere volentes ad studium ipsum accederent, quo nostram et ipsius sedis gratiam sibi sentirent fructuosam, eiusdem regis supplicationibus inclinati, omnibus et singulis personis ecclesiasticis in dicta civitate infra Quinquenium a Datum litterarum nostrarum computandum studentibus auctoritate dictarum litterarum nostrarum duximus indulgendum, ut fructus redditus et proventus omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum usque ad quinquennium predictum dumtaxat cum ea integritate percipere valerent cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinerent, personaliter residerent nec interim in eisdem ecclesiis facere perso-

FUNDACIÓ NOGUERA

nalem residentiam tenerentur neque ad id a quoquam inviti coartari valerent. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis ipsarum ecclesiarum iuramento confirmatione apostolica seu quacunque firmitate alia roboratis, etiam si predicte persone de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo etiam ab aliis impetratis prestiterint per se vel per procuratores suos forsitan iuramenta sive si locorum diocesanis et capitulis ecclesiarum predictarum a prefata sede indultum existeret vel medio tempore contingeret indulgeri, quod ipsarum ecclesiarum canonicis et personis fructus redditus et proventus beneficiorum suorum ministrare in absentia minime teneantur quodque ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem sive quibuscunque privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per que dictis nostris litteris non expressa vel totalier non inserta effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam fieri oporteat in eisdem nostris litteris mentionem. Voluimus autem quod quelibet personarum predictarum per dictum quinquennium et non ultra huiusmodi gratia uti valeat et gaudere. Proviso quod interim beneficia ipsa debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis quibus illa iminet nullatenus negligatur. Prefatis nostris litteris post dictum quinquennium minime valituris. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios faciatis auctoritate nostra eisdem personis fructus redditus et proventus eosdem per idem quinquennium iuxta huiusmodi concessionis nostre tenorem integre ministrari. Non obstantibus omnibus supradictis seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sede indultum existat, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, II Idus Octobris, pontificatus nostri Anno Septimo.

795

1322 octubre 17, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que el rei Robert de Sicília (Nàpols) li agraeix les iniciatives de pau exposades per Simó de Bellloc, missatger seu, però creu que han de procurar-li els poders plena-

FUNDACIÓ NOGUERA

ris del seu germà, el rei Frederic II de Trinàcria, per fer efectiva alguna de les solucions.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 72.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 415, doc. 189 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 234-235, doc. 453.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ut quid super hiis pro quibus dilectum filium nobilem virum Symonem de Belloloco militem nuncium tuum ad nostram presentiam destinasti, actum fuerit, celsitudo regia non ignoret ecce quod quanquam dicti militis instantia non defuerit oportuna nostraque ac nonnullorum fratrum nostrorum sacrosancte Romane ecclesie cardinalium, quos ut nobis assisterent in procurando dicto negocio duximus, velut eiusdem negocii çelatores fervidos eligendos sedula diligentia non fuerit pretermissa, nil tamen aliud a carissimo in Christo filio nostro Roberto Sicilie rege illustri potuimus obtinere, nisi quod çeli tui affectione benivola quam ad pacem inter ipsum et Fredericum regem Trinaclie illustrem germanum tuum habere dinosceris reformandam grata habita plurimum et accepta non mediocriter admiratur, quod ut tractatus pacis valeret commode prosequi generaliorem regalis solertia non obtinuerit potestatem cum illa que pretenditur ad unam viam determinatam, super qua suum finale propositum alias rex ipse Sicilie dicto nuncio aperuit et expressit tantummodo se extendat. Dixit tamen et obtulit rex prefatus, quod obtenta a dicto germano tuo per te potestate plenaria non ad certum, quid faciendum, sed ad ineundum et perficiendum super predictis tractatum, regem ipsum ad omnes vias congruas tractabilem reperies et pacis benivole semitas prosequentem. Ad nos autem non pertinet vias offerre, presertim ubi partis non concurrit consensus, in negociis alienis, sed eas favorabiliter prosequi, si nobis per alios offerantur. Ceterum a rege predicto Sicilie post multos tractatus habuimus, quod licet dictum regem Trinaclie asserat ius in illa insula non habere, tamen excambium illi daret. De loco autem ubi illud prestare voluerit, habere certitudinem nequivimus, sed credimus quod in partibus Romanie.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Septimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

796

1322 desembre 13, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que mentre espera l'arribada de Vidal de Vilanova, conseller i missatger seu, aprofitarà el temps en treballs preparatoris amb els legats presents a l'assemblea.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 73.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 234, doc. 452.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Adventum dilecti filii nobilis viri Vitalis de Villanova consiliarii et nuncii regii nobis innotuit regiarum serie litterarum. Quid autem ante eius adventum procurare valeamus utiliter non videmus. Si tamen materia se obtulerit que forsan se offeret cum nonnullorum adventus ad curiam expectetur, quorum presentia aliquid procurandi super ipso negocio materiam forsitan ministrabit, id non ommittemus cum diligentia procurare. Cum autem prefatus nuncius venerit, quem bene vellemus causam aliam pretendere publice aderit nostra domino dante diligentia, ut fiat quod fieri poterit nec aliquid de contingentibus ommittetur.

Dat. Avinione, Idus Decembris, pontificatus nostri anno Septimo.

797

1322 desembre 23, Avinyó

Joan XXII confirma al bisbe (Ramon Trebailla), al degà i al capítol de l'església d'Urgell que el seu procurador, Esteve de Pouclòs, canonge d'Urgell, ha pagat a la Cambra Apostòlica mil cent quinze lliures, dotze sous i sis diners barcelonesos de la dècima, segons la disposició del Concili de Viena, en concepte del préstec per l'adquisició dels llocs i castells de Llordà i d'Isona de la diòcesi d'Urgell.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla amb fil de cànem.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Urgellensis salutem et apostolicam benedictionem. Cum de summa quatuor milium librarum Barchinonensium quas de pecunia decime per felicis recordationis Clementem papam V predecessorem nostrum dudum imposite in concilio Viennensi in civitate et diocesi Urgellensi collecta

FUNDACIÓ NOGUERA

vobis pro acquisitione castrorum et locorum Lordani et Ysone dicte Urgellensis diocesis ad opus et utilitatem dicte ecclesie per vos facta solvendas nobis et ecclesie Romane certis ad hoc prefixis terminis fecimus mutuari duo milia librarum dicte monete Barchinonensis de dicta summa residua in festo Nativitatis domini proximo futuro sub certis penis et sententiis solvere deberetis, vosque de dictis duobus milibus librarum residuis mille centum et quindecim libras duodecim solidos sex denarios dicte monete in septuaginta quatuor libris septem solidis sex denariis Turonensibus grossorum singulis denariis dictorum Turonensium grossorum pro quindecim denariis dicte monete Barchinonensis computatis, per dilectum filium Stephanum de Puteoclauso canonicum Urgellensem procuratorem vestrum nostre camere fecistis assignari, nobis ex parte vestra fuit humiliter supplicatum, ut super summa soluta huiusmodi de cautele sufficientis remedio providere et super solutione summe residue videlicet quingentarum octuaginta quatuor librarum septem solidorum sex denariorum Barchinonensium, cum eas ad presens solvere comode nequeatis, competentem prorogationem de spetiali gratia concedere dignaremur. Nos autem vestris supplicationibus inclinati, recognoscimus et fatemur, vos dictas mille centum et quindecim libras duodecim solidos sex denarios Barchinonenses per manus dicti procuratoris vestri prefate camere in dictis grossis Turonensibus exolvisse vosque et ecclesiam Urgellensem de illis absolvimus et quitamus. Super aliis vero per vos debitis ut prefatur vosque ad festum beati Michaelis proximo venturum sub eisdem penis et sententiis pactis modis et conditionibus quibus in dicto Nativitatis dominice termino solvere debebatis, vobis ex uberiori gratia solutionis terminum prorogamus penarum et sententiarum predictarum effectum usque ad predictum vobis prorogatum terminum suspendentes. Extunc tamen nisi de residua summa predicta satisfactionem nobis et camere nostre plenariam duxeritis impendendam, in suis vigore et efficacia permansuris.

Dat. Avinione, x Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Septimo.

798

1323 abril 6, Avinyó

Joan XXII s'excusa amb el rei Jaume II d'Aragó per la seva inhibició en l'allargat plet sobre la provisió de l'ardiaconat i arxiprestat del qual li ha parlat Vidal de Vilanova, missatger seu.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 74.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 235, doc. 454.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilectum filium nobilem virum Vitalem de Villanova nuncium regium ad nostram presentiam destinatum letanter vidimus ac litteris regiis nobis per ipsum presentatis solita benignitate receptis, que continebant "littere "ipse et que idem nobilis proponere voluit intelleximus diligenter. Sane super questione illorum duorum nobilium que super illo archidiaconatu diutius ventilata extitit viam unam concordie, que dudum nobis possibilis visa non fuerat, regiam providentiam nobis exposuit percepisse, de quo mirati admodum fuimus cum illi qui eam celsitudini regie exposuisse dicitur expresse fuisset in partis unius presentia denegata nec alia oblata extitit et nec per consequens prosecuta. Super illa autem questione que satis de novo super archipresbiteratu inter alios duos impetrantes dicitur inchoata, cum una pars mandatum non haberet sufficiens nec ut optabamus obtinere procuraverit nil tractari potuit nec commode procurari. Quare magnificentiam regiam rogamus instanter, ut super hoc nos habeat excusatos.

Dat. Avinione, VIII Idus Aprilis, pontificatus nostri anno Septimo.

799

1323 juny 13, Avinyó

Joan XXII concedeix al bisbe de Lleida (Ponç de Vilamur) la facultat per absoldre de l'excomunió els setanta prohoms que havien aconsellat al tribunal i als paers de la ciutat de Lleida sobre la condemna a mort del prevere Miquel Pere de Pertusa, acusat d'haver causat la mort d'una dona embarassada quan acudia a l'església per confessar els pecats.

A Lleida, Arxiu Municipal, Fons Municipal, Pergamí núm. 268.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, IV, p. 303, doc. 17695.
c ENJUANES i altres, *Catàleg de l'Arxiu Municipal de Lleida*, p. 78, doc. 106.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Ilerdensi salutem et apostolicam benedictionem. Significavit nobis carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris, quod curia et paciarii civitatis Ilerdensis ad quos inibi cognitio et punitio criminum dicitur pertinere, quondam Michaelem Petri de Partusia presbiterum pro eo quod fuerat inter quosdam qui faciebus

FUNDACIÓ NOGUERA

larvatis sive mascaratis ac pellibus coopertis quandam mulierem bone fame pregnantem infra breves dies parituram ad ecclesiam accedentem pro confitendis suis peccatis absque causa letaliter vulnerarant, ita quod infra paucos dies dicta mulier simul cum creatura quam gestabat in utero fuerat interempta, ignorantes eum clericum publica voce preconia citaverunt, quod coram eis infra certum terminum compareret, alioquin pro convicto et confesso de dicto crimine haberetur iuxta ipsius privilegium et consuetudinem civitatis, quo in dicto termino minime comparente, cum postea dicte curie denuntiatum fuisset, quod in quadam domo latebat proposito quoddam homicidium perpetrandi, curia et paciarii prelibati accedentes ad domum predictam eundem dicentem se clericum capi et duci ad locum ubi criminosos moris est custodiri fecerunt, licet etiam quidam eorum tonsuram vidissent ipsius. Demum quadam sequenti die secundum consuetudinem civitatis predicte consiliariis convocatis usque ad septuaginta et eis exposito crimine supradicto, quia etiam erat de aliis diversis criminibus diffamatus, fuit per dictos consiliarios scientes vel saltem credentes eum esse clericum adiudicatus morti summersionis in fluvio, quam sententiam curia et paciarii predicti dicto Michaeli publicarunt eamque non obstante quod dixit se fore presbiterum executioni mandarunt. Quare prefatus rex nobis humiliter supplicavit, ut considerata eorundem multitudine, cum fuit circa centum numero qui ex hoc excommunicationis vinculum incurrerunt pensata etiam eorum ignorantia, qui non credebant ex hoc excommunicationis sententia innodari, nisi per te loci episcopum excommunicarentur, a quo putabant se absolutionem de facili obtinere, cum sint homines iuris ac etiam ut plurimum litterarum ignari super hoc animarum ipsorum saluti consulere dignaremur. Nos igitur eiusdem regis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam gerimus absolvendi iuxta formam ecclesie omnes et singulos, qui propter premissa excommunicationis sententiam incurrerunt, ab excommunicatione predicta iniungendo eis super hoc pro modo culpe penitentiam salutarem et alia que de iure fuerint iniungenda .. vigerio dicte civitatis et .. paciariis prelibatis exceptis, quorum absolutionem nobis spetialiter retinemus. Ita tamen quod eorum singulis, quos ut premittitur duxeris absolvendos, precipias sub debito prestiti iuramenti ut infra certum terminum, quem eis ad hoc peremptorium prefigere studeas, et etiam competentem, tantum in subsidium Terresancte venerabili fratri nostro Petro episcopo Penestrino ad hoc deputato persolvant, quantum fuissent veniendo ad Romanam curiam et redeundo ad propria ab eadem eorum singuli expensuri, alioquin in

FUNDACIÓ NOGUERA

eandem sententiam recidant ipso facto, plenam concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus autem quod nomina et conditiones eorum, quos ut premittitur duxeris absolvendos quibusque mandaveris ut pecuniam quam pro expensis quas futuri essent veniendo ad curiam et redeundo ab ea ut predicitur expendissent, dicto episcopo debeant assignare et terminum quem super hoc duxeris prefigendum, prefato episcopo per tuas litteras quantotius significare procures.

Dat. Avinione, Idus Iunii, pontificatus nostri Anno Septimo.

800

1323 juliol 1, Avinyó

Joan XXII requereix i prega al rei Jaume II d'Aragó que intervingui davant els creditors de Gallart de Balaguer, prior de Santa Maria de Montserrat de l'orde de sant Benet, diòcesi de Vic, perquè li prorroguin el termini de pagament dels seus deutes, que l'esmentat priorat no pogué satisfer.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 75.
a Plica en part retallada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 235-236, doc. 455.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Religiosa loca et personas regulares ipsorum divinis obsequiis deputatas eo celsitudini tue fidutialius commendamus, quo erga pia loca obtentu regis eterni te zelum habere novimus promptiorem. Cum itaque sicut fidedigna relatio ad apostolatus nostri deduxit auditum, prioratus sancte Marie de Monteserrato ordinis sancti Benedicti Vicensis diocesis magnis debitorum oneribus diversis sit creditoribus obligatus, que quidem debita sine competentibus dilationibus solvi non possent absque gravi eiusdem dispendio prioratus, celsitudinem regiam affectuose requirimus et rogamus, quatinus necessitatibus prioratus eiusdem divini amoris intuitu et nostre intercessionis obtentu, de regia benignitate compatiens et relevationibus eius intendens creditores huiusmodi quod dilecto filio Galhardo de Balaguerio priori prioratus eiusdem competentes dilationes indulgeant, infra quas absque gravi detrimento dicti prioratus et bonorum ipsius possit procurare pecuniam persolvendam efficaciter moneas et inducas eundem priorem ob reverentiam apostolice sedis et nostram habendo in premissis et aliis dicti prioratus negotiis favorabiliter commendatum, ita quod

FUNDACIÓ NOGUERA

propitiationem divinam exinde merearis uberius et nos sinceritatem regiam dignis possimus in domino laudibus commendare.

Dat. Avinione, Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Septimo.

801

1323 desembre 5, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut Pere Despens, jutge, i Jaume de Cornellà, noble, missatgers seus i del seu fill l'infant Pere, comte de Ribagorça, enviats per demanar-li que suspengui la projectada permuta de castells i béns entre l'esmentat comte i els frares de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, i que li sigui donada la dècima al seu comtat, a fi d'atendre moltes necessitats. Per socórrer aquestes, la Seu Apostòlica els ofereix un préstec amb les degudes garanties.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 76.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 236, doc. 456.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii Petrus despens iudex et nobilis vir Iacobus de Cornelliano miles nuper ad nostram presentiam venientes tam regias quam dilecti filii nobilis viri Petri nati tui comitis Ripacurcie nobis litteras presentarunt, quos quidem nuncios et litteras solite benignitatis affectu recepimus et ea que predicti nuncii voluerunt proponere et littere continebant predicte, pleno collegimus intellectu. Cumque super permutatione de quibusdam castris et bonis inter ipsum comitem et dilectos filios .. fratres Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani faciendi iuxta petitionis instantiam eiusdem comitis tractaremus, prefati dixerunt nuncii se ab eodem comite quod negocium non prosequerentur huiusmodi recepisse mandatum, quare fuit in tractatu huiusmodi supercessum. De subsidio vero quod de pecunia decimali collecta in illis partibus dictus comes sibi fieri pro suis multis utilitatibus et necessitatibus supplicavit, nos huiusmodi suis commodis et necessitatibus providere volentes nec propter hoc detrahere necessitatibus et oportunitatibus terre sancte, ad quas deputata dicta pecunia fore noscitur, intendentes certum mutuum ordinavimus sub certis modis et formis sibi de dicta pecunia faciendum, sicut per litteras nostras confectas super hoc regie magnitudini plenius innotescet. Prefati quoque nuncii tam de hiis quam de responsione nostra super aliis que ipsi sub verbo

FUNDACIÓ NOGUERA

sibi date credentie nobis exponere curaverunt, providentiam regiam poterunt vive vocis oraculo plenius reddere certiorem.

Dat. Avinione, Nonas Decembris, pontificatus nostri anno Octavo.

802

1323 desembre 13, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que per recomanació del mestre Bernat de Sant Maurici, preceptor de les esglésies d'Auxerre, rebi l'arquebisbe de Tarragona (Ximeno Martínez de Luna) per tractar sobre el préstec a fer, de quinze mil lliures barceloneses, a l'infant Pere, comte de Ribagorça, i per tractar sobre altres assumptes pertocants a l'Església i al seu regne.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 77.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 236, doc. 457.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Per dilectum filium magistrum Bernardum de Sanctomauricio precentorem ecclesie Autisiodorensis patentes litteras nostras apostolicas super mutuo faciendo dilecto filio nobili viro Petro nato tuo comiti Ripacurcie de summa quindecim milium librarum Barchinonensium ab eo postulata venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Tarraconensi mittimus ipsum precentorem nichilominus ad partes regni tui pro certis aliis nostris et ecclesie Romane negociis specialiter destinantes. Quocirca regalem excellentiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatum super eisdem negociis per ipsum prosequendis et expediendis utiliter sic adesse sibi velit oportunis favoribus regia celsitudo, quod nos eam prosequi condignis gratiarum actionibus propter hoc debeamus.

Dat. Avinione, Idus Decembris, pontificatus nostri anno Octavo.

803

1323 desembre 24, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que faci efectius a Faidida, vídua d'Ermengol (de Cabrera), comte d'Urgell, els rèdits i

FUNDACIÓ NOGUERA

fruits dels cinc anys de demora a satisfer-li el dot, assignats en els esponsalicis i testament del comte Ermengol.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 78.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 237, doc. 458.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Mentem regiam ad ea libenter et solerter inducimus, per que in conspectu altissimi qui salutem dat regibus reddaris acceptior tibique salutis et fame proveniat incrementum. Habet siquidem dilecte in Christo filie nobilis mulieris Faizide relicte quondam Ermengavi comitis Urgellensis assertio, quod licet ipsa tam in tenore instrumentorum dotalium inter ipsam et dictum comitem confectorum quam eiusdem comitis testamenti vigore fructus redditus et proventus ac questas voluntarias castrorum Aggeris et de Pontibus ac de Uliana necnon et de Peladegau deberet percipere et habere continue suosque facere donec de dote sua data dicto comiti sibi foret plenarie satisfactum tamen executores testamenti prefati comitis, qui manumissores in illis partibus vulgariter nuncupantur dictos fructus redditus et proventus per quinque annos proxime iam elapsos et ultra predicte nobili pro sue voluntatis libito subtraxerunt de dote sua sibi satisfacere in ipsius grande preiudicium et gravamen sicut asserit non curantes. Quocirca serenitatem regiam rogamus attentius et hortamur, quatinus prefatam nobilem viduam pro divina ac nostra et apostolice sedis reverentia habens in hac parte favore regio commendatam tam super dictis fructibus redditibus et proventibus quam solutione dicte dotis et aliis iuribus spectantibus ad eandem sic sibi velit regia benignitas de celeri iusticia providere, quod a domino tibi proinde premium proveniat, quod ipse pro piis actibus recompensat et devotionis regie promptitudo condignis a nobis attolli laudibus mereatur.

Dat. Avinione, VIIII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Octavo.

804

1324 gener 13, Avinyó

Joan XXII mana a l'ardiaca de Ribagorça, al sagristà de Lleida i a Berenguer de Portella, canonge d'Urgell i veí de Lleida, que decideixin el conflicte entre la priora i el convent del monestir d'Alguaire de la diòcesi de Lleida, i el prior general de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de

FUNDACIÓ NOGUERA

Jerusalem a Catalunya, sobre els fruis, rèdits i productes de les terres del convent d'Alguaire pertanyent a aquest orde; els aconsella que no dictin cap censura eclesiàstica sense manament de la Seu Apostòlica.

A Barcelona, Biblioteca Universitària, Reserva Alguaire, A. núm. 4 (B. 27).
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. archidiacono Rippecurcie et .. sacriste Ilerdensis ac Berengario de Portella canonico Urgellensis ecclesiarum apud Ilerdam moram trahenti salutem et apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecte in Christo filie .. priorissa et conventus monasterii de Alguayra secundum instituta fratrum hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani viventes Ilerdensis diocesis, quod correctio priorisse ipsius monasterii cum imminet pro tempore facienda ad .. priorem generalem ipsius hospitalis in Cathalonia, ubi dictum monasterium consistit et cui hospitali monasterium ipsum subiectum fore dinoscitur et de consilio conventus correctio monialium vero eiusdem monasterii secundum ipsius hospitalis instituta ad eandem priorissam cura vero et administratio ipsius monasterii eiusque reddituum et proventuum ad priorissam ipsam solummodo tam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine quam ex statutis ipsius monasterii iuramento firmatis et per sedem apostolicam confirmatis pertinere noscuntur, et quamvis eidem priori de redditibus et proventibus ipsius monasterii decima pars solum priori debeatur eidem dicteque priorissa et conventus partem ipsam eidem priori annis singulis solverint et solvere sint parate, tamen dictus prior suis iuribus non contentus in dictam priorissam absque consilio dictorum conventus correctionis officium nititur indebite exercere ac fructus redditus et proventus de Alguayra, de Ça portella, de Ratera et de Villanova Rimonium Signani villarum Ilerdensis diocesis ad dictum monasterium pertinentium ad manus suas recipit minus iuste et de ipsis disponit pro suo libito voluntatis, et preter assensum ipsarum priorisse et conventus in eodem monasterio deputat preceptorem, qui ad voluntatem ipsius prioris ordinat et disponit de redditibus et proventibus supradictis et alias idem prior dictis priorisse et conventui dampna et iniurias ac gravamina multipliciter inferre presumit. Quare dicte priorissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut providere ipsis super hoc [de] oportuno remedio dignaremur. Quia vero nobis non constitit de premissis, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audiatis causam et appellatione remota fine debito decidatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium per-

FUNDACIÓ NOGUERA

hibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Octavo.

805

1324 maig 1, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que retarda la concessió de la vènia sol·licitada a través de Domènec Biscarra, notari i missatger seu, per permutar uns llocs per uns altres a l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem fins a la tornada del mestre d'aquests a Avinyó. Celebra molt el bon estat de salut del seu fill, l'infant Alfons, i els seus èxits a Sardenya.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 79.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 237, doc. 459.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper dilectus filius Dominicus Biscarra notarius et nuncius tuus ad nostram veniens presentiam nobis litteras regias de credentia presentavit, quibus nuncio et litteris per nos benigne receptis idem nuncius pro parte regia sub commissa sibi credentia nobis in scriptis supplicationem obtulit inter cetera continentem, quod dilecto filio .. magistro Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani faciendi de certis locis hospitalis predicti tuis necessitatibus ut asseruit plurimum oportunis cum aliis locis tuis equivalentibus tecum permutationem sive cambium licentiam vellemus concedere specialem. Verum quia dictus magister cum quo super predictis erat tractandum tunc presens non existebat in Romana curia sicut nec adhuc esse noscitur predicto nuncio dare certum responsum nequivimus in hac parte, proponimus tamen cum eo tractare dum ad eandem rediret curiam et quod secundum deum commode poterimus super hiis ordinare. Subsequenter vero prefatus nuntius statum prosperum dilecti filii nobilis viri Alfonsi primogeniti tui et insule Sardinie pro parte tue magnitudinis referens nobis exposuit quod idem primogenitus divine potentie suos felices successus ascribens vias pacis et mansuetudinis plusquam severitatis inquirit super quo ipsius intentionem laudabilem quam etiam ipse nobis pridem per suas descripserat litteras in domino plurimum commendantes regiam excellentiam deprecamur, quatinus ipsum primogenitum ad perseverandum in huiusmodi piis

FUNDACIÓ NOGUERA

actibus quibus mereatur uberiorem gratiam apud deum solicitare et exhortari paternis monitis regia providentia sepius non ommittat.

Dat. Avinione, Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Octavo.

806

1324 maig 4, Avinyó

Joan XXII anuncia al rei Jaume II d'Aragó que després de l'òbit de Guillem, abat del monestir de Sant Joan de les Abadesses de l'orde de sant Agustí, diòcesi de Vic, ha nomenat abat Ramon, canonge i cambrer d'aquest monestir, i li prega que l'aculli favorablement.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 80.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 237-238, doc. 460.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 176, doc. 5393.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Divine gratia magestatis acquiritur si ministris eius et hiis precipue qui sunt dignitatis titulo insigniti, pro ipsius reverentia condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Dudum siquidem monasterio sancti Iohannis de Abbatissis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis sancti Augustini Vicensis diocesis per obitum quondam Guillermi abbatis eiusdem monasterii qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris regimine destituto, nos vacacione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta cupientes regimini eiusdem monasterii personam utilem per nostre solicitudinis studium previdere, provisionem ipsius monasterii ea vice dispositioni nostre ac sedis apostolice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et deinde ad celerem provisionem dicti monasterii ne prolixe vacationis exponeretur incomodis solicite intendentes cum nullus preter nos ea vice de ipsius monasterii provisione post reservationem huiusmodi se intromittere posset, reservatione nostra huiusmodi obsistente cepimus intendere diligenter et post deliberationem quam cum fratribus nostris ad deputandum eidem monasterio personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria probitatis dictum monasterium in suis valeret iuribus adaugeri ac etiam defensari, habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Raymundum abbatem canonicum et camerarium monasterii supradicti ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, qui

FUNDACIÓ NOGUERA

de litterarum scientia vite mundicia religionis zelo et aliarum virtutum meritis laudabili testimonio commendatur, direximus aciem mentis nostre. Quibus omnibus diligenti meditatione discussis de persona ipsius Raymundi abbatis nobis et fratribus ipsis ob huiusmodi suorum exigentiam meritorum accepta prefato monasterio de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum dictumque Raymundum ipsi monasterio prefecimus in abbatem curam et administrationem eiusdem monasterii sibi tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo firma spe fiduciaque tenentes, quod actus suos et opera illius clemencia dirigente a quo universorum carismatum dona procedunt prelibato monasterio per ipsius abbatis curiosam solertiam suumque ministerium studiosum honoris et prosperitatis multiplicis votiva provenierit incrementa. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem abbatem et monasterium sibi commissum ob reverentiam apostolice sedis et nostram habens propensius commendatos te sibi reddas in regio favore munificum et in cunctis oportunitatibus gratiosum, ita quod idem abbas tue celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii possit assidue deo propitio prosperari ac tibi exinde a deo perhennis vite premium impendatur et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, IIII Nonas Maii, pontificatus nostri anno Octavo.

807

1324 maig 22, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha despatxat favorablement quasi totes les peticions de Domènec Biscarra, notari i missatger seu, i li dóna les gràcies per atendre el prec d'alliberar la galera carregada de mercaderies que capturaren als comerciants de la societat dels Acciouli de Florència.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 33, núm. 81.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 238, doc. 461.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostram nuper venientem presentiam dilectum filium Dominicum de Biscarra notarium et nuncium regium benigne recepimus et que pro parte regia proponere voluit audivimis et intelleximus diligenter, illas de petitionibus per eum nobis oblatis quas

FUNDACIÓ NOGUERA

honeste potuimus ad exauditionis gratiam favorabiliter admittendo. Ceterum dilecti filii societatis Azayolorum de Florentia mercatores et socii apud sedem apostolicam commorantes referre nobis gratis admodum relatibus curaverunt, quod quandam cocham eorum multis onustam mercibus dudum de mandato regio arrestatam ad nostrarum precum instantiam fecit regia magnificentia prompte et favorabiliter liberari, eandem magnificentiam apud nos multe laudis preconiis attollentes quod gratum accedit nostris affectibus plurimum et acceptum inde regalem excellentiam gratiarum actionibus uberibus prosequentes illamque rogantes attentius, quatinus statum suum quem audire gaudemus prosperum curet nobis sepius nunciare.

Dat. Avinione, XI Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Octavo.

808

1324 octubre 10, Avinyó

Joan XXII recomana al rei Jaume II d'Aragó el nou rei Jaume III de Mallorca, nebot del difunt Sanç, amb qui mantenia relacions molt cordials.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 82.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 238, doc. 462.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad ea fili carissime, te libenter inducimus et regium animum nostris precibus invitamus, que fame tue convenire conspicimus et honori. Eapropter carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem sanguinis tibi connexitate coniunctum regie benivolentie commendantes illum attentius deprecamur, quatinus affectione sincera quam inclite recordationis Santius rex Maioricarum patruus suus a te gerebat dum viveret et vinculo sanguinis quo tibi similiter iungebatur in considerationem adductis te prefato Iacobo regi dicti Santii nepoti et heredi exhibens pro nostra et apostolice sedis reverentia in regio favore munificum et in suis oportunitatibus gratiosum super hiis que tecum ratione dicti regni Maioricarum et aliarum terrarum suarum a te moventium habere noscitur expedire ipsum pertractare velit gratiose magnitudo regia et sublatis superfluis difficultatibus et curiosis ommissis subtilitatibus favorabiliter expedire. Ita quod idem rex ex adiectione precum nostrarum huiusmodi

FUNDACIÓ NOGUERA

optatum fructum assecutum se gaudeat et inde regalis magnificentia dignis in domino laudibus commendetur.

Dat. Avinione, VI Idus Octobris, pontificatus nostri anno Nono.

809

1324 novembre 14, Avinyó

Joan XXII anuncia al rei Jaume II d'Aragó que després de l'òbit del bisbe Martí d'Osca, el capítol, ignorant la reserva papal, ha elegit Bertran de Cornudella com a bisbe d'Osca, però ell ha anul·lat l'elecció tot nomenant Gastó (de Montcada), ardiaca de Barcelona i capellà seu. Li prega que el rebi favorablement, juntament amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 83.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 239, doc. 463.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gratie divine premium et preconium divine laudis acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim ecclesiarum cathedralium regimini presidentibus exhibeatur favor necessarius et honor debitus impendatur. Ecclesia siquidem Oscensis per obitum bone memorie Martini episcopi Oscensis qui pridem in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta cupientes regimini dicte ecclesie personam utilem per nostre solicitudinis studium presidere provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni nostre ac sedis apostolice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi nostre reservationis forsan ignari dilectum filium Bertrandum de Cornudella canonicum Oscensem de facto in Oscensem episcopum concorditer elegerunt, huiusmodi autem electionis negotio etiam per dictum canonicum ad audientiam nostram perlato, nos attendentes quod eadem electio post huiusmodi nostram reservationem et interpositionem decreti fuerat attemptata ipsam auctoritate apostolica prout erat decrevimus irritam et inanem, ac deinde attenta meditatione pensantes dispendia plurima que proveniunt ex vacatione longinqua ecclesiis pastoribus viduatis ac volentes eandem ecclesiam prout tenemur iuxta officii nostri debitum ab huiusmodi dispendiis preservare, post deliberationem quam ad deputandum ei-

FUNDACIÓ NOGUERA

dem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam, cuius industria prefata ecclesia in suis valeret iuribus adaugeri ac etiam defensari, cum fratribus nostris habuimus diligenter ad dilectum filium Gastonem electum Oscensem archidiaconum Barchinonensem capellanum nostrum in sacerdotio constitutum, cui litterarum scientia morum elegantia vite honestas aliaque dona virtutum sibi desuper concessarum laudabiliter suffragantur, direximus aciem mentis nostre, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona ipsius electi nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi suorum exigentiam meritorum accepta de ipsorum fratrum consilio eidem Oscensi ecclesie auctoritate apostolica duximus providendum ipsumque ipsi ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem sibi curam et administrationem ipsius tam in spiritualibus quam temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratiam et largitur premia confidentes, quod eadem ecclesia per ipsius electi circumspectionis industriam et providentiam circumspectam non solum preservabitur a noxiis verum etiam salubria in eisdem spiritualibus et temporalibus divina favente clementia suscipiet incrementa. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus dei ministros et presertim pontificali dignitate preditos benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, excellentiam regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eumdem electum et prefatam ecclesiam sue cure commissam pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius prosequendo ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem electus tue celsitudinis fultus auxilio in commisso sibi cure pastoralis officio possit deo propitio assidue prosperari ac tibi exinde a deo perempnis vite premium rependatur et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, XVIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Nono.

810

1324 novembre 19, Avinyó

Joan XXII mana a l'abat (Dalmau de Tresvalls) del monestir de Santa Maria de Roses, diòcesi de Girona, que cridi l'atenció a Arnau de Sapeira, Berenguer de Safranquesa, Vidal de Sapeira, Bernat Boadella, Pere Reverter, Simó Salena, Guillem Saquintaine i Pere de Safiguera, laics d'aquesta diòcesi, per tal que facin justícia a Berenguer de Castelldans, pobre i orfe de la diòcesi de Girona, a qui han molestat en les seves possessions i pels seus deutes. En cas contrari, després que hagi escoltat els interessats, li demana que sentenciï l'assumpte amb equitat.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 84.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 239, doc. 464.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. abbati monasterii beate Marie de Rosis Gerundensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis Berengarius de Castroasinorum pauper orphanus Gerundensis diocesis, quod Arnaldus dictus Sapeyra, Berengarius dictus Safranguesa, Vitalis dictus Sapeyra, Bernardus Boadelle, Petrus Ravererii, Symon Salenade, Guillermus Sagumtayne et Petrus dictus Safiguyera laici dicte diocesis super terris debitis possessionibus et rebus aliis iniuriantur eidem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus illos sub quorum iurisdictione iniuriatores ipsi consistunt attentius moneas, ut eidem pauperi super hiis exhiberi faciant iustitie complementum. Alioquin tu partibus convocatis audias causam et appellatione remota usuris cessantibus debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Nono.

811

1324 novembre 19, Avinyó

Joan XXII mana a l'abat (Dalmau de Tresvalls) del monestir de Santa Maria de Roses, diòcesi de Girona, que cridi l'atenció a Pere d'Estoles, Bernat de Mosquer, Pere Sabruguera, Pere Savinguera, Ramon Sapeira, Pere de Ferriol, Bernat Sapena i Ramon de Pinyol, laics d'aquesta diòcesi, per tal que facin justícia a Berenguer de Castelldans, pobre i orfe de la diòcesi de Girona, a qui han molestat en les seves possessions i pels seus deutes. En cas contrari, després que hagi escoltat els interessats, li demana que sentenciï l'assumpte amb equitat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 84 doble.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 239-240, doc. 465.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. abbati monasterii beate Marie de Rosis Gerundensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis Berengarius de

FUNDACIÓ NOGUERA

Castroasinorum pauper orphanus Gerundensis diocesis, quod Petrus Destolos, Bernardus de Mosquerio, Petrus Sabruguyera, Petrus Savinguyera, Raymundus Sapyera, Petrus de Ferrioli, Bernardus Sapenoleda et Raymundus de Pinoli laici dicte diocesis super terris debitis possessionibus et rebus aliis iniuriantur eidem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus illos sub quorum iurisdictione iniuriatores ipsi consistunt attentius moneas, ut eidem pauperi super hiis exhiberi faciant iustitie complementum. Alioquin tu partibus convocatis audias causam et appellatione remota usuris cessantibus debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Nono.

812

1324 novembre 20, Avinyó

Joan XXII respon al rei Jaume II d'Aragó sobre la seva petició a favor del bisbe Berenguer (de Guàrdia) de Vic per tal que l'autoritzi a visitar la diòcesi mitjançant un representant, sense deixar de percebre les procuracions, atès el seu delicat estat de salut. Li diu que, en cas d'impossibilitat física per efectuar-la, no necessita cap dispensa i que, en cas contrari, mai no ha concedit tal gràcia, ni a les seves persones properes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 85.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 240, doc. 466.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatis regie litteras per quas venerabili fratri nostro Berengario episcopo Vicensi suas civitatem et diocesim visitandi per alium a nobis concedi licentiam instantia regia supplicavit, solita benignitate recepimus et que continebantur in eis pleno collegimus intellectu. Sane fili carissime cum episcopis impeditis liceat per alium suas civitates et dioceses facere visitari quamvis procurationes ex causa visitationis huiusmodi recipere non debeant, sed solum personis visitantibus est a personis et locis visitatis in necessariis sicut a iure conceditur providendum, non eget memoratus episcopus si sit impe-

FUNDACIÓ NOGUERA

ditus quo ad visitationis impendendum officium licentia postulata. Verum quia super receptione procurationum in absentia cuiquam presuli quantacumque nobis familiaritates coniuncto non consuevimus gratiam impertiri, nos intendentes prefatum episcopum tam regie considerationis intuitu quam suorum meritorum obtentu super aliis favorabiliter prosequi, habeat regalis providentia quesumus excusatos.

Dat. Avinione, XII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Nono.

813

1324 novembre 20, Avinyó

Joan XXII atorga al rei Jaume II d'Aragó, a petició pròpia, presentada a través del seu missatger l'infant Pere, comte de Ribagorça, i pel període d'un bienni, la dècima dels béns eclesiàstics, en atenció a les despeses fetes per la conquesta de Sardenya.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 86.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 240-241, doc. 467.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad ecclesias et personas ecclesiasticas regni tui, quas ob illius reverentiam per quem regnas et regeris benigne sicut habet communis opinio consuevit regia magnificentia confovere, tanto debet fili carissime favor tuus exuberare prestantius quanto illas in tuis relevandis necessitatibus reperis promptiores. Sane dilecto filio nobili viro Petro comite Ripacurtie nato et nuntio tuo nuper ad nostram presentiam destinato profluvia gravium expensarum, quas ratione acquisitionis regni Sardinie te subire oportuit tuasque necessitates alias exponente ac pro parte tua nobis humiliter supplicante, ut tibi decimam proventuum ecclesiasticorum regnorum et terrarum tuorum usque ad certum tempus concedere in relevationem expensarum et necessitatum huiusmodi dignaremur. Nos ex premissis et aliis causis rationabilibus que ad id nostrum animum induxerunt, licet non ignoremus easdem ecclesias et personas multis aliis quasi importabilibus oneribus pregravatas prefatam decimam certis levandam terminis usque ad biennium in predictarum expensarum et necessitatum subsidium tibi duximus de speciali gratia concedendam, sicut in litteris nostris confectis super hoc plenius continetur. Quocirca providentiam regiam rogamus attentius et hortamur, quatinus multiplicia onera que

FUNDACIÓ NOGUERA

ipsis ecclesiis et personis hactenus fore imposita cogente necessitate noscuntur, super quibus non immerito sibi compatimur, consideranter attendens concessionem predictam gratanter suscipias et ecclesias ac personas easdem sic favorabiliter pro nostra et apostolice sedis reverentia etiam gratitudinis debito suadente ab eis nulla alia onerosa subsidia exigendo aut eis per te vel gentes tuas gravamina quomodolibet inferendo pertractes, quod onus huiusmodi possint portare suavius tuque dignis commendari laudum preconiis apud deum et sedem apostolicam merearis.

Dat. Avinione, XII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Nono.

814

1324 novembre 20, Avinyó

Joan XXII respon al rei Jaume II d'Aragó sobre la seva petició feta mitjançant l'infant Pere, comte de Ribagorça, missatger seu, que li siguin rebaixats a la meitat i ajornats per un decenni el pagament del cens i el servei militar convinguts pel vassallatge de Sardenya. El cens estipulat eren dues mil marques esterlines d'argent, pagadores anualment el dia de Sant Pere, i el servei que s'havia de prestar a Itàlia durant un trimestre cada any, era de cent cavallers i cinc-cents infants, cent dels quals havien d'ésser ballesters, servei que podia ser commutat a voluntat de la Seu Apostòlica pel de cinc galeres degudament equipades amb soldats i armes. Accedeix a la reducció sol·licitada, durant el primer decenni.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 87.
a Butlla amb fil de cànem.
b RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, XV, p. 289-290, cap. 36.
c FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 465-467, doc. 213 (en part).
d BAUMGARTEN, *Camera Collegii Cardinalium*, p. 145-146, doc. 222.
e MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 241-242, doc. 468.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostram nuper accedens presentiam dilectus filius nobilis vir Petrus infans natus tuus comes Ripacurcie sub commissa sibi per litteras regias, quas nobis presentavit, credentia pro parte tue celsitudinis prudenter exposuit coram nobis, quod tu fili carissime ac heredes tui pro regno Sardinie et Corsice, quod felicis recordationis Bonifatius papa VIII predecessor noster tibi et eisdem heredibus do-

FUNDACIÓ NOGUERA

navit de fratrum suorum tunc sancte Romane ecclesie cardinalium consilio et concessit, ab eadem ecclesia et Romanis pontificibus in perpetuum tenendum feudum sub homagio ligio et pleno vassalagio ac fidelitatis debito iuramento aliisque pactis et conditionibus in eiusdem predecessoris litteris expressis plenius et contentis, ad censum annuum duorum milium Marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum, in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum Romano pontifici ubicunque fuerit et Romane ecclesie annis singulis solvendorum ac militare prestandum servicium, centum videlicet equitum, cum uno equo ad arma et duabus equitaturis adminus pro quolibet ac quingentorum peditum armatorum, quorum centum existant balistarii sufficienter muniti, qui nostris sumptibus infra Italiam semel in anno, quandocunque predicta indigebit ecclesia per trimestris temporis spatium a die, qua terram intrabunt computandi, servire debeant ecclesie prelibate, mutandi nichilominus huiusmodi servicium in stolio galearum seu vasorum maritimorum, dando per te et heredes eosdem quinque galeas armatas et munitas infra maritimam Italie, dictis sumptibus per tempus predictum tenendas, ac milites et pedites vel galearum ipsarum stolium ultra tempus retinendi predictum similibus gagiis ad expensas ecclesie Romani pontificis pro sue voluntatis arbitrio libera potestate retenta, sicut in eisdem litteris plenius et seriosius continetur, existere noscimini efficaciter obligati. Cum autem predicti regni non absque gravi discrimine tue gentis et importabili tibi profluvio expensarii per te noviter acquisiti, redditus et proventus adeo, sicut asseruit dictus comes, reperias tenues et exiles, quod ultra necessarias expensas faciendas ibidem parum aut nichil quo adpresens tibi poterit superesse de illis, nec speres etiam, quod tantum infuturum valeant, quantum valere predicte concessionis tempore credebantur reputaresque propter hoc non leviter te gravatum, si pro dicto regno tu et heredes predicti singulis annis solvere teneremini tantum censum, prefatus comes natus tuus tuo nomine nobis humiliter supplicavit, ut tibi super expensarum oneribus, que te subire oportuit pro regni acquisitione predicti et aliis predictis per eum propositis benigno compatientes affectu, duorum milium Marcharum summam pro censu debitorum predicto ad quingentas Marchas reducere ac residuum dicti census predictique militaris servicii medietatem tibi et eisdem tuis heredibus remittere imperpetuum quodque tu et dilectus filius nobilis vir Alfonsus primogenitus tuus, censum quingentarum Marcharum huiusmodi seu eius partem non teneremini solvere, dum vivetis, nec usque ad decem annos prestare huiusmodi militare servicium vel galearum stolium vobis in dictarum expensarum relevamen et subsidium de benignitate solita concedere dignaremur. Et licet predicta petitio, quam diligenter audivimus, nobis

FUNDACIÓ NOGUERA

et fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus, cum quibus plene deliberavimus super ea, grandem ingesserit velut insolita et alias inaudita materiam admirandi, cum non legerimus nec sciverimus, quod unquam per aliquem predecessorum nostrorum Romanorum pontificum cuiquam persone de censu ecclesie debito aliqua fuerit in toto seu in parta facta remissio in perpetuum vel ad tempus, quanquam ex causis interdum legitimis aliquibus fuerint solutionem termini prorogati. Certum est enim quod clare memorie Carolus primus rex Sicilie non sine multa effusione sanguinis et excessiva expensarum magnitudine regno Sicilie de manibus inimicorum ecclesie potenter erepto ad octo milia unciarum de censu annuo pro dicto regno, de quo satis modicus census antea debebatur, semper ecclesie memorate solvenda se ac heredes suos efficaciter obligavit, de qua summa tam ipse quam heredes predicti satisfecerunt statutis terminis usque modo vel super solutione ipsius certis et iustis causis prorogationem impetrarunt aliquotiens, inde tamen sibi nulla facta remissione in perpetuum vel ad tempus, et etiam non obstante quod adpresens per alios magna pars regni detineatur predicti, tamen ex sincere dilectionis affectu, quo te dictumque comitem supplicantem et domum tuam regiam prosequimur in visceribus caritatis, volentes super hiis que secundum deum possumus, tuam celsitudinem prosequi gratiose, eidem comiti de dictorum fratrum consilio duximus offerendum, nos medietatem duorum milium Marcharum census et militaris servicii predictorum usque ad decem annos proxime venturos, nullo tamen pacto nullaque conventione astricti, sed de nostra mera liberalitate et gratia spetiali tibi tuisque heredibus in dictarum expensarum suffragium remissuros, dummodo comes predictus recognoscendi nobis et ecclesie Romane totum censum et militare servicium supradictam sub modis formis et conditionibus contentis in litteris super dicta donatione confectis et recipiendi dictam gratiam tuo nomine ac ipsius expresse consentiendi esset suffultus sufficienti regia potestate. Adiecto tamen quod si tu et heredes predicti in solutione residuarum mille Marcharum in dicto termino festi beatorum Petri et Pauli apostolorum facienda forsitan cessaretis, remissio, que de illis mille Marchis facta esset, tam pro illo anno, quo cessatum fuisset a solutione predicta, quam pro toto residuo temporis dictorum decem annorum, haberetur penitus pro non facta quodque per premissa pactis conventionibus et obligationibus predictis inter eandem Romanam ecclesiam et te factis et stabilitis non derogaretur in aliquo quin potius in suo robore et efficacia permanerent. Verum prefatus comes audita oblatione predicta et cum suo consilio deliberatione habita super ea se non habere respondit super hoc potestatem, sed ipsam gratiam non respuens nec admittens, ut tuam in hac parte posset consulere providentiam, per nos

FUNDACIÓ NOGUERA

sibi petiit indulgeri, quod utique nobis gratum extitit et acceptum. Super quibus fili dilectissime provide prospicias, quid agendum, nos enim que sibi obtulimus, sub modis conditionibus et forma predictis sumus adimplere parati. Ceterum ad hoc quod ulterius de gravamine census et minori valore regni predictorum eadem petitio continebat, de dictorum fratrum consilio duximus respondendum, quod licet pro tempore isto acquisitionis tam nove futuri terrarum regni predicti redditus nequeant extimari, cum in novitate tanta multa expendere oporteat, de quibus non erit necessarium in futurum, intendimus tamen prius informatione super hiis habita diligenti cum eisdem fratribus oportuno tempore ordinare, quod in hac parte fieri honeste poterit et debebit.

Dat. Avinione, XII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Nono.

815

1324 desembre 4, Avinyó

Joan XXII confirma al bisbe Ramon (Trebailla), al degà i al capítol de l'església d'Urgell el pagament de tres-centes vuitanta-quatre lliures, set sous i sis diners barcelonesos de la dècima, segons la disposició del Concili de Viena, de les mans de Bernat Babot de Santa Esperia, precentor, i d'Arnau de Nanso, canonge d'Urgell, a la Cambra Apostòlica, en concepte del prèstec per l'adquisició dels llocs i castells de Llordà i d'Isona de la diòcesi d'Urgell.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla amb fil de cànem.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Raymundo episcopo et dilectis filiis .. decano ac capitulo Urgellensibus salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte vestra fuit expositum coram nobis quod nos dudum vestris supplicationibus inclinati, quatuor milia librarum Barchinonensium de pecunia decime sexennalis olim per felicis recordationis Clementem papam V predecessorem nostrum imposite in concilio Viennensi[12] pro subsidio Terre sancte et alias contra inimicos et rebelles catholice fidei expendenda in civitate et diocesi Urgellensi collecta vobis pro acquisitione castrorum Lordani et Ysone Urgellensis diocesis fecimus mutuari vosque huiusmodi pecunie

12. "Redemptor noster", 1 de desembre de 1312, *Regestum Clementis V*, VIII, p. 412-416, doc. 9983; ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 350-356.

FUNDACIÓ NOGUERA

summam nostre camere solvere certis statutis terminis sub certis penis pactis et conditionibus promisistis. Verum cum trecentas octuaginta quatuor libras septem solidos et sex denarios Barchinonenses de dicta quatuor milia librarum summa restantes ad solvendum in trecentis viginti quatuor agnis auri quolibet pro viginti solidis et septuaginta uno florenis auri singulis pro decem septem solidis Barchinonensibus computatis ac sex denariis Turonensibus parvorum per manus dilectorum filiorum magistri Bernardi Baboti de Sancta Speria precentoris et Arnaldi de Nanso canonici ecclesie Urgellensis die date presentium prefate camere duxeritis assignandos. Nos volentes super hiis vestris indempnitatibus precavere recognoscimus et fatemur vos trecentas octuaginta quatuor libras septem solidos et sex denarios Barchinonenses in dictis agnis et florenis auri ac Turonensibus parvis ut premittitur computatis prefate camere assignasse, de quibus vos et ecclesiam predictam ac omnia bona vestra imperpetuum absolvimus et quitamus, et insuper interdictum cui predicta ecclesia Urgellensis ex eo quod summam huiusmodi statuto non solvistis termino, sicut accepimus, subiacebat, tenore presentium relaxamus.

Dat. Avinione, II Nonas Decembris, pontificatus nostri anno Nono.

816

1324 desembre 18, Avinyó

Joan XXII expressa al rei Jaume II d'Aragó elogis sobre els dots personals de l'infant Pere, comte de Ribagorça, demostrats durant l'ambaixada a la Seu Apostòlica, i li prega que no desatengui la invitació a la pau amb Jaume III de Mallorca que li adreça a través de l'infant.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 92.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 243, doc. 472.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Si multiplicata in te fili carissime tui beneficia redemptoris scrutinio solerti recenseas, habes proculdubio inter cetera unde sibi spetialiter ad gratiarum actiones in hoc presertim assurgas, quod dilecto filio nobili viro Petro infanti nato tuo comiti Ripacurcie adolescenti et etatis tam tenere discretionem talem ac eloquentiam et gratiam tribuit abundanter, quod talia negotia qualia sibi fuere a tua sublimitate commissa tam diserte proponere sciverit et exequi tam prudenter, cuius annos in prosperitate bona produci desideranter

FUNDACIÓ NOGUERA

appetimus, sperantes illos ipsum expendere ad utilitatem rei publice ac dei gloriam et honorem, quem ex superabundanti regie benivolentie attentius commendamus, et quia sibi circa negotium carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris, quod per viam tractatus amicabilis cupimus terminari aliqua exponenda circumspectioni regie duximus imponenda, regalem excellentiam deprecamur, quatinus ipsum benigne audiat et audita favorabiliter ad exauditionis gratiam introducat.

Dat. Avinione, XV Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Nono.

817

1324 desembre 31, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que empari i afavoreixi Hug de Mirabell, prevere de Mende (Losera), i Bernat de Sant Mauric, precentor de les esglésies d'Auxerre, i qualsevol altre dels col·lectors de la dècima sexennal pel subsidi a Terra Santa, acordada al Concili de Viena, i que col·loqui en lloc segur allò recol·lectat, fins que la Seu Apostòlica disposi la forma d'inversió.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 93.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 243-244, doc. 473.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Infusum esse a deo fili carissime credimus cordi tuo, quod sic deum et sanctam Romanam ecclesiam matrem tuam velis in omnibus revereri ut ea que suis beneplacitis et commodis oportuna cognoveris affectu benivolo prosequaris. Cum itaque pecuniam decime sexennalis per felicis recordationis Clementem papam V predecessorem nostrum dudum imposite in concilio Viennensi[13] pro subsidio Terresancte et alias contra inimicos et rebelles catholice fidei dispensandam in partibus regnorum et terrarum tuorum collectam velimus colligi et levari ac in tuto loco fideliter conservari, ut de illa pro dicto subsidio possit liberius quod expediens videbitur ordinari. Serenitatem rogamus regiam attentius et hortamur, quatinus dilectis filiis Hugoni de Mirabello preposito Mimatensis et Bernardo de

13. "Redemptor noster", 1 de desembre de 1312, *Regestum Clementis V*, VIII, p. 412-416, doc. 9983; ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 350-356.

FUNDACIÓ NOGUERA

Sanctomauricio precentori Autisiodorensis ecclesiarum et eorum cuilibet, quos collectores eiusdem pecunie per alias nostras certi tenoris litteras deputavimus, sic pro nostra et eiusdem sedis reverentia velis super predictis assistere auxiliis et favoribus oportunis, quod preter retributionis eterni premium nostram et eiusdem sedis benedictionem et gratiam valeas uberius promereri.

Dat. Avinione, II Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Nono.

818

1325 gener 12, Avinyó

Joan XXII comunica a l'infant Alfons, fill del rei Jaume II d'Aragó, comte d'Urgell, que procurarà atendre els seus precs a favor d'Egidi Alnar, per qui sol·licita una canongia i una prebenda eclesiàstica a l'església de Toledo.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 95.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 244, doc. 474.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Alfonso infanti carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris primogenito comiti Urgellensi salutem et apostolicam benedictionem. Nobilitatis tue quodammodo inculcatoriis litteris per nos solita benignitate receptis ad petita nuperrime tibi fili sufficere potuit datum missis per te antea litteris nostre responsionis eloquium qualiter tunc vacanti Tirasonensi ecclesie prefecimus alium quam electum. Quare cum beneficia ipsius electi sic precise vacare non possint et ante receptionem litterarum huiusmodi reservassemus ea de nonnullis ipsorum in casu quo illa vacare contigerit, iam duximus ordinandum. Verum nolentes in hac parte fili tue supplicationis instantiam a paterne gremio exauditionis excludi, super canonicatu et prebenda ecclesie Toletane conferendis dilecto filio Egidio Alnari pro quo supplicasse dinosceris, placere intendimus tuis affectibus loco et tempore oportunis.

Dat. Avinione, II Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Nono.

FUNDACIÓ NOGUERA

819

1325 gener 25, Avinyó

Joan XXII mana als bisbes de Vic (Berenguer de Guàrdia) i de Barcelona (Ponç de Gualba), i a l'ardiaca de Vic que citin l'abat Ponç del monestir de Ripoll de l'orde de sant Benet, diòcesi de Vic, a presentar-se davant del papa al cap de trenta dies després d'aquesta citació per informar-se sobre la posició i les condicions del priorat de Santa Maria de Montserrat, subjecte a aquest monestir.

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 10-1, s/n.
a Butlla amb fil de cànem.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, V, p. 298, doc. 21460.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. Vicensi et .. Barchinonensi episcopis et dilecto filio .. archidiacono Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum ex iniuncte nobis apostolice servitutis officio solicitudo ecclesiarum et monasteriorum omnium nobis immineat generalis circa illa tamen que immediate sedi apostolice sunt subiecta nos decet illius provisionis remedium adhibere, per quod vitatis eorum dispendiis in statu prospero conserventur. Nuper siquidem de statu monasterii de Rivopullo ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti Vicensis diocesis quedam nostro apostolatui relata fuere super quibus necnon de prioratus beate Marie de Monteserrato dicto monasterio immediate subiecti ordinis et diocesis predictorum statu et conditionibus volumus diligentius informari. Cum autem pro habenda informatione huiusmodi presentiam dilecti filii Pontii abbatis ipsius monasterii nobis admodum oportunam fore credamus, discretioni vestre in virtute obedientie sub excommunicationis pena quam quemlibet vestrum qui super hoc fuerit requisitus ipso facto incurrere volumus, nisi presens mandatum nostrum efficaciter curaverit adimplere, per apostolica scripta districte precipiendo mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios eundem abbatem peremptorie ex parte nostra citetis, ut infra triginta dierum spatium post citationem vestram huiusmodi nostro conspectui personaliter se presentet nostris et apostolice sedis mandatis et beneplacitis humiliter et efficaciter pariturus. Diem vero huiusmodi citationis et formam et quecumque in premissis duxeritis facienda, nobis per vestras litteras seu per publicum instrumentum harum seriem continentia fideliter intimare curetis.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Nono.

FUNDACIÓ NOGUERA

820

1325 febrer 5, Avinyó

Joan XXII confirma al capítol de l'església de Vic que Berenguer (de Guàrdia), bisbe d'aquesta diòcesi, ha ordenat la distribució dels rèdits i productes de la mensa episcopal.

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 37-1-10.
a Butlla amb fil de seda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, V, p. 303, doc. 21507.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis capitulo ecclesie Vicensis salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quem ad nos et apostolicam sedem habere noscimini, promeretur ut petitionibus vestris in hiis presertim que divini cultus augmentum respiciunt favorabiliter annuamus. Porrecte siquidem nobis vestre petitionis series continebat quod venerabilis frater noster Berengarius episcopus Vicensis zelo devotionis accensus de redditibus et proventibus episcopalis mense sue pro quinquagintauna lampadibus, que ante altare beatorum apostolorum Petri et Pauli situm in ecclesia Vicensi que ipsorum apostolorum est vocabulo insignita ardeant perpetuo triginta libras parvorum Barchinonensium et pro augmento vestiarii canonicorum eiusdem ecclesie pro quo cuilibet canonicorum ipsorum quadraginta solidi consueverunt annis singulis exhiberi quadraginta libras eiusdem monete vestro ad id accedente consensu annis singulis deputavit necnon et de aliis bonis suis que ad mensam non pertinent supradictam, sed ad eum ratione persone sue spectare noscuntur certos redditus assignavit pro duobus presbiteris, uno videlicet in eadem ecclesia et altero in capella sui episcopalis palatii perpetuo in divinis officiis servituris ac pro sex anniversariis annis singulis in eadem ecclesia perpetuo faciendis. Quare pro parte vestra nobis extitit humiliter supplicatum, ut super hiis confirmationis nostre robur addicere dignaremur. Nos itaque qui multipliciter in divini cultus augmento et cunctis caritatis operibus delectamur, vestris in hac parte supplicationibus inclinati, quod per dictum episcopum super hiis factum est ratum habentes et gratum illud auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Februarii, pontificatus nostri anno Nono.

FUNDACIÓ NOGUERA

821

1325 febrer 10, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que per recomanació d'Ameli de Baus i Joan d'Aquablanca, missatgers de Sança, reina de Sicília, els rebi perquè van a entrevistar-se amb ell per l'assumpte del rei Jaume III de Mallorca. No dubta que els rebrà benèvolament, com ho manifesten les bones disposicions amb què acollí les seves primeres lletres i la resposta amistosa donada a Bernat Jordà, senyor d'Illa.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 94.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 244-245, doc. 475.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Super negociis carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris alias tibi carissime fili scripsisse recolimus et quia super illis dilecto filio nobili viro Bernardo Iordani domino Insule prout fida insinuatione didicimus dedisti gratum pro spiritualis patris affectione responsum, benivolentiam regiam inde commendamus in domino cum actione multiplici gratiarum rogantes excellentiam regiam et hortantes attente, quatinus in huiusmodi tue respontionis effectu et dispositione persistens dilectos filios nobiles viros Amelium de Bautio et Iohannem de Aquablanca carissime in Christo filie nostre Sancie regine Sicilie illustris nuncios presenciam regiam super ipsis negociis adeuntes pro reverencia nostra et apostolice sedis ac honore prefate regine sicut decet honoranter suscipias et benigne pertractes sicque ipsos pacienter alias audias et libenter eos quantum cum deo bono modo licuerit exaudias in petitis quod ipsi gratis relatibus referant se a magnificentia regia detulisse, quod cupiunt et quod ipsius regine nec minus et nostra in hac parte vota compleveris non sine amplo famine preconii regii probabiliter attesteris.

Dat. Avinione, IIII Idus Februarii, pontificatus nostri anno Nono.

822

1325 març 22, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que desisteixi dels seus propòsits de donar suport al rei Frederic II de Trinàcria, entre altres raons perquè el rei Robert de Sicília (Nàpols) podia haver-li posat dificultats en l'assumpte de Sardenya i no ho va fer. Sembla que el pla de Jaume II

FUNDACIÓ NOGUERA

d'Aragó era que Alfons, comte d'Urgell, passés a Sardenya amb una flota de vint galeres i sis naus, i d'allí a Sicília, per negociar la pau o almenys una llarga treva entre ambdós reis, i en cas de fracassar en l'intent, declarar-se a favor de Frederic.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 96.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 245, doc. 476.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostrum nuper insinuatio fidedigna perduxit auditum, quod tu fili carissime viginti galearum et sex navium stolium ordinare, cum quibus dilectus filius nobilis vir Alfonsus primogenitus tuus comes Urgellensis primo in Sardiniam ac deinde sub spe pacis inter inclitos principes Robertum Sicilie et Fredericum Trinaclie reges reformande ad regnum Sicilie proficisci dictumque stolium nisi ad pacis huiusmodi reformationem valeret pertingere vel saltem treugam prolixi temporis inter eos obtinere in prefati regis Trinaclie subsidium convertere debeat, intendebas. Quantum autem ex hoc si veritate quod difficile nobis est credere, niteretur deum et sedem apostolicam dictumque regem Sicilie qui hoc nequaquam demeruit, offenderes tuam credimus prudentiam non latere. Quocirca circumspectionem regiam rogamus attente, quatinus premissa necnon quod rex ipse Sicilie quamvis prestitisse impedimenta multiplicia in facto Sardinie potuisset, hoc tamen attemptare noluit consideranter attendens velit regalis sublimitas a tam pernicioso contra ipsum impendendo subsidio quod in tui honoris et fame redundaret dispendium penitus abstinere.

Dat. Avinione, XI Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Nono.

823

1325 maig 13, Avinyó

Joan XXII comunica al capítol de l'església de Tortosa que els béns mobles de Bernat Barberà, prior major d'aquesta església, després de la seva mort siguin assignats a la Cambra Apostòlica sense que sigui un perjudici per als estatuts i costums d'aquesta església.

A Tortosa, Arxiu Capitular, Comú del Bisbe, núm. 10.
a Butlla amb fil de cànem.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. capitulo ecclesie Dertusensis salutem et apostolicam benedictionem.

FUNDACIÓ NOGUERA

Licet certis ex causis bona mobilia quondam Bernardi de Barbarano maioris prioris vestre ecclesie Dertusensis quorum dispositionem nobis reservavimus per certas personas ad hoc per nostras litteras deputatas exigi nostro nomine mandaverimus et nostre camere assignari, volumus tamen vobisque concedimus quod statutis et consuetudinibus vestris et eiusdem ecclesie Dertusensis propter hoc nullatenus imposterum derogetur sed potius quod ad alia in sua firmitate persistant.

Dat. Avinione, III Idus Maii, pontificatus nostri anno Nono.

824

1325 maig 14, Avinyó

Joan XXII dóna gràcies al rei Jaume II d'Aragó per la bona acollida dispensada als seus legats Hug de Mirabell, prevere de Mende (Losera), i Bernat de Sant Maurici, preceptor de les esglésies d'Auxerre, i li prega que els autoritzi per a la "dita" en or o argent, prohibida a Barcelona per llei general, a fi d'evitar l'evasió de capitals.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 97.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 245-246, doc. 477.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum Hugonis de Mirabello prepositi Mimatensis ac Bernardi de Sanctomauricio precentoris Autisiodorensis ecclesiarum apostolice sedis nunciorum grata nuper insinuatione percepimus, quod eis a tua sublimitate pro nostra et eiusdem sedis reverentia favorabiliter et graciose admissis ut possent cambium sive dictam ut vulgari utamur illarum parcium cum quocunque facere per litteras regias concessisti, super quo magnificentie regie graciarum exolvimus uberes actiones. Verum fili carissime postmodum intellecto quod ex parte tua in civitate Barchinonensi nullus mercator seu cambiator sub pena corporis et bonorum auderet dictam vel cambium in auro vel argento facere reddendum extra regnum aliqualiter prohibitio precesserat generalis, exellentiam regiam attentius deprecamur, quatinus favorem inceptum erga dictos nuntios immo nos et ecclesiam Romanam in ipsis exuberando continuans dictam prehibitionem quantum ad eosdem nuntios et mercatores seu cambiatores, qui cum ipsis facient cambium sive dictam sic velit regia providentia relaxare, quod iidem nuncii negocia sibi commissa utiliter expedire valeant nosque proinde regie magnitudini ad graciarum actiones uberes teneamur.

Dat. Avinione, II Idus Maii, pontificatus nostri anno Nono.

FUNDACIÓ PATRIMONIA

825

1325 juny 29, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, fets efectius per Garcia de Castro i Guillem de Muntanyola, procuradors reials, lliurats a favor de Jaume II, com a cens corresponent a la primera anualitat pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 99.
a Butlla amb fil de cànem.
b BAUMGARTEN, *Camera Collegii Cardinalium*, p. 146-147, doc. 224.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 246, doc. 478.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 186, doc. 5432.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro regno Sardinie et Corsice, quod dudum tibi felicis recordationis Bonifacius papa VIII predecessor noster de consilio fratrum suorum tunc sancte Romane ecclesie cardinalium sub homagio ligio ac pleno vassallagio fidelitatisque iuramento aliisque pactis formis et conditionibus certisque serviciis et censu annuo duarum milium Marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo apostolorum sanctorum Petri et Pauli .. Romano pontifici ubicunque fuerit et eidem Romane ecclesie annis singulis per te solvendorum concessit, in presenti festo eorundem apostolorum esses ad dictum censum solvendum astrictus, nosque tuis supplicationibus inclinati, medietatem dicti census usque ad decem annos proximo venturos de nostra mera liberalitate et speciali gratia sub certis modis et formis de fratrum nostrorum consilio duximus remittendam, sicut in instrumentis confectis super hoc plenius continetur, tu volens de medietate alia dicti census nobis et eidem ecclesie satisfacere, ut teneris, mille Marchas argenti dictorum Sterlingorum per manus dilectorum filiorum Garcie de Castro et Guillermi de Montanhola portariorum et procuratorum tuorum pro termino presentis festi predicti nostre fecisti camere die dat. presentium assignari. Nos autem tuis et heredum tuorum indempnitatibus precavere super hiis cupientes recognoscimus et fatemur, te per manus dictorum procuratorum tuorum dictas mille Marchas Sterlingorum argenti pro medietate dicti census in eodem termino debiti memorate camere assignasse, de quibus mille marchis sic solutis te ac dictos heredes et bona tua imperpetuum absolvimus et quitamus.

Dat. Avinione, III Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Nono.

FUNDACIÓ NOGUERA

826

1325 juliol 23, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó l'assumpte sobre les peticions fetes per Bernat de Boixadors, cavaller, ambaixador i missatger de l'infant Alfons, comte d'Urgell, de les quals ha desestimat la pròrroga de la dècima per un any i la nova reducció del cens de Sardenya, però, en canvi, ha condonat la meitat del préstec, fet a l'infant Pere, de set mil cinc-centes lliures torneses. La solució donada a les altres peticions les hi comunica mitjançant el seu legat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 34, núm. 100.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 246-247, doc. 479.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pridem ad nostram veniens presentiam dilectus filius nobilis vir Bernardus de Boxados miles tue celsitudinis et dilecti filii nobilis viri Alfonsi primogeniti tui comitis Urgellensis ambassiator et nuntius nobis tuas et eiusdem primogeniti litteras de credentia presentavit, quos quidem nuntium et litteras benigne consideratione mittentium et ipsius missi probitatis obtentu recepimus et ea que sub commissa sibi credentia pro parte regia et eiusdem primogeniti curavit nobis exponere intelleximus diligenter. Postposuit namque primo et petiit prudenter et provide nuntius prelibatus, quod cum te ac eundem primogenitum pro aquisitione regni Sardinie Romane ecclesie feudalis longe maiores sumptus quam credieretis ab initio subire oportuerit, pro quibus vos esse asseruit mole debitorum plurium pregravatos decimam unius anni preter biennalem quam tibi dudum concessimus in relevationem onerum huiusmodi tibi et eidem primogenito concedere dignaremur. Subiungens insuper nichilominus nuntius antedictus quod pro dictis sumptibus ministrandis nonnullas pecuniarum summas te ipsumque primogenitum a diversis personis presertim prelatis regni et terrarum tuorum oportuit recipere mutuo, pro quibus certis terminis exolvendis multa castra et fortalicia tua prelatis eisdem nomine pignoris sub pacto quod nisi terminis statutis eis de summis mutuatis satisfieret, dicta castra et fortalicia in solutum eis cederent tradidistis. Verum cum ex hoc probabiliter timeatis vobis periculum imminere, pro parte vestra nobis prelibatus nuntius supplicavit, ut de pecunia decime sexennalis olim pro subsidio Terresancte imposite in concilio Viennensi[14] in regnis et terris predictis collecta usque ad quantitatem

14. "Redemptor noster", 1 de desembre de 1312, *Regestum Clementis V*, VIII, p. 412-416, doc. 9983; ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 350-356.

triginta milium librarum Turonensium, que de decima biennali predicta per nos dudum ut premittitur tibi concessa nostre persolvatur camere mutuum fieri, etiam non obstante quod eisdem prelatis esset interim de predictis contractis debitis in toto vel in parte satisfactum forsitan mandaremus. Petiit etiam postremo nuntius memoratus ut septem milia et quingentas libras Barchinonenses, in quibus nobis et nostre camere dilectus filius nobilis vir Petrus infans natus tuus comes Ripacurcie teneri ex causa mutui noscitur quasque de predicta decima biennali retineri pro eodem comite mandavimus eidem Alfonso primogenito pro dictis facilius supportandis oneribus per nos concedi et donari de gratia speciali. Et licet prelibatus nuntius velut vir circumspectus et prudens negotium huiusmodi necnon remissionem tibi de medietate census et servitii pro dicto regno Sardinie per te nobis et eidem Romane ecclesie debiti usque ad certi temporis spatium faciendam diligenter et sedule fuerit prosecutus, nos tamen aliis arduis undique confluentibus negotiis multipliciter occupati sibi super predictis respondere commode nequivimus usque modo. Nunc autem oportunitate captata et super premissis deliberatione prehabita pleniori prefato nuntio duximus ut sequitur respondendum, videlicet quod super ampliori decima concedenda et remissione ulteriori predictorum census et servitii facienda responderi aliud non poterat, nisi quod alias fuerat in hac parte responsum. Super aliis vero predictis petitionibus nos tuis et eiusdem primogeniti votis annuere quantum cum deo poterimus et nostra patietur decentia cupientes tibi fili carissime ac eidem primogenito per certam personam quam destinare in proximo ad tuam et ipsius presentiam specialiter intendimus taliter disponimus concedente domino respondere, quod inde debebitis merito contentari, prefatum nuntium quem super mora diutius contracta in curia probabiliter excusamus regie benivolentie propensius commendantes.

Dat. Avinione, X Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Nono.

827

1325 octubre 17, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó la seva alegria per haver resolt la dissensió amb Jaume III de Mallorca i li notifica que retarda la concessió de la dispensa fins a la data assenyalada.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 102.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 247, doc. 480.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quia desiderium si compleatur delectat animam sapiente testante sublata materia, que causam dissidii inter regalem tuam magnificentiam et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem poterat ministrare non indigne nobis, cuius desideriis sublatio predicta intensius insidebat causam delectationis et gaudii ministravit. A dispensatione autem de qua in litteris regiis fiebat mentio, abstinere intendimus usque ad triennium postulatum.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Decimo.

828

1326 gener 3, Avinyó

Joan XXII comunica al bisbe de Lleida (Ramon d'Avinyó) que autoritzi els rectors de les esglésies parroquials de la seva diòcesi poder conferir els sagraments del baptisme i del matrimoni, fins ara reservats a l'església catedralícia.

A Lleida, Arxiu Municipal, Fons Municipal, Pergamí núm. 271.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, II, p. 70, doc. 24064.
c ENJUANES i altres, *Catàleg de l'Arxiu Municipal de Lleida*, p. 81, doc. 112.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Ilerdensi salutem et apostolicam benedictionem. Significavit nobis dilectus filius nobilis vir Petrus infans carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris filius, quod dudum ad audientiam nostram deducto quod quidam episcopus qui fuerat pro tempore et capitulum Ilerdenses statuerunt, quod nuptiarum benedictio et baptismatis collatio fierent solum in cathedrali ecclesia Ilerdensi que est in montis celsitudine situata iuramento firmando nemini, quod hec alibi fierent se licentiam concessuros et quod dilecti filii universitas civitatis Ilerdensis pericula que propterea hucusque contigerant attendentes litteras nostras ad dilectos filios .. priorem Predicatorum et .. guardianum Minorum fratrum ordinum Ilerdenses obtinuerant, inter alia continentes quod prefatis episcopo et capitulo ac singulis canonicis eiusdem ecclesie per eos a iuramento predicto auctoritate nostra primitus absolutis, si de ipsorum consensu procederet, conferrent licentiam rectoribus parrochialium ecclesiarum civitatis predicte benedicendi nuptias et conferendi baptismatis sacramentum, alioquin nos de causa statuti predicti et eius circumstantiis per eorum litteras

FUNDACIÓ NOGUERA

informarent expresso in narratione pro parte dicte civitatis nobis facta, quod dicti episcopus et capitulum statuerant, quod nuptie benedici et baptismi sacramentum conferri alibi non valerent, quam in dicta ecclesia cathedrali et quod statutum huiusmodi postmodum iuraverant se imperpetuum et inviolabiliter observare. Quibus litteris dictis priori et guardiano presentatis iidem prior et guardianus ab eodem iuramento prefatos episcopum et capitulum absolverunt. Verum dicti episcopus et capitulum allegarunt se non potuisse nec posse a dicto iuramento pretextu dictarum litterarum absolvi, cum earum series formam alterius iuramenti seu statuti quam illius quod ipsi fecerant comprehendere videretur, dicentes preterea se premissis non posse absque metu periurii consentire pretendentes etiam quod antiquitus felicis recordationis Clemens papa III predecessor noster statuerat et sanxerat, quod in ipsa cathedrali et non in alia parrochiali ecclesia civitatis Ilerdensis baptismatis et nuptiarum benedictio celebrari deberent, sicque ex predictis litteris nostris nullus effectus alius extitit subsecutus. Quare prefatus infans nobis humiliter supplicavit, ut cum propter difficultatem dictam cathedralem ecclesiam adeundi hyemali precipue tempore in personis parvulorum, qui interdum propter difficultatem predictam decesserunt sacramento baptismatis non percepto, multa pericula contigerint et infuturum contingere verisimiliter timeantur providere super hoc ad vitandum dicta pericula et ut animarum saluti utiliter consulatur, de oportuno remedio curaremus. Quocirca fraternitati tue presentium tenore committimus et mandamus, quatinus si tibi expediens et utile videatur, super quo tuam conscientiam oneramus rectoribus parrochialium ecclesiarum civitatis predicte benedicendi nuptias parrochianorum suorum et eis sacramentum baptismatis in eorum ecclesiis conferendi, statuto et iuramento et aliis premissis nequaquam obstantibus, auctoritate nostra concedas licentiam specialem. Attentius provisurus quod in concessione huiusmodi indempnis servetur eadem ecclesia cathedralis in iuribus per eam propterea recipi consuetis.

Dat. Avinione, III Nonas Ianuarii, pontificatus nostri Anno Decimo.

829

1326 gener 26, Avinyó

Joan XXII exhorta l'infant Alfons, primogènit de Jaume II d'Aragó i comte d'Urgell, a mostrar-se agraït a Déu pels seus èxits a Sardenya, i a deixar d'injuriar els drets i ministres de l'Església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 103.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 247, doc. 481.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Nobili viro Alfonso carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris primogenito comiti Urgellensi. Illi servire sedule qui extollit et humiliat prout libet. Letanter percepimus, quod successus prosperos qui divina faciente benivolentia in partibus Sardinie hiis diebus preteritis et alias contigerunt velut gratus ab eadem provenisse cognoscens tibi non occurrere asseris, quod pro tantis beneficiis ipsorum offeras largitori. Profecto hoc gratum admodum existere non ambigimus beneficiorum huiusmodi largitori, quem ad maiora si in gratiarum actione perstiteris ipsumque sincere dilexeris ac eius sponse scilicet sancte ecclesie matri tue honorem impenderis et ab eius suorumque iurium et ministrorum offensa cessaveris utique provocabis alias cum iniuria illata sponse in sponsi personam redundare noscatur, quam profecto sponsus interdum severius ulciscitur, quam si fuisset eius persone proprie irrogata, nisi ab inferendis manum tuam retraxeris et satisfeceris de illatis eiusdem sponsi indignationis aculeos poteris merito formidare, quod ut vites te hortamur in domino sanoque consilio suademus, denunciatis autem tuam benivolentiam commendantes eidem gratiarum referimus actiones.

Dat. Avinione, VII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Decimo.

830

1326 febrer 1, Avinyó

Joan XXII concedeix a Elisenda (de Montcada), reina d'Aragó, la facultat de fundar a la província Tarraconense un monestir de monges de l'orde de santa Clara en un lloc convenient, segons l'arbitri del mestre provincial dels framenors de la província d'Aragó, amb la condició de proveir amb els seus béns els aliments per a dotze monges.

A Barcelona, Arxiu del Monestir de Pedralbes, Pergamins, núm. 113.
a Butlla amb fil de seda.
b FITA, *El monasterio de Santa Clara en Barcelona*, p. 485-486, doc. 79.
c EUBEL, *Bullarium Franciscanum*, V, p. 297, doc. 600.
d ANZIZU, *Fulles històriques de Pedralbes*, p. 212.
e MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VI, p. 99, doc. 24356.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Elisendi regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Insignis devotionis tue commendantes affectum, quo

FUNDACIÓ NOGUERA

mentem tuam ad pietatis opera dirigens locum, in quo virgines deo dicate virtutum domino perpetui famulatus obsequia sub regulari observantia exhibentes accensis lampadibus se parent obviam ire sponso, fundare desideras pariter et dotare, petitionibus tuis qua[n]-tum cum deo possumus favorem benivolum impertimur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat, quod tu ad laudem dei et divini cultus augmentum quoddam monasterium sororum ordinis sancte Clare edificare proponis infra Terraconensem provinciam in loco per unam leucam saltem ab hominum habitatione remoto, quem dilectus filius minister provincialis ordinis fratrum Minorum Provincie Aragonensis convenientem et aptum fore cognoverit ad premissa. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, devotioni tue fundandi infra dictam Terra-conensem provinciam domum seu monasterium dictarum sororum dicti ordinis sancte Clare in loco convenienti, iuxta ipsius ministri provincialis arbitrium, cuius in hac parte conscientiam oneramus, Bonifatiana et quacunque constitutione contraria non obstante, liberam auctoritate apostolica tenore presentium concedimus facultatem, proviso quod dicto monasterio de bonis tuis temporalibus taliter provideas, quod de eis duodecim moniales ad minus in dicto monasterio valeant commode sustentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Kalendas Februarii, pontificatus nostri Anno Decimo.

831

1326 març 2, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que mani restituir als genovesos una nau amb mercaderies que les seves tropes capturaren a Sardenya.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 104.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 247-248, doc. 482.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictio-nem. Nuper fili carissime relatione fidedigna percepimus, quod gentes regie in partibus Sardinie commorantes quandam navem seu cocam dilectorum filiorum Ianuensium intrinsecorum multis onustam rebus et mercimoniis una cum gentibus in eadem existentibus ceperunt et detinent violenter. Sane cum illi quorum est navis seu coca predicta

FUNDACIÓ NOGUERA

aut gentes in ea ut premittitur existentes nichil commisisse dicantur, propter quod possint licite retineri, nosque inter gentes regias et Ianuenses predictos vigere concordiam quam expedire utrisque credimus affectemus regiam excellentiam deprecamur, quatinus navem seu cocam ipsam cum personis rebus et mercimoniis supradictis eis quorum sunt restitui celeriter faciat regia celsitudo. Per hoc enim speramus in domino quod Ianuenses ipsos ad sua trahet regalis sublimitas beneplacita et inter ipsos et regios subditos pax cunctis desideranda mortalibus foveri poterit uberius et nutriri.

Dat. Avinione, VI Nonas Martii, pontificatus nostri anno Decimo.

832

1326 març 12, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que no pot concedir la dispensa a Blanca, filla de l'infant Pere (de Castella), per contraure matrimoni amb Joan de Biscaia, encara que abans la hi havia atorgat per enllaçar-se amb el primogènit d'Alfons IV de Portugal, en vida i gràcia del seu avi, el rei de Castella.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 105.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 248, doc. 483.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Fatemur fili carissime tuam excellentiam ac recolende memorie Petrum regis Castelle filium, dum viveret, meruisse, quod eius heres Romanam ecclesiam favorabilem in suis oportunitatibus et propiciam reperiret. Sane quia dudum in eo casu quo dilecte in Christo filie nobilis mulieris Blanche dicti Petri nate et heredis honor et utilitas versabatur hoc ostendere cupientes quod .. primogenitus carissimi in Christo filii nostri Alfonsi regis Portugalie illustris eidem Blanche posset copulari matrimonialiter duximus dispensandum petitam dispensationem super matrimonio inter ipsam et dilectum filium nobilem virum Iohannem de Viscaya contrahendo adpresens nequivimus exaudire, super quo nos habeat excellentia regia quesumus excusatos.

Dat. Avinione, IIII Idus Martii, pontificatus nostri anno Decimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

833

1326 març 12, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que se sincera per la tardança a despatxar amb els seus legats Guiu (de Terrena), bisbe de Mallorca, i Miquel, ardiaca de Daroca de l'església de Saragossa, motivada perquè ha hagut d'atendre altres assumptes urgents; també li comunica que, més endavant, enviarà un legat especial amb instruccions concretes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 106.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 248-249, doc. 484.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 187, doc. 5439.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum venerabilis frater noster Guido episcopus Maioricensis et dilectus filius Michael archidiaconus Darocensis in ecclesia Cesaraugustana regii nuncii ad nostram presentiam venientes, nobis tue celsitudinis litteras presentarunt, quos nuncios et litteras benigne consideratione mittentis et ipsorum missorum probitatis obtentu recepimus et que ipsi pro parte regia voluerunt proponere dicteque continebant littere intelleximus diligenter. Et licet predicti nuncii pro premissorum expeditione apud nos frequenter institerint oportune ac etiam importune, nos tamen aliis arduis undique fluctuantibus negociis occupati eos sic celeriter expedire nequivimus ut vellemus. Nunc autem ipsorum relatione percepto quod a tua sublimitate mandatum habuerat dictus archidiaconus noviter recedendi nos ipsum cuius moram probabiliter excusamus, ad tue sublimitatis presentiam duximus cum nostre benedictionis gratia remittendum, intendentes breviter que super premissis expediverimus magnificentie regie per specialem nuncium destinare.

Dat. Avinione, IIII Idus Martii, pontificatus nostri anno Decimo.

834

1326 març 13, Avinyó

Joan XXII requereix al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que revoqui el pregó publicat a Barcelona (conté represàlies per l'excomunió i l'entredit fulminant que els bisbes de la Tarraconense han posat contra l'infant Joan, arquebisbe de Toledo, perquè vol anar precedit de la creu alçada en les seves diòcesis i en les de Saragossa) de desterrament del seu

FUNDACIÓ NOGUERA

bisbe (Ponç de Gualba) i del seu clergat. L'ardiaca Miquel de Daroca, de l'església de Saragossa, nunci reial, de retorn a la seva terra, li exposarà els seriosos perills als quals s'exposa, en cas contrari.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 107.
a Butlla perduda.
b VINCKE, *Documenta selecta*, p. 315-316, doc. 435.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 249, doc. 485.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sicut habet infesta multorum relatio inaudita inter christicolas nostris temporibus preconizatio Barchinone hiis diebus preteritis in dei et universalis ecclesie gravem offensam et iniuriam facta fuit, per quam venerabilis frater noster .. Barchinonensis episcopus cum eiusdem civitatis clero a dicta civitate compulsus est exulare. Quocirca fili carissime cum hec in tuam ponant gloriam maculam et iram contra te divinam accendant ecclesiamque matrem tuam graviter saucient, prudentiam regiam requirimus et hortamur, quatinus predictis in consideratione deductis preconizationem predictam ocius studeas totaliter, non simulate nec partialiter revocare, quod premissa possis merito devitare, nec immunem se putet a predictis circumspectio regia, eo quod ea fieri non precepit, ipsa namque sua efficiet, si ea neglexerit revocare. Licet enim in se Hely bonus existeret, peccata tamen sibi filiorum imputavit divina providentia, que negligenter omiserat emendare. Super hiis autem dilectus filius Michael archidiaconus Darocensis in ecclesia Cesaragustana nuntius regius, quantum te talia dedeceant quantaque domui regie afferre possent pericula, tibi seriosius explicabit, si autem benignitas regia noluerit adhibere.

Dat. Avinione, III Idus Martii, pontificatus nostri anno Decimo.

835

1326 març 14, Avinyó

Joan XXII demana al rei Jaume II d'Aragó que faci venir davant seu el primogènit Alfons, comte d'Urgell, per tal de tractar uns afers comuns. Informació que ha estat tramesa per l'ardiaca Miquel de Daroca, de l'església de Saragossa, nunci reial. (Es tracta de la pretesa prerrogativa que l'arquebisbe Joan de Toledo creu que té.)

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 108.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 249-250, doc. 486.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Post confectionem litterarum nostrarum quas per dilectum filium Michaelem archidiaconum Darocensem in ecclesia Ceseragustana nuncium regium tue celsitudini providimus destinandas percepto quod tue fili carissime ac dilecti filii nobilis viri Alfonsi primogeniti tui comitis Urgellensis voluntatis et beneplaciti existebat, ut alter nunciorum nostrorum pro nostris et regiis negociis plenius explicandis ad nostram presentiam se conferret. Nos eiusdem nuncii cui super hoc scribimus in proximo prestolantes adventum et intendentes cum ipso quid super predictis negociis magis expediat plenius informari alium nostrum nuncium specialem, quem ad eas partes disposuimus sicut posterior dictarum litterarum clausula continet mittere duximus retinendum.

Dat. Avinione, II Idus Martii, pontificatus nostri anno Decimo.

836

1326 abril 11, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que es congratula de la concòrdia signada amb els pisans i li prega que no escolti els falsos rumors sobre les intencions d'aquests, per manca de fonament, conforme l'assabentarà el bisbe Gastó (de Montcada) d'Osca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 109.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 250, doc. 487.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pacis diligenter attentis commodis et guerrarum discriminibus attentius cogitatis grata plurimum nostris accessit affectibus concordia inter te fili carissime ac dilectos filios .. Pisanos dudum actore domino reformata. Nunc autem infesta relatione percepto quod pacis emulus sinistra studuit aliqua procurare, que regium turbarunt animum et adversus Pisanos eosdem multipliciter commoverunt non leviter anxiamur. Attendentes itaque quod Pisani predicti pacem huiusmodi cupiunt inviolabiliter observare et que facere tenentur regie celsitudini adimplere, regiam excellentiam attentius deprecamur, quatinus guerrarum exitu dubio cum incommodis variis aliis que secum consueverunt trahere in consideratione deductis cum Pisanis ipsis velit benigne regia serenitas agere pacem observando predic-

FUNDACIÓ NOGUERA

tam, et si expediens fuerit ipsam penis spiritualibus et temporalibus fortius fulciando ac de offensa si qua per ipsos Pisanos commissa fuerit emendam recipiendo congruam ab eisdem. Nos autem super predictis venerabili fratri nostro Gastoni episcopo Oscensi intentionem exposuimus plenius mentis nostre sicut ipse cui velis fidem adhibere in hac parte credulam regie magnificentie vive vocis oraculo lacius explicabit.

Dat. Avinione, III Idus Aprilis, pontificatus nostri anno Decimo.

837

1326 abril 14, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que prengui interès a acordar la pau entre els reis Robert de Sicília (Nàpols) i Frederic II de Trinàcria, i que amb aquesta finalitat no deixi d'anar a Avinyó o enviar-hi missatgers com més aviat millor.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 110.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 250-251, doc. 488.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Turbavit nos fili carissime lectio cedule tenorem cuiusdam littere carissimi in Christo filii nostri Roberti Sicilie regis illustris continens litteris regiis intercluse. Et quia indecens videbatur quod tam deo gratum tamque laudabile propositum quodque poterat pacis obtande fidelibus manipulos legere careret effectu et eregione satis durum quod tales nuncii ad tam partes remotas spe subtracta operandi aliquid mitterentur, nos perplexos et nuncios merito reddidit tenor cedule supradicte. Sane quia in dubiis est via tutior eligenda, attendentes quod hinc certis ex causis quas ipsi nuncii expriment ipsis nunciis ad tam partes remotas tutus non patebat accessus, in hoc nostra et ipsorum nunciorum resedit deliberatio, ut admittentis ipsos reverterentur presentiam eiusque iussa reciperent, quid agerent in premissis. Nobis autem et ipsis videbatur attenta serie cedule supradicte, ut primo ad regis Frederici accedere deberent presentiam ipsumque ad viam que regi Roberto predicto videretur probabiliter tolerabilis eius animum exhortationibus salubribus et salutaribus monitis inclinarent, quod si cooperante domino obtinerent ad dictum regem Robertum accederent quem ad illam acceptandam similiter inclinarent. Quod si forsan nequiret fieri treugam procurarent infra quam per se vel

FUNDACIÓ NOGUERA

suos nuncios sufficienter instructos cum pleno mandato ad curiam festinarent, ubi si ipsos venire contingeret vita et sospitate comitibus adesset tua regalis presentia ad pacem una nobiscum ac nos tecum efficaciter procurandam, quod si ipsos contingeret personaliter non venire vel te fili casu aliquo impediri solennes tuos nuncios mitteres, qui premissa procurare deberent. Disponat igitur quesumus providentia regia super hiis quid agendum. Et si ad mittendum ipsos nuncios animus regius inclinetur, iter eorum acceleret ut more vitare possint incommoda, que si quod absit contingerent non possent forsan de facili reparari. Gratia domini cor regium dirigat in agendis.

Dat. Avinione, XVIII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Decimo.

838

1326 abril 25, Avinyó

Joan XXII concedeix a Hug de Cardona, ardiaca de la Cerdanya, diòcesi d'Urgell, la facultat de residir fora de la seva església durant tres anys amb les prebendes dels seus beneficis eclesiàstics.

A Girona, Arxiu Capitular, Pergamí s/n.
a Part dreta i plica retallades. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VI, p. 172, doc. 25105.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Ugoni de Cardon[a archidiacono Ceritanie in ecclesia Urgellensi] salutem et apostolicam benedictionem. [Personam] tuam nobis et apostolice sedis devotam paterna benivolentia prosequentes illam [tibi gratiam habentes impendimus que etiam obsequentibus tibi personis possit] existere fructuosa. Hinc est quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati auctoritate [tibi presentium indulgemus ut duo clerici socii tui quos ad hoc tenea]ris insimul nominare tuis obsequiis insistendo vel in aliqua ecclesiarum in quibus benefi[ciati existunt residentiam facientes fructus redditus et proventus] prebendarum et beneficiorum suorum ecclesiasticorum dummodo ipsi vel eorum aliter maiorem pos[t episcopalem in cathedralibus vel in collegiatis ecclesiis principalem non obtineant] dignitatem usque ad triennium cum ea integritate libere percipere valeant, cotidia[nis distributionibus dumtaxat exceptis cum qua illos percipes si in ecclesiis] in quibus prebende et beneficia huiusmodi existunt personaliter residerent nec [interim ad residendum in eisdem ecclesiis teneantur neque ad id a quoquam inviti] valeant coartari. Non obstantibus quibuscunque statutis et con-

FUNDACIÓ NOGUERA

suetudinibus ipsa[rum ecclesiarum contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quavis alia firmitate] vallatis etiam si de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea [ac ipsis litteris non utendo etiam ab alio vel aliis impetratis clerici prelibati per] se vel procuratores suos prestiterint vel eos prestare contigerit imposterum f[orsitan iuramentum, seu si locorum ordinariis ab eadem sit sede concessum vel im]posterum concedi contingat quod canonicos et personas ecclesiarum suarum civitatum et diocesium [per subtractionem proventuum suorum ecclesiasticorum vel alias compellere vale]ant ad residendum personaliter in eisdem aut si eisdem ordinariis et dilectis filiis [capitulis earundem ecclesiarum vel aliis quibuscumque comuniter vel divisim a pre]fata sit sede indultum vel forsitan imposterum contigerit indulgeri quod canonicis [et personis earundem ecclesiarum fructus redditus et proventus prebendarum et] beneficiorum suorum dictarum ecclesiarum ministrare in absentia minime teneantur et [ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et] expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et quibuslibet [aliis privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel speciali]bus quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel [totaliter non inserta effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomo]dolibet vel differri et de quibus quorumque talis tenoribus haberi debeat in nostris [litteris mentio specialis, proviso quod prebende et beneficia huiusmodi] debitis interim obsequiis non fraudentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre [concessionis] infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Decimo.

839

1326 maig 20, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que atengui en justícia Hilària, filla de Roger de Llúria i vídua d'Enric de Sant Severino, perquè li siguin restituïts uns castells que diu que li pertanyen.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 111.
a Butlla reaprofitada amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 251, doc. 489.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam

FUNDACIÓ NOGUERA

benedictionem. Pro dilecta in Christo filia nobili muliere Ylaria nata quondam Rogerii de Lauria et Henrici de Sanctoseverino relicta rogamus excellentiam regiam et hortamur attente, quatinus super recuperatione quorundam castrorum ad eam ut asserit de iure spectantium brevem et expeditam sibi iusticiam facias, ita quod possis inde merito commendari.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Decimo.

840

1326 juliol 14, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que s'excusa per segona vegada per no concedir dispensa a Blanca (filla de l'infant Pere de Castella), neboda seva, per contraure matrimoni amb el noble Joan de Biscaia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 112.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 517-518, doc. 237.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 251, doc. 490.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Litteras excellentie regie solita benignitate recepimus et que continebantur in eis pleno concepimus intellectu. Sane circa dispensationem apostolice sedis super contrahendo matrimonio inter dilectum filium nobilem virum Iohannem de Viscaya et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Blancam neptem tuam a nobis olim per tuas alias et nunc etiam per dictas litteras postulatam tenemus memoriter, prout etiam nostrarum habet tunc missarum super hoc tibi litterarum responsalium series in nostris annotata regestris et missa nuper pagina tuarum litterarum huiusmodi plenius attestatur, illam apud te carissime fili excusationis causam pretendisse legitimam, quam similiter et adhuc pretendimus satis iustam, videlicet quia dudum quod dilectus filius nobilis vir .. primogenitus carissimi in Christo filii nostri .. regis Portugalie illustris eidem Blance posset copulari matrimonialiter, duximus dispensandum, credentes dispensationem huiusmodi affectibus regiis rationabiliter existere placidam, cum idem primogenitus dicti regis tuus nepos existat et apud te loco filii propterea sit habendus, unde honorem eius diligere debeas et sua negocia promovere. Quod autem post emissa huiusmodi nostre responsionis eloquia id dilecto filio nostro Neapoleoni sancti

FUNDACIÓ NOGUERA

Adriani diacono cardinali responderimus, quod nisi prius constaret nobis prefatum Iohannem nolle cum filia regis predicti contrahere, cum eo et dicta Blanca nostra nullatenus dispensaret auctoritas, ut scripsisti, procul dubio non recolimus dictum cardinalem super hiis aliquod nobis fecisse verbum nec nos eidem aliquid respondisse. Tu igitur fili carissime hac si placet nostra excusatione contentus super dispensatione petita nos merito habens excusatos. Quod si forte illa plurimum insidet cordi tuo, cum eodem primogenito regia magnitudo procuret, ut ipse assentiat in hac parte.

Dat. Avinione, II Idus Iulii, pontificatus nostri anno Decimo.

841

1326 juliol 21, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que insisteixi davant la reina Maria de Mallorca (vídua de Sanç de Mallorca) perquè s'entrevisti amb Robert i Sança de Sicília (Nàpols), els quals desitgen estrènyer els vincles d'amistat amb Aragó i Mallorca, conforme l'assabentarà el cavaller Berenguer de Vilaregut. Li comunica que podria traslladar-se a Sicília amb les galeres que portaren l'infant Ferran, germà del rei Jaume III de Mallorca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 113.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 251-252, doc. 491.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Innotuit nobis ad gaudium fidedigna relatio hiis diebus intensum desiderium ac solicitudinem sedulam carissimorum in Christo filiorum nostrorum Roberti regis et Sancie regine Sicilie illustrium circa conservandum ignem illum et augmentum continue inter domos inclitas Sicilie Aragonie et Maioricarum, pro quo immittendo et accendendo in mentibus hominum humanari dei filius voluit, ignem videlicet caritatis, vias querentium et procurantium modos attente, per quos possit in hac parte eorum laudabile desiderium adimpleri. Sane quia coniugalis copula ad hoc plurimum noscitur oportuna, ad hanc suos converterunt intuitus, sicut dilectus filius nobilis vir Berengarius de Vilaraguto miles excellentie regie seriosius poterit explicare, quem optamus audiri benigne diligenter intelligi et hiis que referenda duxerit provide responderi. Ad hec quia sicut grata nobis eiusdem militis relatio patefecit, circumspectio regia [...]tum

FUNDACIÓ NOGUERA

bonum carissime in Christo filie nostre Marie regine Maioricarum illustris desiderans et contrarium perhorrescens prefato regi Sicilie laudabiliter persuasit, ut de illa taliter ordinaret, quod eidem regine ad consolationem cederet et sibi ac toti domui regie eamque consanguinitate vel affinitate contingentibus ad honorem, ac quia circa hoc versatur dicti regis intentio, sicut dicit quod ut id possit oportunius fieri dicta regina ad eiusdem regis presentiam in galeis que portaverunt dilectum filium nobilem virum Ferrandum de Maioricis carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris fratrem studeat se conferre. Excellentiam regiam rogamus attente, quatinus reginam predictam inducat efficaciter ut dicti regis beneplacitis annuat et ad eum accedere non ommittat.

Dat. Avinione, XII Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Decimo.

842

1326 juliol 21, Avinyó

Joan XXII comunica a l'infant Alfons, primogènit del rei Jaume II d'Aragó i comte d'Urgell, el desig de Robert i Sança, reis de Sicília (Nàpols), d'estrènyer relacions amistoses amb Aragó i Mallorca, conforme li manifestarà el cavaller Berenguer de Vilaregut.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 114.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 252, doc. 492.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro infanti Alfonso carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris primogenito comiti Urgellensi salutem et apostolicam benedictionem. Intensum desiderium quod carissimi in Christo filii nostri Robertus rex et Sancia regina Sicilie illustres gerere se ostendunt ad nutriendum et augendum continue unanimitatem concordie inter domos inclitas Sicilie Aragonie et Maioricarum in vinculo pacis dilectus filius nobilis vir Berengarius de Vilaraguto miles tue magnificentie latius explicabit, quem benigne audire et ea que proponet diligenter intelligere ac ad proposita cura quesumus proinde respondere.

Dat. Avinione, XII Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Decimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

843

1326 juliol 23, Avinyó

Joan XXII concedeix a Pere Comte, canonge de Barcelona, la possibilitat d'obtenir, abans dels vint-i-cinc anys d'edat, l'església parroquial de Tàrrega de la diòcesi de Vic, sobre la base d'una lletra de Climent V perquè pogués obtenir-la als vint-i-set anys d'edat; li dóna els fruits percebuts dels seus beneficis excepte cent lliures torneses assignades fins a la festa de Nadal a la Cambra Apostòlica pel subsidi del pagament contra els rebels de Llombardia.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-213.
a Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VI, p. 264, doc. 26055.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Petro Comitis canonico Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Sedes apostolica pia mater illis libenter se consuevit in gratia reddere liberalem, qui ab ea suppliciter illam implorant quibusve ad id propria virtutum merita conspicit laudabiliter suffragari. Sane oblata nobis pro parte tua petitio continebat, quod tu olim tunc maior viginti annis nondum tamen vicesimumquintum etatis tue annum attingens super provisione tibi facienda de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collationem vel presentationem dilecti filii .. prepositi monasterii Celsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis pertinente a felicis recordationis Clemente papa V predecessore nostro litteras impetrasti, quarum pretextu postmodum cum ad eiusdem etatis tue annum vicesimumseptimum pervenisses, fuisti parrochialem ecclesiam de Tarrega Vicensis diocesis assecutus. Cum autem ex eo quod tempore dat. dictarum litterarum nondum eras etatis legitime ad curatum beneficium obtinendum tu super retentione ipsius ecclesie quamvis super ea nulla fuerit questio tibi mota conscienciam habeas remordentem pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere tibi super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes ad personam tuam ob tuorum exigenciam meritorum, super quibus apud nos laudabiliter commendaris, dexteram apostolice liberalitatis extendere teque prerogativa prosequi favoris et gratie specialis huiusmodi supplicationibus inclinati te super premissis habilitamus de apostolice plenitudine potestatis ac insuper fructus a te perceptos ex ecclesia supradicta tibi remittimus et donamus de gratia speciali, centum libris Turonensibus parvorum dumtaxat exceptis, quas volumus in subsidium expensarum faciendarum contra hereticos et rebelles partium Lombardie infra festum Nativitatis domini proxime venturum per te nostre camere assignari. Alioquin huiusmodi gratia quo ad remissionem dictorum fructuum

FUNDACIÓ NOGUERA

habeatur penitus pro non facta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre habilitationis remissionis et donationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, x Kalendas Augusti, pontificatus nostri Anno Decimo.

844

1326 juliol 23, Avinyó

Joan XXII mana a l'arquebisbe de Tarragona (Ximeno Martínez de Luna), a Hug de Mirabell, prepòsit de Mende (Losera) i capellà papal, i a Bernat de Sant Maurici, precentor de l'església d'Auxerre, que assignin a Pere Comte, canonge de Barcelona, la parròquia de Tàrrega de la diòcesi de Vic.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-214.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VI, p. 265, doc. 26056.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. archiepiscopo Terraconensi et dilectis filiis Hugoni de Mirabello preposito Mimatensis capellano nostro ac Bernardo de Sancto Mauricio precentori Autisiodorensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Personam dilecti filii Petri Comitis canonici Barchinonensis ipsius exigentibus meritis super quibus laudabile sibi apud nos testimonium perhibetur, paterna benivolentia prosequentes libenter sibi reddimur in exhibitione apostolici favoris et gratie liberales. Nuper siquidem pro parte ipsius Petri nobis exposito, quod ipse olim maior viginti annis nondum tamen vicesimumquintum etatis sue annum attingens super provisione sibi facienda de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collationem vel presentationem dilecti filii .. prepositi monasterii Celsonensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis pertinente a felicis recordationis Clemente papa V predecessore nostro litteras impetravit, quarum pretextu postmodum cum ad eiusdem etatis sue annum vicesimumseptimum pervenisset, fuit parrochialem ecclesiam de Tarrega Vicensis diocesis assecutus, et quod idem Petrus ex eo quia tempore dat. dictarum litterarum nondum erat etatis legitime ad curatum beneficium obtinendum super retentione ipsius ecclesie quamvis super ea nulla fuerit sibi mota questio habet conscientiam remordentem ac insuper pro parte sua supplicato nobis humiliter ut providere sibi super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos huiusmodi supplicationibus

FUNDACIÓ NOGUERA

inclinati, eundem Petrum per alias nostras litteras super premissis habilitavimus de apostolice plenitudine potestatis sibique fructus ab eo perceptos ex ecclesia supradicta remisimus et donavimus de gratia sibi speciali centum libris Turonensibus parvorum dumtaxat exceptis quas volumus in subsidium expensarum faciendarum contra hereticos et rebelles partium Lombardie infra festum Nativitatis domini proxime venturum per eum nostre camere assignari, alioquin huiusmodi gratia quo ad remissionem ipsorum fructuum habeatur penitus pro non facta. Volentes igitur eundem Petrum premissorum intuitu favore prosequi ampliori, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eandem ecclesiam de Tarrega dummodo tempore dat. presentium non sit in ea ius alicui alteri specialiter adquisitum cum omnibus iuribus et pertinentiis suis predicto Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem suum pro eo in corporalem possessionem ecclesie ac iurium et pertinentiarum predictorum ac defendentes inductum amoto exinde quolibet illicito detentore sibique facientes de ipsius ecclesie fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de ecclesiis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in predicta diocesi Vicensi speciales vel in illis partibus generales nostras vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum aut legatorum sedis apostolice litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus dummodo ut premittitur tempore dicte dat. non sit in eadem ecclesia ius alicui alteri specialiter adquisitum, prefatum Petrum in assecutione ipsius ecclesie volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum ecclesiarum et beneficiorum preiudicium generari, seu si venerabili fratri nostro .. episcopo Vicensi et predicto preposito aut quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint quodque de ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus non possit aliquibus provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio

FUNDACIÓ NOGUERA

specialis, sive quod dictus Petrus in ecclesia Barchinonensi canonicatum et prebendam ac preposituram mensatam nuncupatam que nec dignitas nec personatus existit ac capellaniam de Villamulorum Gerundensis diocesis noscitur obtinere. Nos enim si ut prefertur in predicta ecclesia de Tarrega tempore dicte dat. non sit alicui alteri specialiter ius quesitum irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Dat. Avinione, x Kalendas Augusti, pontificatus nostri Anno Decimo.

845

1326 juliol 26, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que n'ha rebut les lletres enviades a través d'Hug de Mirabell, canonge de Mende (Losera), capellà seu, i Bernat de Sant Maurici, precentor de les esglésies d'Auxerre, legats seus, demanant-li recursos econòmics. Li contesta que li entrega lletres satisfactòries en atenció a les seves necessitats i a les del seu primogènit Alfons, comte d'Urgell.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 115.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 252-253, doc. 493.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper dilectus filius magister Hugo de Mirabello prepositus ecclesie Mimatensis capellanus noster apostolice sedis nuncius de partibus regni tui ad quas una cum dilecto filio Bernardo de Sanctomauricio precentore ecclesie Autisiodorensis fuerat pro certis negociis destinatus ad nostram presentiam rediens nobis quandam cedulam, quam a tua sublimitate sibi traditam asserint exhibere ac super expeditione contentorum in illa instare apud nos studuit diligenter. Et licet ea que dicta cedula continebat, gravia et onerosa nobis et ecclesie Romane nostris et ipsius ecclesie multiplicibus consideratis incumbentibus oneribus existere dinoscantur. Nos tamen necessitates tuas et dilecti filii nobilis viri Alfonsi primogeniti tui comitis Urgellensis benigno considerantes affectu et eis subvenire quantum comode presentialiter possumus, cupientes super premissis quod fieri non tamen sine nostro et ecclesie prelibate gravamine potuit ordinavimus sicut in litteris confectis super hoc, quas assignari eidem nuncio fecimus, continetur plenius et ipse nuncius poterit etiam referre ceriosius celsitudini regie

FUNDACIÓ NOGUERA

viva voce quem ac prefatum precentorem collegam suum super hiis que pro nobis et ecclesia memorata expedituri sunt, in eis partibus magnificentie regie propencius commendamus.

Dat. Avinione, VII Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Decimo.

846

1326 juliol 26, Avinyó

Joan XXII felicita el rei Jaume II d'Aragó per la conquesta del castell de Càller i pels èxits obtinguts a Sardenya, i l'exhorta a la seva reconstrucció.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 116.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 253, doc. 494.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Regalis excellentie litteras de adeptione castri Callari et aliis negociis Sardinie eo qui potest faciente prospere succedentibus rumores placidos describentes recepimus leta manu super insinuatione rumorum huiusmodi, quibus leti plurimum efficimur et tibi fili carissime, gratulamur exellentie regie graciarum referimus uberes actiones. Eam attentius exhortantes, quatinus regi eterno qui te domumque tuam regiam tam super predictis quam aliis bonis innumeris graciarum immensitate prevenit, tot multiplicata beneficia in humilitate spiritus recognoscens ea que sibi sunt placita, ut graciam et benedictionem suam super te domumque predictam multiplicet studeas iugiter operari ab hiis que sue maiestatis oculos possent offendere penitus abstinendo.

Dat. Avinione, VII Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Decimo.

847

1326 agost 6, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, fets efectius per Martí de Rufes i Guillem de Montanyana, procuradors reials, lliurades a favor del rei Jaume II d'Aragó, com a cens corresponents a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 117.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla amb fil de cànem.
b BAUMGARTEN, *Camera Collegii Cardinalium*, p. 148-149, doc. 228.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 253, doc. 495.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 189, doc. 5445.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum ratione regni Sardinie et Scorsice, quod felicis recordationis Bonifacius papa VIII predecessor noster dudum tibi fili carissime de consilio fratrum suorum tunc sancte Romane ecclesie cardinalium sub homagio ligio et pleno vassallagio fidelitatisque iuramento ac aliis pactis formis et conditionibus certisque serviciis et censu annuo duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo apostolorum Petri et Pauli .. Romano pontifici ubicunque fuerit et eidem Romane ecclesie annis singulis per te tuosque successores solvendorum concessit, ad solvendum mille marchas argenti pro medietate dicti census in festo eorundem apostolorum proxime preterito, cum de alia medietate tibi remissionem usque ad certum tempus de speciali gratia sub certis modis formis et conditionibus fecerimus, sicut in litteris nostris confectis super hoc latius continetur, esses nobis et ecclesie memorate astrictus, nosque tibi solutionis huiusmodi terminum usque ad kalendas mensis Septembris proximo venturi de speciali gratia duxerimus prorogandum, recognoscimus et fatemur te per manus dilectorum filiorum Martini de Ruffis et Guillermi de Montanhola portariorum et procuratorum tuorum dictas mille marchas argenti Sterlingorum in duobus milibus centum quinquaginta duobus florenis de Florentia, mille quingentis agnis de auro vigintinovem solidis et quinque denariis Viennensibus, qualibet marcha pro quatuor florenis auri minus uno Turonensi argenti cum .O. rotonda, et facto cambio de agnis ad florenos, singulis florenis pro decemseptem et agnis pro viginti solidis uno denario parvorum Turonensium computatis, die dat. presentium pro nobis et eadem ecclesia nostre camere assignasse, de quibus mille marchis sic solutis te ac heredes et bona tua in perpetuum absolvimus et quitamus.

Dat. Avinione, VIII Idus Augusti, pontificatus nostri anno Decimo.

848

1326 agost 21, Avinyó

Joan XXII recomana al rei Jaume II d'Aragó el bisbe electe Arnau (de Lordat) d'Urgell i la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 35, núm. 101.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 253-254, doc. 496.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Electionem de dilecto filio Arnaldo electo Urgellensi dudum concorditer celebratam decenter nequivimus fili carissime reprobare. Sane cum indubie supponamus eundem electum tui ac domus regie honoris et commodi existere fervidum zelatorem nosque id sibi et quod regiis se coaptat beneplacitis duxerimus firmiter iniungendum, regiam excellentiam attentius deprecamur, quatinus prefatum electum et suam ecclesiam Urgellensem sic velit habere tua sublimitas favore regio commendatos, quod idem electus ad regia beneplacita prosequenda continue votis ferventibus merito sit paratus.

Dat. Avinione, XII Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Decimo.

849

1326 setembre 11, Avinyó

Joan XXII dispensa l'infant Ramon Berenguer, fill de Jaume II d'Aragó, comte de Prades, de l'impediment de consanguinitat en tercer grau per contraure matrimoni amb Beatriu d'Eixerica.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 118.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 254, doc. 497.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 189, doc. 5446.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Raymundo Berengarii nato carissimi in Christo filii Iacobi regis Aragonum illustris comiti Montanarum de Prades salutem et apostolicam benedictionem. Et si coniunctio copule coniugalis in tercio consanguinitatis gradu sacris sit canonibus interdicta,[15] apostolica tamen gratiosa benignitas rigorem mansuetudine temperans super hiis dispensat interdum et quod iuris negat severitas clementer indulget, presertim personis generis nobilitate preclaris que pura fide conspicue deo et sedi apostolice sunt devote. Porrecta nobis siquidem ex parte carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris genitoris tui petitio continebat quod cum ipse mulierem nobilem tibi

15. IV Conc. del Laterà, càn. 50, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 257-258; X 4.14.8, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 703-704.

FUNDACIÓ NOGUERA

secundum status tui et domus regie condecentiam matrimonialiter copulandam, que tibi coniuncta in gradu consanguinitatis prohibito non existat comode reperire non valens cupiat, ut inter te ac dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Beatricem natam quondam Iacobi domini de Exerita matrimonium quod utrique parti existere multum expediens et ex illo provenire domui regie asserit tranquillitatem et utilitatem non modicas contrahatur nec id possit absque dispensatione sedis predicte perfici, cum tu et eadem Beatrix vos in tercio consanguinitatis gradu invicem attingatis, nobis humiliter supplicavit ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis gratia de benignitate apostolica dignaremur. Nos autem premissis et aliis certis considerationibus que ad hoc nostrum animum induxerunt eiusdem regis et tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut tu et dicta Beatrix impedimento non obstante predicto matrimonium invicem contrahere licite valeatis, vobiscum auctoritate apostolica dispensamus, prolem ex eodem suscipiendam matrimonio legitimam nuntiantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno Undecimo.

850

1326 setembre 11, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que disculpi Hug de Mirabell, canonge de Mende (Losera), capellà i legat seu, per la seva llarga permanència a Avinyó, motivada per la tardança a despatxar-lo. Li comunica també que l'esmentat legat és portador de la dispensa matrimonial atorgada a favor del seu fill Ramon Berenguer, comte de Prades.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 119.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 254, doc. 498.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quia dilectus filius magister Hugo de Mirabello prepositus ecclesie Mimatensis capellanus noster apostolice sedis nuncius

FUNDACIÓ NOGUERA

longam moram traxit in curia regia serenitas non miretur, sed eam habeat potius super hoc excusatum, cum nobis hactenus multis arduis sic impeditis negociis, quod eius expeditioni vacare nequivimus ut vellemus per ipsum non steterit, quominus citius repetierit partes illas. Nunc autem oportunitate captata ipsum remittimus expeditum quem necnon et collegam suum ac negocia que pro nobis et ecclesia Romana habent in eis partibus agere regali magnificentie commendamus, ceterum litteras nostras super dispensatione pro dilecto filio nobili viro Raymundo Berengarii nato tuo comite Montanarum de Prades a tua sublimitate petita tibi fili carissime per eundem prepositum destinamus.

Dat. Avinione, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno Undecimo.

851

1326 setembre 15, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que li ha concedit la dispensa matrimonial a favor del seu fill Ramon Berenguer (comte de Prades) i li recomana que esbrini si en la futura esposa hi ha quelcom que la faci poc recomanable per al matrimoni, cosa que sentiria moltíssim després d'haver-li concedit tal gràcia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 120.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 518-519, doc. 238.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 254-255, doc. 499.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dispensationem postulatam per celsitudinem regiam super matrimonio dilecti filii nobilis viri Ramundi Berengarii nati tui duximus concedendam. Sane fili carissime attende provide, ne in puella occurrat aliquid, per quod ipsa nobilis displicibilis vel ad prolem inutilis possit reddi. Doleremus etenim admodum, si talem ipsum habere contingeret nostro interveniente beneficio in consortem.

Dat. Avinione, XVII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Undecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

852

1326 setembre 17, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó, i l'exhorta, que rebi Hug de Mirabell, canonge de l'església de Mende (Losera), capellà i legat seu, acompanyat de Bernat de Sant Maurici, precentor de l'església d'Auxerre, enviats a les seves terres per assumptes de l'Església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 121.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 255, doc. 500.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos dilecto filio Hugoni de Mirabello preposito ecclesie Mimatensis capellano nostro apostolice sedis nuncio certa imposuerimus regie celsitudini referenda, serenitatem rogamus regiam et hortamur, quatinus eidem nuncio velit regia providentia credere et adhibere fidem indubiam super eis ac ipsum et .. collegam suum nostraque et ecclesie Romane sibi commissa in eis partibus negocia habere favore regio commendata.

Dat. Avinione, XV Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Undecimo.

853

1326 setembre 19, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que posi fre als desordres que es cometen en el seu regne contra la llibertat de l'Església i que presti fe a Hug de Mirabell, legat seu, a qui ha donat instruccions sobre aquest assumpte.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 122.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 255-256, doc. 501.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Audimus fili carissime nimium displicenter quod sub tuo regimine multa contra libertatem ecclesie prorsus aliena a fidelium principum regimine attemptantur, per que divinam maiestatem offendere nosceris, matrem tuam ecclesiam sanctam videlicet contra te provocas teque astringis ad eterna supplicia subeunda. Et quia fili

FUNDACIÓ NOGUERA

carissime nos velut pater benivolus salutem tuam intensis desideriis affectamus, providentiam regiam affectione qua possumus deprecamur, quatinus immensa beneficia que tue magnificentie largitor bonorum omnium contulit cogitans et recogitans diligenter ista in melius studeat tua prudentia provide revocare sicque illi placere studeas, ut de temporali regno ad celeste merearis operibus bonis suaque cooperante gratia pervenire. Et quia super hiis et nonnullis aliis quedam imposuimus dilecto filio Hugoni de Mirabello capellano nostro excellentie regie referenda placeat celsitudini regie ipsum audire benigne et super eis fidem indubiam adhibere ipsumque et negocia pro quibus illum mittimus habere propensius commendata. Gratia domini cor regium dirigat in hiis et aliis ad sua beneplacita peragenda.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Undecimo.

854

1326 novembre 5, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que rebi el legat Nicolau de Flisco, ciutadà de Gènova, ambaixador i missatger dels genovesos, enviat a la seva cort per certs assumptes que desitja que es despatxin ràpidament perquè és de justícia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 123.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 256, doc. 502.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectus filius Nicolaus de Flisco civis Ianuensis dilectorum filiorum intrinsecorum Ianuensium ambaxiator et nuncius ex parte ipsorum pro certis negociis ad tue celsitudinis presentiam destinetur, serenitatem regiam attentius deprecamur, quatinus ipsum nuncium benigne recipere patienter audire ac super eisdem negociis que sicut accepimus a iusticie tramite non discordant velit nostrorum obtentu precaminum expedire celeriter regia celsitudo.

Dat. Avinione, Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Undecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

855

1327 febrer 25, Avinyó

Joan XXII prega al rei Jaume II d'Aragó que rebi els missatgers enviats per Robert i Sança de Sicília (Nàpols), i per Felip, príncep de Tàrent, germà d'aquell, amb la comanda de procurar la unió matrimonial entre ambdues cases.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 124.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 256, doc. 503a.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Super tractatu illius matrimonii alias inter tuas fili carissime ac carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris et dilecti filii nobilis viri Philippi eiusdem regis germani principis Tarentini gentes sicut accepimus prolocuti, ecce quod prefati rex et princeps ac carissima in Christo filia nostra Sanctia regina Sicilie illustris ad tue serenitatis presentiam nuncios suos presentium exhibitores transmittunt. Sane fili dilectissime cum ferventer optemus inter tuam et Sicilie domos inclitas regias ad dei laudem et gloriam et utriusque commodum et honorem amoris vinculum et unionis federa stabiliter confoveri, quod per huiusmodi matrimonium si deo volente perficiatur posse melius et uberius fieri probabiliter extimamus. Excellentiam regiam attentius deprecamur, quatinus predictos nuncios gratanter recipiens et benigne ipsos audire curet et exaudire favorabiliter super hiis, sicut oportunum cognoverit regia celsitudo.

Dat. Avinione, V Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Undecimo.

856

1327 febrer 25, Avinyó

Joan XXII prega a l'infant Alfons, primogènit del rei Jaume II d'Aragó i comte d'Urgell, que rebi els missatgers enviats per Robert i Sança de Sicília (Nàpols), i per Felip, príncep de Tàrent, germà d'aquell, amb la comanda de procurar la unió matrimonial entre ambdues cases.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 125.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 256, doc. 503b.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Alfonso carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris primogenito comiti Urgellensi salutem et apostolicam benedictionem. Super tractatu illius matrimonii alias inter carissimorum in Christo filiorum nostrorum Iacobi Aragonum genitoris tui et Roberti Sicilie regum illustrium ac dilecti filii nobilis viri Philippi eiusdem regis Sicilie germani principis Tarentini gentes sicut accepimus prolocuti, ecce quod prefati Sicilie rex et princeps ac carissima in Christo filia nostra Sanctia regina Sicilie illustris ad prefati regis genitoris tui et tuam presentiam nuncios suos presentium exhibitores transmittunt. Sane fili cum desideranter optemus inter domos Arragonie et Sicilie inclitas regias amoris vinculum et unionis federa stabiliter ad dei laudem et gloriam ac utriusque honorem et commodum confoveri, quod per huiusmodi matrimonium si deo volente perficiatur posse melius et uberius fieri probabiliter extimamus, nobilitatem tuam attentius deprecamur, quatinus predictos nuncios gratanter recipiens et benigne ipsos audias et per eundem genitorem tuum, cui super hoc scribimus audiri procures et favorabiliter sicut oportunum fuerit super hiis exaudiri.

Dat. Avinione, V Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Undecimo.

857

1327 juny 24, Avinyó

Joan XXII prega a l'infant Alfons, primogènit del rei Jaume II d'Aragó i comte d'Urgell, i l'exhorta, que defensi els drets de l'arquebisbe Pere (López de Luna) de Saragossa i de la seva església sobre les causes derivades de manumissions i execució de testaments, de les quals entenen des de temps immemorial.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 126.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 257, doc. 504.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Alfonso carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum primogenito comiti Urgellensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte venerabilis fratris nostri Petri archiepiscopi Cesaraugustani fuit expositum coram nobis quod licet curia sua ecclesiastica de manumissionibus et executionibus testamentorum hactenus cognoscere consueverit ac terminare et decidere causas super illis quomodolibet emergentes et in possessione premissorum pacifica per tempora, de quibus in contrarium non existit memoria, extiterit et quieta. Nunc

tamen super hiis per litteras et gentes regias molestatur indebite sicut asseritur et de novo. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatinus prefatum archiepiscopum et suam ecclesiam Cesaraugustanam habens in suis iuribus pro divina et apostolice sedis reverentia propencius commendatos, ut gentes regie a molestationibus predictis abstineant ipsosque archiepiscopum et ecclesiam uti suis iuribus et iurisdictionibus quibus usi fuerunt hactenus permittant libere partes tue solicitudinis efficaciter interponas.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Undecimo.

858

1327 juny 25, Avinyó

Joan XXII comunica a l'infant Alfons, primogènit del rei Jaume II d'Aragó i comte d'Urgell, que li denega la concessió de la dècima que sol·licita per sufragar les despeses fetes en la conquesta de Sardenya, perquè són molts els gravàmens que pesen sobre l'Església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 127.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 47, doc. 1.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 257, doc. 505.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Alfonso carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris primogenito comiti Urgellensi salutem et apostolicam benedictionem. Benigne recepimus nobilitatis tue litteras per quas tibi certum per nos concedi decimale subsidium pro relevatione multarum expensarum per te factarum in acquisitione regni Sardinie quod carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Aragonum illustris genitor tuus a nobis et ecclesia Romana tenet in feudum supplicabas. Sane fili licet plurimum optaremus te talia petiturum a nobis super quibus possemus decenter quod nobis gratum admodum existeret condescendere votis tuis, quia tamen ecclesie presertim in eis partibus adeo sicut tuam non credimus ignorare prudentiam sunt gravate, quod onus huiusmodi ad presens supportare commode non valerent, eandem nobilitatem tuam attentius exhortamur, quatinus presentialiter ab huiusmodi petitione desistens, nos si ei modo non possumus ut prefertur annuere, habeat tua circumspectio rationabiliter excusatos, oportunis enim loco et tempore tuis intendimus necessitatibus prout decenter poterimus et expedire videbimus subvenire.

Dat. Avinione, VII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Undecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

859

1327 juny 28, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Jaume II d'Aragó que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, a través d'Egidi Escartín, procurador reial, lliurats a favor del rei Jaume II, com a cens corresponent a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 128.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 257-258, doc. 506.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio nostro Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro regno Sardinie et Corsice quod dudum tibi fili carissime felicis recordationis Bonifatius papa VIII predecessor noster de consilio fratrum suorum tunc sancte Romane ecclesie cardinalium sub homagio ligio ac pleno vassallagio et fidelitatis iuramento aliisque pactis formis et conditionibus certisque serviciis et censu annuo duorum milium Marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli Romano pontifici ubicunque fuerit et eidem Romane ecclesie annis singulis per te solvendorum concessit ad solvendum medietatem census predicti, cum nos dudum tuis supplicationibus inclinati medietatem aliam dicti census usque ad decem annos extunc continue subsequentes de nostra mera liberalitate et speciali gratia sub certis modis et formis de fratrum nostrorum consilio tibi remittendam duxerimus, sicut continetur in instrumentis confectis super hoc in instanti festo eorundem apostolorum esses astrictus tuque pro medietate huiusmodi census et termino dicti festi mille marchas argenti predictorum Sterlingorum per manus dilecti filii Egidii Iscartini procuratoris tui nostre feceris camere die dat. presentium assignari. Nos tuis et heredum tuorum indempnitatibus precavere super hiis cupientes recognoscimus et fatemur et per manus dicti procuratoris tui dictas mille marchas Sterlingorum argenti pro medietate dicti census in eodem termino debiti memorate camere sicut premittitur assignasse, de quibus mille marchis sic solutis te ac dictos heredes et bona tua absolvimus imperpetuum et quitamus.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Undecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

860

1326 setembre 5 / 1327 setembre 4, Avinyó

Joan XXII dóna gràcies el rei Jaume II d'Aragó per la bona acollida que ha dispensat a Arnau (de Llordat), bisbe electe d'Urgell, i a la seva església. (Prengué possessió d'aquesta seu el 27 juny de 1326.)

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 36, núm. 129.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 258, doc. 507.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Iacobo regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quod regalis excellentia precibus nostris dudum pro dilecto filio Arnaldo electo et ecclesia Urgellensi sibi per litteras nostras directis ipsos electum et ecclesiam benigne sub regia recommendatione, ut ex litteris rescriptis regiis quas leta manu recepimus, liquet evidenter suscipiens duxit promptis et devotis affectibus favorabiliter annuendum benivolentie regie gratiarum referimus uberes actiones.

Dat. Avinione, [.....], pontificatus nostri anno Undecimo.

861

1327 octubre 14, Avinyó

Joan XXII dispensa Felip dèspota (de Romania), fill de Felip I, príncep de Tàrent, i l'infanta Violant, filla del rei Jaume II d'Aragó, a petició d'aquest i de Robert de Sicília (Nàpols), de l'impediment de consanguinitat en segon grau per contraure matrimoni.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 133.
a Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VII, p. 39, doc. 30087.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 258, doc. 508.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 195-196, doc. 5468.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Philippo Despoto nato dilecti filii nobilis viri Philippi principis Tarentini et dilecte in Christo filie nobili mulieri Iolande infantisse nate carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Aragonum illustris salutem et apostolicam benedictionem. Summus pontifex ex plenitudine apostolice potestatis quam non ab homine obtinet sed a deo considerata personarum et temporum qualitate utiliora prospiciens nonnumquam rigorem canonum mansuetudine temperat et pro

FUNDACIÓ NOGUERA

pace regnorum maxime circa sublimes personas quod negat iuris severitas de gratia dispensationis indulget, cum id secundum deum salubriter conspicit expedire. Carissimi in Christo filii nostri Robertus Sicilie et Iacobus Aragonum reges illustres transmissa nobis petitione monstrarunt, quod de ipsius regis Aragonum tui filia Iolanda et dilecti filii nobilis viri Philippi principis Tarentini tui filii Philippe parentum voluntate procedit, ut pro augenda concordia et utilitate publica que exinde speratur annuente domino proventura vos invicem matrimonium contrahatis, sed quia secundo estis consanguinitatis gradu coniuncti matrimonium huiusmodi contrahere non potestis, dispensatione super hoc apostolica non obtenta. Quare pro parte dictorum regum pluribus rationabilibus causis nobis expositis, propter quas expedit et expediet plurimum dante domino infuturum inter vos contrahi matrimonium supradictum nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis benefitio dignaremur. Nos itaque predictorum regum obtentu et ob considerationem multorum bonorum, que ex huiusmodi matrimonio annuente domino provenire speramus, vitationem quoque multorum et diversorum periculorum quibus per illud deo presule poterit obviari, vestris supplicationibus inclinati, quod huiusmodi impedimento proveniente ex consanguinitate predicta necnon omni alio impedimento quod ex remotioris gradus consanguinitate seu affinitate quacunque et ex quacunque parte inter vos proveniret nequaquam obstantibus huiusmodi matrimonium invicem contrahere libere valeatis et in eo postquam contractum fuerit licite remanere auctoritate apostolica de spetiali gratia dispensamus. Prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nuntiantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Idus Octobris, pontificatus nostri anno Duodecimo.

862

1327 octubre 18, Avinyó

Joan XXII concedeix a l'abadessa i al convent de religioses del monestir de Santa Maria de Pedralbes de l'orde de santa Clara, diòcesi de Barcelona, indulgència plenària per a l'hora de la mort.

A Barcelona, Arxiu del Monestir de Pedralbes, Pergamins, núm. 108.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b EUBEL, *Bullarium Franciscanum*, V, p. 330-331, doc. 679a.

FUNDACIÓ NOGUERA

c ANZIZU, *Fulles històriques de Pedralbes*, p. 212.
d MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VII, p. 42, doc. 30120.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilectis in Christo filiabus .. abbatisse et conventui monasterii sancte Marie de Petraalba ordinis sancte Clare Barchinonensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Religionis observantia cui vos mundanis relegatis illecebris per semitas incedendo virtutum pro Christi gloria deputastis, nos excitat et inducit, ut illa vobis favorabiliter concedamus, per que sicut pie desideratis, conscientie pacem et salutem anime deo propitio consequi valeatis. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut confessor seu confessores vestri, quem vel quos duxeritis eligendos, semel in mortis articulo omnium peccatorum, de quibus corde contrite et ore confesse fueritis, eam plenam remissionem quam Romani pontifices consueverunt interdum per speciale privilegium personis aliquibus impertiri, vobis et vestrarum cuilibet, que in eodem monasterio degitis ad presens, quatenus claves ecclesie se extendunt et gratum in oculis divine maiestatis extiterit, auctoritate apostolica concedere valeant, devotioni vestre tenore presentium indulgemus, sic tamen quod idem confessor seu confessores de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam vobis per vos, si supervixeritis, vel per alios si tunc forte transieritis, faciendam iniungat seu iniungant, quam vos vel illi teneamini facere, ut prefertur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XV Kalendas Novembris, pontificatus nostri Anno Duodecimo.

863

1327 octubre 18, Avinyó

Joan XXII concedeix a l'abadessa i al convent de religioses del monestir de Santa Maria de Pedralbes de l'orde de santa Clara, diòcesi de Barcelona, tots els privilegis, exempcions i immunitats atorgats a l'orde de santa Clara.

A Barcelona, Arxiu del Monestir de Pedralbes, Pergamins, núm. 110.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b EUBEL, *Bullarium Franciscanum*, V, p. 330, doc. 679.
c ANZIZU, *Fulles històriques de Pedralbes*, p. 212.
d MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VII, p. 42, doc. 30117.

FUNDACIÓ NOGUERA

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilectis in Christo filiabus .. abbatisse et conventui monasterii sancte Marie de Petraalba ordinis sancte Clare Barchinonensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Religionis observantia cui vos mundanis relegatis illecebris per semitas incedendo virtutum pro Christi gloria deputastis, adeo nobis apostolice sedis gratiam promeretur ut ea que cum deo et honeste possumus, vobis favore benivolo concedamus. Ut igitur eo libentius et quietius divinis vacetis operibus, quo specialius fueritis privilegiis eiusdem sedis communite, carissimorum in Christo filiorum nostrorum Iacobi regis et Elisendis regine Aragonum illustrium, qui monasterium vestrum de novo fundasse et dotasse dicuntur, ac vestris supplicationibus inclinati, omnia privilegia exemptionis et immunitatis aliis sororibus dicti ordinis concessa ad vos et dictum monasterium extendentes, volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod illis uti possitis ac si in eis de monasterio ipso expressa mentio haberetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre extensionis voluntatis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XV Kalendas Novembris, pontificatus nostri Anno Duodecimo.

864

1327 octubre 18, Avinyó

Joan XXII concedeix indulgències parcials als benefactors i fidels cristians que visitin l'església del monestir de Santa Maria de Pedralbes de l'orde de santa Clara, diòcesi de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu del Monestir de Pedralbes, Pergamins, núm. 111.
a Butlla amb fil de seda.
b EUBEL, *Bullarium Franciscanum*, V, p. 331, doc. 681.
c ANZIZU, *Fulles històriques de Pedralbes*, p. 212.
d MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VII, p. 42, doc. 30118.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum dei. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Dum precelsa meritorum insignia quibus regina celorum virgo dei genitrix gloriosa sedibus prelata sidereis quasi stella matutina prerutilat, devote considerationis indagine perscrutamur, dum etiam infra pectoris archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie mater gratie pietatis amica, humani generis consolatrix pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur, sedula exoratrix

FUNDACIÓ NOGUERA

et pervigil ad regem, quem genuit, intercedit, dignum quin potius debitum arbitramur, ut ecclesias in sui honorem nominis dedicatas gratiosis remissionum prosequamur impendiis et indulgentiarum muneribus honoremus. Cupientes igitur ut ecclesia monasterii sancte Marie de Petraalba ordinis sancte Clare Barchinonensis diocesis quod per carissimos in Christo filios nostros Iacobum regem et Elisandem reginam Aragonum illustres de novo fundatum dicitur et dotatum, congruis honoribus frequentetur, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis qui devote eandem ecclesiam in quatuor ipsius beate Virginis ac sancti Francisci et eiusdem sancte Clare festivitatibus centum, illis vero qui per octavas dictarum festivitatum ecclesiam ipsam devote annuatim visitaverint et eidem manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet ipsarum festivitatum et octavarum diebus, quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus.

Dat. Avinione, XV Kalendas Novembris, pontificatus nostri Anno Duodecimo.

865

1327 octubre 18, Avinyó

Joan XXII demana al guardià de l'orde dels framenors de Barcelona, i l'exhorta, que, amb motiu de solemnitzar algunes festivitats en el convent del monestir de Santa Maria de Pedralbes de l'orde de santa Clara, diòcesi de Barcelona, concedeixi a l'abadessa i al convent la facultat de poder cridar quatre framenors d'aquesta ciutat.

A Barcelona, Arxiu del Monestir de Pedralbes, Pergamins, núm. 112.
a Butlla reaprofitada amb fil de cànem.
b EUBEL, *Bullarium Franciscanum*, V, p. 331, doc. 680.
c ANZIZU, *Fulles històriques de Pedralbes*, p. 212.
d MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VII, p. 42, doc. 30119.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. guardiano fratrum ordinis Minorum Barchinonensium salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes puram et sinceram devotionem carissimorum in Christo filiorum nostrorum Iacobi regis et Elisendis regine Aragonum illustrium, quam habent ad monasterium monialium sancte Marie de Petraalba ordinis sancte Clare Barchinonensis diocesis per eos ut asseritur de novo fundatum pariter et dotatum, ac ad augendum ibidem cultum divinum prout tenemur intentis desideriis aspirantes, discretionem tuam rogamus monemus et hortamur

FUNDACIÓ NOGUERA

attente tibi nichilominus per apostolica scripta mandantes, quatinus ob divinam ac nostram et ipsorum regis et regine reverenciam, qui nobis super hoc supplicarunt, et ut divinum officium ibidem solemnius celebretur in quatuor beate Marie ac sancti Francisci et eiusdem sancte Clare et aliorum sanctorum, sub quorum vocabulo in ecclesia eiusdem monasterii altaria erecta sunt et erigentur imposterum, festivitatibus quatuor fratres ordinis Minorum ad monasterium prefatum, quod per unam leucam modicam dumtaxat a civitate Barchinonensi distare dicitur, mittere studeas, cum per ipsius monasterii abbatissam que erit pro tempore fueris requisitus.

Dat. Avinione, XV Kalendas Novembris, pontificatus nostri Anno Duodecimo.

866

1327 novembre 17, Avinyó

Joan XXII prega encaridament al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, que estimi amb afecte patern els seus germans Pere, comte de Ribagorça, i Ramon Berenguer, comte de Prades, i veneri com a pare l'arquebisbe Joan de Toledo.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 134.
a Butlla perduda.
b VINCKE, *Documenta selecta*, p. 342, doc. 468.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 259, doc. 509.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes quod virtus unita fortior est dispersa quodque frater, qui iuvatur a fratre, a sapiente quasi firma civitas reputatur, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente eidem nichilominus sano consilio suadentes, quatinus dilectos filios nobiles viros Petrum Rippacurcie et Raimundum Bereguarii de Pradis comites germanos tuos habens propensius commendatos ipsis sincerum cures impendere fraternitatis amorem. Et quia nedum ipsorum es frater, immo eorum effectus es dominus ipsis que loco patris dimissus, circumspectionem regiam deprecamur, ut ipsos et eorum quemlibet paterno prosequi dignetur affectu ipsos velut filios regens et dirigens ac protegens ab adversis. Sane quia sufficientiam tam quo ad ea que dei sunt, quam quo ad ea que ad directionem hominum pertinent, venerabilis fratris nostri Iohannis archiepiscopi Tholetani germani tui regiam prudentiam supponimus non latere, preces adicimus, ut ipsum loco patris habeas

FUNDACIÓ NOGUERA

eiusque salutaribus consiliis acquiescas, tenemus enim indubie quod si eius nostris que premissis salutaribus acquieveris monitis, sic sobrie sic iuste sic que pie te regnaque tua reges in hoc seculo, quod ad illa perennia pervenire promereberis gaudia, que dominus diligentibus se preparavit, quod tibi concedat qui sine fine vivit et regnat. Amen.

Dat. Avinione, XV Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Duodecimo.

867

1327 novembre 17, Avinyó

Joan XXII dóna consol el rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) per la mort del seu pare (el rei Jaume II d'Aragó).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 135.
a Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 519-521, doc. 239.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 259, doc. 510.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Si presentis vite qua in hac valle miserie vivimus vite que future, qua in terra viventium vivitur, conditiones consideraremus attente, profecto parentum aliorum que amicorum nostrorum ab hac ad illam transitus non dolendi non fiendi seu plangendi, sed pocius ipsis congaudendi et gratias de tali transitu referendi altissimo nobis materiam ministraret. Huius quidem vite beatus Iob conditiones nonnullas exprimit dicens: Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletus multis miseriis, qui quasi flos egreditur et conteritur et fugit velut umbra et nunquam in eodem statu permanet.[16] De hac quoque beatus Iacobus dicit: Que est inquit vota nostra, et respondens subdit dicens: Vapor est ad modicum parens.[17] De hac quoque in libro sapientie scribitur: quod exiguum et cum tedio est tempus vite nostre.[18] Et ibidem sequitur: umbre transitus est tempus nostrum et non est reversio finis nostri. Sane de illa terra viventium, in qua beati vivunt, et illa vita beatus Bernardus sic dicit: O civitas celestis, mansio secura, patria totum continens, quod delectat, populus sine murmure, incole quieti, homines nullam indigentiam habentes, quam gloriosa

16. Job 14,1.
17. Jaume 4,15.
18. Saviesa 2,1.

FUNDACIÓ NOGUERA

dicta sunt de te, civitas dei sicut letantium omnium habitatio est in te. Omnes letantur in leticia et exultatione. Omnes delectantur in eo, cuius aspectus benignus, facies decora, eloquium dulce, delectabilis ad videndum, suavis ad habendum, dulcis ad fruendum. Et sequitur Nec extra illum aliud queritur, quia in eo totum invenitur, quod desideratur. De illa civitate beatus quoque Iohannes sic dicit Civitas illa non eget sole neque luna, ut luceant in ea, nam claritas dei illuminabit eam et lucerna eius est agnus. Et sequitur et prote eius non claudentur per diem, nox enim non erit illic.[19] Non sic, non sic de hac valle miserie potest dici, in qua risus commiscetur doloribus et extrema gaudii occupat luctus. Et quia fili carissime sic clare memorie Iacobus rex Aragonum genitor tuus in hac valle miserie se regere studuit, quod ad terram viventium pervenisse creditur vel infallibiliter perventurus, prudentiam regiam exhortamur, eidem nichilominus sano consilio suadentes, quatinus omni pulsa mesticia pro transitu huiusmodi forsitan preconcepta, gratias deo agat sedule, quod tuum genitorem sic dignatus est regere, quod a regnis temporalibus ad celeste meruerit pervenire, eidem humiliter supplicando, ut sic gressus tuos dignetur in hac valle miserie dirigere populum que tibi commissum regere, quod ad illam terram viventium post huius vite transitum feliciter valeas pervenire. Ad nos fili carissime, qui ad te instinctu paterne caritatis afficimus, confidentes recursum in tuis oportunitatibus habiturus.

Dat. Avinione, XV Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Duodecimo.

868

1327 novembre 17, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, perquè durant el seu regnat afavoreixi les llibertats i els drets de les persones de l'Església, estimi la justícia i s'envolti de dignes consellers i familiars.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 136.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 259, doc. 511.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 197, doc. 5473.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam

19. Apocalipsi 21,23.

FUNDACIÓ NOGUERA

benedictionem. Si ad multiplicata vite tui beneficia redemptoris aciem debite considerationis converteris, si pericula a quibus te liberavit tui misericordia salvatoris scrutinio solerti recenseas, habes proculdubio fili carissime cum psalmista querere, quid pro hiis omnibus eorum possis retribuere tollatori. Profecto fili carissime si paternis autem inclines affatibus ad eum a quo bona cuncta procedunt omnia beneficia tibi collata referes illi que devote referre gratias ingratitudinis evitans vitium non omittes illi que iuventutis tue primicias offeres ad ipsum fortitudinem tuam custodies et residua vite tue tempora sedule in eius beneplacitis exequendis curabis expendere ac summopere que maiestatis eius offenderent oculos devitare. Circa regimen regnorum tibi commissorum intendes vigilanti studio ac unicuique in eisdem sua vita servare quodque tute innocentes in eisdem regnis terris que tuis aliis inter improbos perseverent favendo ecclesiis ipsarum libertates et iura necnon et dei ministros personas ecclesiasticas confovendo. Hec enim tibi annos vite producent hec firmabunt proculdubio tronum tuum hiis itaque animum tuum imbue hiis informa, talibus assuesce ut per consuetudinem mores fieri valeant nec perverti possint amplius conversa quodammodo in naturam. Persta igitur quesimus in premissis et ab omnibus que contrarii possent igitur quesimus in premissis et ab omnibus que contrarii possent suspitionem inducere mentem tuam prorsus averte genus que tuum diligenter attendens abhorre a progenitorum tuorum laudabilibus semitis deviare sed ea potius eorum vestigia immitando prosequere fidem que catholicam totis viribus devotus amplectens ad dilatationem illius solerter intende. Et ut hec possis promptius adimplere serenitatem regiam rogamus et hortamur in domino sane nichilominus consilio suadentes, quatinus et consiliarios et alios familiares tibi assumere studeas, qui te in premissis dirigant, non perversis suggestionibus a via rectitudinis abstrahant nec exemplis detestandis abducant tuum statum pacificum diligant tuos subditos foveant et sua lucra in alienis dispendiis non perquirant iusti et in fide sinceri vias tuas regant et dirigant nec impinguet peccatoris oleum caput tuum.

Dat. Avinione, XV Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Duodecimo.

869

1327 novembre 20, Avinyó

Joan XXII recomana al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) els mestres Hug de Mirabell, prepòsit de Mende (Losera), i Bernat de Sant Maurici,

FUNDACIÓ NOGUERA

precentor d'Auxerre, capellans i legats seus, enviats als seus regnes per assumptes de l'Església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 137.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 260, doc. 512.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilectos filios magistros Hugonem de Mirabello prepositum Mimatensis et Bernardum de Sanctomauricio precentorem Autisiodorensis ecclesiarum capellanos nostros apostolice sedis nuncios ac negocia per nos eis in partibus regnorum et terrarum tuorum commissa regie benivolentie propensius commendamus.

Dat. Avinione, XII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Duodecimo.

870

1328 gener 31, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), a petició de Ximeno (Martínez de Luna), arquebisbe de Tarragona, i l'exhorta, que no permeti que es gravi amb impostos o exaccions, com el bovatge, herbatge o farratge, els habitants de la ciutat i del camp de Tarragona perquè va contra les llibertats i immunitats de la seva església, de la qual depenen per cessió dels prínceps seculars.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 138.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 260, doc. 513.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Referente nuper venerabili fratre nostro Eximino archiepiscopo Terraconensi percepimus quod olim principes seculares earum partium domini ad deum et ecclesiam Terraconensem precipuam devotionem habentes civitatem Terraconensem et campum Tarracone cum omni libertate et absque inquietudine cuiuslibet hominis eidem Terraconensi ecclesie perpetuo donaverunt recognoscentes quod in predictis civitate et campo seu territorio civitatis eiusdem questam collectam fortiam exactionem vel demandam aliquam non habebant et si habere forsitan viderentur, id memorate ecclesie pro suarum animarum salute perpetuo remiserunt quodque in possessione huiusmodi libertatem

FUNDACIÓ NOGUERA

et immunitatem homines predicte ecclesie longissimis temporibus extiterunt. Cum autem tibi fili carissime divina providentia extiterit hactenus admodum liberalis nec sit manus eius abreviata quin existat etiam imposterum si exhibere te curaveris sibi gratum salutique et honori conveniat regio ecclesias et personas ecclesiasticas in suis iuribus et libertatibus confovere. Regalem rogamus excellentiam attentius et hortamur eidem nichilominus sano consilio suadentes, quatinus homines archiepiscopi et ecclesie predictorum contra libertates et immunitates huiusmodi presertim occasione quarundam impositionum seu exactionum que bonaticum aut herbagium seu terragium nuncupantur, a quibus etiam omnes homines tocius Cathalonie immunes esse dicuntur, predictorum archiepiscopi et ecclesie subditos non permittat regia magnificentia indebite molestari, sed eos potius pro divina et apostolice sedis reverentia favore regio super hiis et aliis suis oportunitatibus prosequatur.

Dat. Avinione, II Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Duodecimo.

871

1328 abril 7, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, que no deixi de complir l'acord entre els seus legats i Felip I, príncep de Tàrent, que acudeixi a Niça la seva germana Violant a finals del corrent mes, on l'esperarà Blanca, germana del seu espòs Felip, dèspota de Romania, i esposa del seu germà Ramon Berenguer.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 139.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 260-261, doc. 514.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Audivimus inter dilectum filium nobilem virum Philippum principem Tarentinum de ordinatione carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris germani sui et .. nuncium quem ad ipsum principem destinasti, fuisse condictum quod circa finem presentis mensis Aprilis in quo dilecta in Christo filia nobilis mulier Blanca dicti principis filia sponsa dilecti filii nobilis viri Raymundi Berengarii fratris tui est apud Niciam auctore domino proventura ibidem dilecta in Christo filia nobilis mulier Yolanda soror tua sponsa dilecti filii nobilis viri Philippi Romanie dispoti eiusdem principis filii

FUNDACIÓ NOGUERA

sit parata. Rogamus igitur excellentiam regiam et hortamur attente, ut quantum in te fili carissime fuerit sic promissa solicites quod illa in huiusmodi termino infallibiliter compleantur.

Dat. Avinione, VII Idus Aprilis, pontificatus nostri anno Duodecimo.

872

1328 abril 20, Avinyó

Joan XXII mana al bisbe de Lleida (Arnau de Sescomes), al canceller (de l'Estudi General) i a Bernat de Plegamans, canonge de l'església de Lleida, que autoritzin els estudiants eclesiàstics de l'Estudi General per tal que puguin percebre les rendes dels seus beneficis durant cinc anys, encara que no estiguin presents a Lleida.

A Lleida, Arxiu Municipal, Fons Municipal, Pergamí núm. 272.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.
b GORT, *Documents de l'Estudi*, p. 85-86, doc. 12.
c ENJUANES i altres, *Catàleg de l'Arxiu Municipal de Lleida*, p. 89-90, doc. 135.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Ilerdensi et dilectis filiis .. cancellario ac Bernardo de Plicamonibus canonico ecclesie Ilerdensis salutem et apostolicam benedictionem. Inter ea que placida nos oblectatione letificant illud grandi cor nostrum reficit gaudio et leticia replet optata, cum eos qui celesti sunt providencia prediti ad populorum regimen et regnorum ad communem bonorum profectum intentos conspicimus ipsosque ad publice utilitatis comoda solicitos intuemur probabile namque argumentum tribuitur et spes certa quod tali regimine ipse regum et regnorum dominus honoretur et tam reges et regna quam populi floridis et fructuosis proficiant incrementis. Sane carissimus in Christo filius noster Alfonsus rex Aragonum illustris prudenter attendens quod per viros litteratos et maxime iuris canonici et civilis sciencia preditos reges et populi salutaribus ducuntur consiliis et regna salubriter gubernantur desiderat, quod in civitate Ilerdensi regni sui in qua auctoritate sedis apostolice in utroque iure et aliis scienciis viget studium generale, dictum studium per gratiam sedis eiusdem de bono in melius suscipiat incrementum. Nos igitur dicti regis intentionis propositum dignis in domino laudibus commendantes ut eo libentius studere volentes ad studium ipsum accedant, quo nostram et ipsius sedis gratiam sibi senserint fructuosam, dicti regis supplicationibus inclinati, omnibus et singulis personis ecclesiasticis in dicta civitate infra quinquennium a datum litterarum nostrarum computandum studentibus auctoritate earundem litterarum duximus indulgendum, ut

FUNDACIÓ NOGUERA

fructus redditus et proventus omnium benefitiorum suorum ecclesiasticorum usque ad quinquennium predictum dumtaxat cum ea integritate percipere valeant cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent si in ecclesiis in quibus benefitia ipsa obtinent, personaliter residerent nec interim in eisdem ecclesiis facere personalem residentiam teneantur neque ad id a quoquam inviti valeant coartari. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis ipsarum ecclesiarum iuramento confirmatione apostolica seu quacunque firmitate alia roboratis, etiam si predicte persone de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo etiam ab aliis impetratis prestiterint per se vel per procuratores suos forsitan iuramenta sive si locorum diocesanis et capitulis ecclesiarum predictarum a prefata sede indultum existat vel medio tempore contigerit indulgeri, quod ipsarum ecclesiarum canonicis et personis fructus redditus et proventus benefitiorum suorum ministrare in absencia minime teneantur quodque ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem sive quibuscunque privilegiis indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel spetialibus quorumcunque tenorum existant, per que nostris litteris non expressa vel totalier non inserta effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam fieri oporteat in ipsis litteris mentionem. Volumus autem quod quelibet personarum predictarum per dictum quinquennium et non ultra huiusmodi gratia uti valeat et gaudere. Proviso quod interim benefitia ipsa debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis quibus illa imminet nullatenus negligatur. Presentibus post dictum quinquennium minime valituris. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios faciatis auctoritate nostra eisdem personis fructus redditus et proventus eosdem per idem quinquennium iuxta huiusmodi concessionis nostre tenorem integre ministrari. Non obstantibus omnibus supradictis seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sede indultum existat, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, XII Kalendas Maii, pontificatus nostri Anno Duodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

873

1328 abril 20, Avinyó

Joan XXII comunica i confirma al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) la concessió feta als estudiants eclesiàstics de l'Estudi General de Lleida per tal que puguin percebre les rendes dels seus beneficis durant cinc anys encara que no estiguin presents a Lleida.

A Lleida, Arxiu Municipal, Fons Municipal, Pergamí núm. 273.
a Butlla amb fil de seda.
b GORT, *Documents de l'Estudi*, p. 87-88, doc. 13.
c ENJUANES i altres, *Catàleg de l'Arxiu Municipal de Lleida*, p. 90, doc. 136.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alphonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Inter ea que placida nos oblectatione letificant illud grandi cor nostrum reficit gaudio et leticia replet optata, cum eos qui celesti sunt providencia prediti ad populorum regimen et regnorum ad comunem bonorum profectum intentos conspicimus ipsosque ad publice utilitatis comoda solicitos intuemur probabile namque argumentum tribuitur et spes certa quod tali regimine ipse regum et regnorum dominus honoretur et tam reges et regna quam populi floridis et fructuosis proficiant incrementis. Sane fili carissime tu prudenter attendens quod per viros litteratos et maxime iuris canonici et civilis sciencia preditos reges et populi salutaribus ducuntur consiliis et regna salubriter gubernantur, desideras quod in civitate Ilerdensi regni tui in qua auctoritate sedis apostolice in utroque iure et aliis scienciis viget studium generale, dictum studium per gratiam sedis eiusdem de bono in melius suscipiat incrementum. Nos igitur tue intentionis propositum dignis in domino laudibus commendantes ut eo libentius studere volentes ad studium ipsum accedant, quo nostram et ipsius sedis gratiam sibi senserint fructuosam, tuis supplicationibus inclinati, omnibus et singulis personis ecclesiasticis in dicta civitate infra quinquennium a datum presencium computandum studentibus auctoritate presencium indulgemus, ut fructus redditus et proventus omnium benefitiorum suorum ecclesiasticorum usque ad quinquennium predictum dumtaxat cum ea integritate percipere valeant cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent si in ecclesiis in quibus beneficia ipsa obtinent, personaliter residerent nec interim in eisdem ecclesiis facere personalem residenciam teneantur neque ad id a quoquam inviti valeant coartari. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus contrariis ipsarum ecclesiarum iuramento confirmatione apostolica seu quacunque firmitate alia roboratis, etiam si predicte persone de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo etiam ab aliis impetratis

FUNDACIÓ NOGUERA

prestiterint per se vel per procuratores suos forsitan iuramenta, sive si locorum diocesanis et capitulis ecclesiarum predictarum a prefata sede indultum existat vel medio tempore contigerit indulgeri, quod ipsarum ecclesiarum canonicis et personis fructus redditus et proventus beneficiorum suorum ministrare in absencia minime teneantur quodque ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem sive quibuscunque privilegiis indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel spetialibus quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam fieri oporteat in nostris litteris mentionem. Volumus autem quod quelibet personarum predictarum per dictum quinquennium et non ultra huiusmodi gratia uti valeat et gaudere. Proviso quod interim benefitia ipsa debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis quibus illa imminet nullatenus negligatur. Presentibus post dictum quinquennium minime valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserint, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XII Kalendas Maii, pontificatus nostri Anno Duodecimo.

874

1328 juny 1, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que la data assenyalada per a la sortida a Niça de les galeres portadores de la infanta Violant amb el seu espòs Felip (dèspota de Romania) no ha sofert modificació, segons li comunica Helió de Vilanova, mestre de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, i Joan Cabassole, consellers del seu pare Felip I, príncep de Tàrent.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 140.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 261, doc. 515.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Transmissas nobis novissime litteras regias benigne recepimus inter cetera continentes quod licet carissimum in Christo

FUNDACIÓ NOGUERA

filium nostrum Robertum regem Sicilie illustrem in brevi apud Niciam galeas transmissurum, que dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Iolandam infantissam germanam tuam sponsam dilecti filii nobilis viri Philippi primogeniti dilecti filii nobilis viri Philippi principis Tarentini ad virum suum traducendam predictum expectare debebant, certi relatione regii nuncii percepisses, audito tamen noviter quod guerrarum fremitus in eis partibus ingruebant ne tardaretur nimis, missio galearum huiusmodi regia serenitas hesitans per nos certiori super hoc presertim cum dictam infantissam diutinam, moram in itinere protrahere non deceat postulavit, ad que fili carissime taliter respondemus quod super predictis ac conductu et comitiva decentibus eidem infantisse ministrandis litteras nostras eisdem regi et principi direximus et nichilominus dilecti filii Helionus de Villanova magister Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani et nobilis vir Iohannes Cabassole prefati regis consiliarii se iam asseruerunt scripsisse adicientes insuper indubie se tenere quod ex parte dictorum regis et principis nullus erit in hac parte defectus, quare nos aliam certitudinem regali magnificentie scribere super predictis presentialiter non valemus nec videmus etiam quod in hiis que super traductione dicte sponse ordinata fuerant, nisi sint alia nos latentia existat aliud immutandum.

Dat. Avinione, Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Duodecimo.

875

1328 juny 5, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que Guillem Riquer, ardiaca de Santa Engràcia de l'església d'Osca, portador de les presents lletres, li exposarà de la seva part algunes idees sobre la concòrdia que s'ha d'establir entre Alfons XI de Castella i el noble Joan Manuel, fill de l'infant homònim, i li promet l'enviament de legats si patrocina els seus desitjos de pau.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 141.

a Lletra tancada. Butlla perduda.

b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 261-262, doc. 516.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Super tractanda concordia inter carissimum in Christo filium nostrum Alfonsum regem Castelle illustrem et dilectum filium nobilem virum Iohannem natum quondam Emanuelis infantis, que nobis cordi non mediocriter insidet, nonnulla dilecto filio Guill(erm)o

FUNDACIÓ NOGUERA

Richerii archidiacono sancte Engretie in ecclesia Oscensi exhibitori presentium imposuimus tue celsitudini exponenda, quo super hiis patienter audito, si tue prudentie videatur expediens tractatum ipsum facere prosequi, parati sumus tibi assistere et nichilominus speciales nuncios nostros ipsis diffidentibus destinare.

Dat. Avinione, Nonas Iunii, pontificatus nostri anno Duodecimo.

876

1328 juny 9, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) la fugida de fra Miquel (de Cesena), general dels framenors, excomunicat i portat a Avinyó per respondre davant seu dels càrrecs que se li feren per heretge i cismàtic, juntament amb alguns religiosos del seu orde, entre els quals s'esmenten Bonagratia i l'anglès Guillem d'Ockham. La fugida s'efectuà durant la nit següent a la primera sessió, presidida per ell, amb l'assistència del cardenal bisbe Bertran de Frascati, el procurador general de l'orde i un frare llicenciat del convent d'Avinyó on estava en qualitat de detingut. Per tant, li interessa la seva captura i entrega, en cas que s'hagués refugiat a les seves terres.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 142.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 534-538, doc. 251.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 262, doc. 517.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 203, doc. 5496.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ne lingua tertia frequenter falsa referens ac vera supprimens falsa relatione regalem circumvenire valeat excellentiam, super hiis que in Avinione et Aquis mortuis noviter occurrerunt, ad eius noticiam serie presentium providimus deducendum, quod cum anno preterito Michael tunc fratrum ordinis Minorum generalis minister per totam quadragesimam et ultra moram in Urbe romana traheret, ad aures nostras fidedigna relatione perducto, quod ipse diabolico exagitatus spiritu, quicquid mali et adversi contra nos et sanctam Romanam ecclesiam excogitare poterat, subdole disseminabat ibidem, suis iniquitatibus, quas ut sequitur in apertum protulit, postmodum cupientes occurrere prefatum Michaelem, ut infra certum sibi prefixum terminum coram nobis sub pena excommunicationis, quam ipsum nisi mandato nostro huiusmodi pareret, efficaciter incurrere

FUNDACIÓ NOGUERA

voluimus, comparere curaret personaliter, per nostras duximus litteras evocandum. Qui quidem litteris huiusmodi per eundem receptis, tanquam sibi male conscius se confingens infirmum quibusdam excusatoriis sub colore infirmitatis conficte premissis litteris, quos tam a carissimo in Christo filio nostro Roberto rege Sicilie illustri quam a dilectis filiis communi civitatis Perusine, prout inclusa declarat cedula, obtinuerat, veritate suppressa, suum quantum potuit, protraxit adventum non curans in prefixo sibi termino excusatione cessante rationabili, sicut per fidedignorum litteras et facti evidentiam postea nobis luculenter constitit, comparere, quam ob rem huiusmodi per nos latam in ipsum sententiam excommunicationis incurrit. Postmodum vero longe predicto elapso termino eodem Michaele ad Romanam curiam veniente, cum tam ante ipsius adventum quam post fama vel verius infamia contra ipsum tam per fratres sue religionis quam alias fidedignas personas continue invalesceret, quod ipse zelo ductus maligno contra nos et eandem Romanam ecclesiam queque moliebatur adversa, favendo hereticis et de heresi sententialiter condempnatis ac adherendo ecclesie memorate rebellibus et sue male voluntatis et pravi propositi complices in suo ordine promovendo ac devotos eiusdem ordinis fratres zelatores honoris ecclesie odio persequendo iniquo et quantum poterat deprimendo multaque alia enormia committebat, que preterire silentio salva conscientia minime poteramus, eundem coram nobis pridem duximus personaliter evocandum et eidem in nostra presentia personaliter constituto presentibus venerabili fratre nostro Bertrando episcopo Tusculano necnon dilectis filiis .. procuratore dicti ordinis generali et .. bacallario conventus fratrum ordinis prelibati Avinionensium predicta nobis contra ipsum delata curavimus explicare. Ad quorum examinationem procedere intendentes, cum propter prolixitatem eorum mora brevis non sufficeret, licet Michael ipse posset rationabiliter occasione delatorum huiusmodi carcerali custodie mancipari, sue tamen religionis intuitu ipsum curalius pertractantes eidem sub excommunicationis et depositionis ab officio ac inhabilitationis ad quoscunque dignitates et gradus ecclesiasticos penis et sententiis, quas ipsum si contrafaceret, incurrere voluimus ipso facto districtius iniunximus, ne absque nostra licentia spetiali de civitate Avinionensi recedere attemptaret. Subsequenter vero Michael ipse audita intrusione, que in Urbe predicta de quodam sue religionis patrata dicitur per illum iniquitatis filium Ludovicum de Bavaria ecclesie dei hostem publicum et rebellem ac de heresi sententialiter condempnatum, ad quam siquidem idem Michael pro persona sua, sicut verisimiliter creditur, aspiraverat et adhuc etiam presumitur predicta non obstante intrusione, que ficticia dicitur, tanquam scisma in dei ecclesia inducere sitiens aspirare maleque sibi de perlatis

FUNDACIÓ NOGUERA

contra ipsum conscius intellectoque, quod quedam galea armata ex parte dicti Bavari venerat pro conducendo eodem, sicut ipsius galee patronus publice postmodum affirmavit, spretis inhibitione penis et sententiis nostris predictis furtive ac de nocte associatis sibi quibusdam dicti ordinis ac pravi sui propositi complicibus, uno videlicet vocato Bonagratia, qui culpis et demeritis suis exigentibus arrestatus a nobis iuraverat se absque nostra spetiali licentia de nostra curia minime recessurum, ac quodam Angelico eiusdem ordinis, Guilelmo de Okam nuncupato, contra quem delatum super multis erroneis et hereticalibus opinionibus a magistris sacre pagine confutatis, quas dogmatisasse dicitur ac scripsisse inchoata, iam est annus elapsus, inquisitio auctoritate nostra in eadem curia fuerat et pendebat, propter que ne a dicta curia sine nostra spetiali licentia discederet, extiterat arrestatus, recedere non expavit et in galea predicta se recipiens fuge cum eisdem et quibusdam aliis suis complicibus nequiter se commisit. Et quamvis nos ipsius Michaelis dictorumque complicum fuga postmodum intellecta, pro ipsis a suo devio revocandis certas personas ad diversas partes duxerimus destinandas, ipsi tamen fugitivi comperti et requisiti redire contumaciter renuerunt. Rogamus itaque regiam excellentiam et in domino exhortamur, quatinus quam detestabilia universis catholicis dictus Michael cum eius sequacibus moliatur, in examine regie considerationis adducens ac claris inherens predecesorum suorum vestigiis, qui ad extirpandas hereses et effuganda scismata laudabiliter intendentes, fidem dilataverunt catholicam et eidem ecclesie velut christianissimi principes potenti brachio astiterunt, prefatum Michaelem eiusque complices, si ad regnum et terras regie ditioni subiecta per aquam vel terram forsan declinaverint, capi faciat et fideliter custodiri, subdendos postmodum ecclesiastice discipline ipsorum vel alicuius eorundem seu pro ipsis intercedentium venenosis suggestionibus, quibus mentes fidelium presertim magnatum inficere forsitan cupiunt, nullatenus adherendo, sed sic nobis et eidem ecclesie favorabiliter assistendo, quod preter laudis humane preconium divinam et apostolicam benedictionem et gratiam uberius consequi magnificentia regia mereatur. Ceterum dilecto filio Guilelmo Richerii archidiacono sancte Engratie in ecclesia Oscensi exhibitori presentium, quem tam super premissis latius explicandis quam nonnullis aliis tangentibus litteras pridem directas per tuam celsitudinem regi Trinaclie, ne adhereret heretico Bavaro, informatum remittemus, velit excellentia regia fidem indubiam adhibere.

Dat. Avinione, v Idus Iunii, pontificatus nostri anno Duodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

877

1328 juny 28, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó i Sardenya (el Benigne) el pagament de mil marcs d'argent, fets efectius pel procurador reial Ramon Ferrer de Guardiola, ostiari, lliurats a favor del rei Alfons, com a cens corresponent a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 143.
a Butlla perduda.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 51-52, doc. 13.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 262-263, doc. 518.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 204, doc. 5498.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum et Sardinie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Olim felicis recordationis Bonifatius papa VIII predecessor noster de consilio fratrum suorum tunc sancte Romane ecclesie cardinalium regnum Sardinie et Scorcice clare memorie Iacobo regi Aragonum genitori tuo suisque heredibus et successoribus sub homagio ac pleno vassallagio et fidelitatis iuramento aliisque pactis modis formis et conditionibus certisque serviciis ac censu annuo duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum Romano pontifici ubicunque foret et eidem Romane ecclesie per ipsum regem ac heredes et successores suos solvendorum concessit, sicut in litteris confectis super hoc plenius continetur. Sane cum ad solvendum medietatem dicti census in instanti festo eorundem apostolorum esses astrictus, alia medietate census eiusdem per nos dicto genitori tuo dudum usque ad decem annos extunc continue subsequentes de nostra mera liberalitate et speciali gratia sub certis modis et formis, sicut continetur in instrumentis confectis super hoc de consilio fratrum nostrorum remissa tuque fili carissime pro medietate dicti census et termino dicti festi mille marchas argenti predictorum Sterlingorum per manus dilecti filii Ramundi Ferrerii de Gardiola hostiarii et procuratoris tui nostre feceris camere die dat. presentium assignari. Nos tuis et heredum tuorum volentes indempnitatibus super hiis precavere, recognoscimus et fatemur te per manus dicti hostiarii et procuratoris tui dictas mille marchas Sterlingorum argenti pro medietate dicti census in eodem termino debiti memorate camere sicut premittitur exolvisse, de quibus mille marchis sic solutis te ac dictos heredes et bona tua absolvimus imperpetuum et quitamus.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Duodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

878

1328 juliol 9, Avinyó

Joan XXII dóna compte al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que ha accedit a les seves peticions, despatxos secrets que ha confiat al cavaller Andreu Martí, legat seu. Al mateix temps, li dóna les gràcies per les lletres adreçades al seu avi Robert de Sicília (Nàpols) i al seu oncle Frederic II de Trinàcria, i li ofereix els seus serveis per a una nova mediació per buscar la concòrdia entre ambdós, si ho estima convenient.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 144.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 263, doc. 519.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatis regie litteras nobis per dilectum filium nobilem virum Andream Martini militem et nuncium regium presentatas solita benignitate recepimus, quarum tenore diligentius intellecto mox petitionibus regiis super hiis que continebantur in eisdem favorabiliter annuimus, sicut in litteris nostris inde confectis, quas fieri et assignari secrete prefato militi fecimus, regia providentia plenius poterit intueri. Ad hec quia te fili carissime in nostri ac carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris avunculi tui favorem sicut devotum et benivolum filium scripsisse novissime patruo tuo .. regi Trinaclie illustri percepimus pro hiis que grata sunt nobis admodum et accepta, sublimitati regie gratiarum referimus uberes actiones offerentes nos, si regie providentie videatur expediens pro ipsorum regum reformanda concordia tractatum assumere ac interponere sedule partes nostras.

Dat. Avinione, VII Idus Iulii, pontificatus nostri anno Duodecimo.

879

1328 agost 8, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, que restitueixi a Hilària, filla de Roger de Llúria, el castell i els llocs entregats a Ot de Montcada per sentència arbitrària del seu pare el rei Jaume II d'Aragó i seva.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 130.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 263, doc. 520.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 204, doc. 5499.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilecta in Christo filia nobilis mulier Ilaria nata quondam Rogerii de Lauria de Apulie partibus non sine magnis laboribus et expensis ad presentiam regiam proficiscens solerter insistit, ut quedam castra sibi restituantur et loca per arbitrariam tuam et clare memorie Iacobi regis Aragonum genitoris tui sententiam iuste dudum ei adiudicata ut asserit, que dilectus filius nobilis vir Otto de Monte cateno iusto non habito nec ostenso titulo dicitur indebite postmodum occupasse. Precamur igitur excellentiam regiam et hortamur attente, quatinus prefatam nobilem quam sue devotionis obtentu et non minus intuitu carissime in Christo filie nostre Santie regine Sicilie illustris benivolo favore prosequimur pro reverentia nostra et apostolice sedis sic in premissis et aliis suis agendis habeas honestate previa commendatam, quod gaudeat suam iusticiam reportasse celeriter nosque super hiis promptitudinem regiam dignis propterea commendare laudibus merito valeamus, nec ignores quod super hiis Ottoni prefato dirigimus litteras efficaces.

Dat. Avinione, VI Idus Augusti, pontificatus nostri anno Duodecimo.

880

1328 agost 27, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que, com en altre temps ho va fer amb el seu pare, el rei Jaume II d'Aragó, escolti amb interès Roger de Comenge, vescomte de Coserans, pretendent a la possessió del comtat d'Urgell.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 131.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 264, doc. 521.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum dilectum filium nobilem virum Rogerium de Convenis vicecomitem Conseranensem tam tibi fili carissime quam inclite memorie Iacobo regi Aragonum genitori tuo recommendasse per litteras nostras meminimus deprecando, ut eum super iure quod in comitatu Urgellensi habere se asserit, audiretis benigne ac favorabiliter prout suaderet debitum honestatis et iustitie tractaretis. Sane quia salutis et honoris regii augmentum appetimus, preces ipsas regie celsitudini serie presentium iteramus.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. Avinione, VI Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Duodecimo.

881

1328 agost 28, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), com a príncep cristià, que el dia 4 d'agost els nobles Esteve de Columna i Bertoldo d'Orsini tragueren de Roma Lluís de Baviera, heretge i cismàtic, i que al diumenge següent, el cardenal diaca de Sant Teodor (Joan Gaetano d'Orsini), legat seu, entrà solemnement a Roma. Un cop els senadors prengueren possessió, derogaren els privilegis i ordenacions donades pel bavarès i Pere de Corbera, manaren posar al peu dels contractes l'any del pontificat, segons costum, i traslladaren amb gran solemnitat el Sant Sudari des de l'església de Santa Maria de la Rotonda, on l'havien amagat, al temple de Sant Pere.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 37, núm. 132.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 264, doc. 522.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Post plures nonnullorum tam mercatorum quam aliorum missas de partibus Urbis litteras continentes que divina prudentia pro ecclesia sancta sua ibidem dignata est hiis diebus preteritis operari, die dat. presentium litteras dilecti filii nostri Iohannis sancti Theodori diaconi cardinalis apostolice sedis legati recepimus, quibus inter cetera continetur quod die quarta presentis mensis Augusti Ludovico de Bavaria excommunicato scismatico et heretico Urbe cum ignominia et dispendiis plurimis exeunte, dilecti filii nobiles viri Stephanus de Columpna miles et Bertuldus de filiis Ursi Urbem intraverunt eandem, per quorum solerte industriam Romanus populus se peccasse considerans et cognoscens pacificatus et humiliatus extitit et eosdem nobiles pro nobis et sancta dei ecclesia constituit senatores, et interim prefatus legatus ad Urbem predictam dirigens gressus suos illam intravit die dominica immediate sequenti et a Romanis clamantibus "Vivant sancta mater ecclesia et sanctissimus pater papa Iohannes ac cardinalis legatus et moriantur Bavarus et Petrus de Corvaria heretici et patarini ac alii proditores", cum gloria et honore devote ac honorifice fuit receptus ibique moratur pacifice alloquendo populum et ad devotionem dei ac nostram et ecclesie iugiter exhortando, dictique nobiles suum exercent

FUNDACIÓ NOGUERA

senatorie officium facto per eos in eadem Urbe generali nichilominus parlamento, in quo inter alias reformationes ibidem factas processus privilegia et alia quecunque facta et ordinata per dictos Bavarum et Petrum de Corvaria revocarunt, preconizato etiam per Urbem eandem publice quod omnia talia coram dictis senatoribus infra certum super hoc prefixum terminum portarentur, quodque in omnibus contractibus factis illo tempore tempus pontificatus nostri sicut hactenus poneretur, preterea sanctum sudarium Ihesu Christi quod in ecclesia beate Marie Rotunde de Urbe cum magno tremore per Romanos aliquos servabatur, prefatus legatus cum devotione magna cleri et populi astantium et sequentium ad basilicam Principis Apostolorum de Urbe reportavit in vigilia festi beati Laurentii proxime preteriti et in loco solito honorabiliter collocavit. Et quia tenemus indubie te fili carissime de prosperitate ecclesie matris tue velut devotum ipsius filium et principem christianissimum ac errancium et ab ea deviantium conversione et reductione ad ipsam plenis et devotis affectibus consolari, premissa tue celsitudini ut nobiscum in domino congaudeas et inde nostro gratiarum actiones offeras salvatori serie presentium intimamus. Hec autem nunciare magnificencie regie usque ad diem dat. quo ad nos predicte littere pervenerunt distulimus de premissis a fidedignioribus certiores effici prestolantes.

Dat. Avinione, V Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Duodecimo.

882

1328 octubre 14, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que comissiona el seu germà Joan, abans arquebisbe de Toledo i ara patriarca electe d'Alexandria, per rebre en nom seu l'homenatge i jurament de fidelitat, que ha de prestar a l'Església pel feu de Sardenya i Còrsega, en lloc de fer-ho davant d'ell personalment, com sol·licitava.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 147.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 59-60, doc. 22.
c MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VIII, p. 45, doc. 43126.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 265, doc. 523.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 205, doc. 5504.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonie illustri salutem et apostolicam

FUNDACIÓ NOGUERA

benedictionem. Suavem agri pleni cui dominus benedixerit odorem in te filio benedictionis sentire gaudemus tuarum aromata considerando virtutum et strenuitatem laudabilium actionum, ex quibus profecto personam tuam paterne dilectionis ubertate prosequimur et apostolice benivolencie gratiam erga te plenis affectibus explicamus. Sane nuper post decessum clare memorie Iacobi Aragonie Sardinie et Corsice regis genitoris tui tu eidem Iacobo regi in Aragonie Sardinie et Corsice regnis utpote eius legitimus heres succedens prudenter attendens quod ipse iuxta formam et condiciones contentas in litteris felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri confectis de collatione concessione et donatione dicti regni Sardinie et Corsice dicto Iacobo regi suisque heredibus ex suo et ipsorum heredum corporibus legitime descendentibus factis per predecessorem eundem fidelitatem vassallagium plenum et homagium ligium ac iuramentum facere et prestare secundum formam in litteris eisdem expressam nobis et Romane ecclesie personaliter tenebaris per dilectum filium nobilem virum infantem Petrum comitem Rippacurcie fratrem et nuncium tuum propter hoc ad sedem apostolicam specialiter destinatum a nobis instanter filiali fiducia et supplicatione devota humiliter postulasti, ut cum tibi hiis diebus propter occupationes varias, quas tibi nova suscepti regiminis dictorum regnorum auspicia subministrant, ad presentiam nostram personaliter accedere grave foret huiusmodi fidelitatem et iuramentum secundum predictam formam a prefato infante nomine tuo recipere dignaremur. Licet igitur magnitudo et qualitas huiusmodi negocii exigere noscerentur, ut tu clara tue devotionis insignia Romane ecclesie matri tue per personalem presentiam ostensurus ac fidelitatem vassallagium homagium ligium et iuramentum huiusmodi presencialiter prestiturus apostolicam sedem personaliter visitares. Nos tamen ex certis causis que ad id rationabiliter nos inducunt, tuis in hac parte supplicationibus annuentes ac de venerabili fratre nostro Iohanne olim archiepiscopo Toletano in patriarcham Alexandrinum electo utpote viro probate circumspectionis ac fidelitatis et industrie plenam in domino fiduciam obtinemus deliberatione super hiis cum fratribus nostris prehabita de ipsorum consilio sibi de magna et speciali gratia, quam hac vice tibi facere intendimus, in hac parte, ita quod imposterum ad consequentiam non trahatur super receptione dictorum fidelitatis pleni vassallagii homagii ligii et iuramenti necnon confessionis recognitionis et promissionis per stipulationem solennem ac iuramenti et ceterorum in litteris nostris dicto electo directis contentorum ad que nobis et ecclesie prefate teneris per speciales apostolicas litteras committimus vices nostras, serenitatem tuam requirentes attentius et hortantes, quatinus predicto electo cui hec a te recipienda commisimus, affectu prompto et libero pro nobis et successoribus nostris et dicta ecclesia

FUNDACIÓ NOGUERA

pro dicto regno Sardinie et Corsice fidelitatem vassallagium plenum homagium ligium et alia in litteris eisdem expressa facere et implere procures in hiis et aliis, que honorem ecclesie sepefate respiciunt, te taliter habiturus quod exinde tibi laudis humane preconium et benedictionis divine proveniat incrementum. Nolumus tamen quod per huiusmodi confessionem recognitionem promissionem iuramenta et obligationes quascunque, que ut predicitur feceris gratie nostre quam de eorundem fratrum consilio tibi fecimus per alias litteras nostras super remissione medietatis census duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum nobis et eidem ecclesie in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis integraliter pro dicto regno Sardinie et Corsice persolvendi a data litterarum prefate gratie durature usque ad decennium in aliquo derogetur, sed predictam gratiam nichilominus durante predicto decennio in pleno volumus robore permanere.

Dat. Avinione, II Idus Octobris, pontificatus nostri anno Terciodecimo.

883

1328 octubre 14, Avinyó

Joan XXII comissiona l'infant Joan, abans arquebisbe de Toledo i ara patriarca electe d'Alexandria, per rebre l'homenatge i jurament de fidelitat a l'Església del rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) pel feu de Sardenya i Còrsega, fórmula la qual transcriu. El papa desitja que l'acte se celebri amb gran solemnitat al cap d'un mes i li envia testimoni segellat amb reial butlla d'or.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 148.
a Butlla amb fil de cànem.
b RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, XV, p. 393, cap. 83-84; p. 394, cap. 86 (en part).
c TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 56-58, doc. 21.
d MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VIII, p. 45, doc. 43125.
e MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 265, doc. 524.
f *Schedario Baumgarten*, III, p. 206, doc. 5505.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Iohanni olim archiepiscopo Toletano in patriarcham Alexandrinum electo salutem et apostolicam benedictionem. Suavem agri pleni cui dominus benedixit odorem in carissimo in Christo filio nostro Alfonso Aragonie Sardinie et Corsice rege illustri benedictionis filio sentire gaudemus aromata considerando virtutum et strenuitatem suarum

FUNDACIÓ NOGUERA

laudabilium actionum, ex quibus profecto personam suam paterne dilectionis ubertate prosequimur et apostolice benivolentie gratiam erga eum plenius affectibus explicamus. Sane nuper post decessum clare memorie Iacobi Aragonie Sardinie et Corsice regis genitoris sui idem Alfonsus eidem Iacobo regi in Aragonie Sardinie et Corsice regnis utpote eius legitimus heres succedens prudenter attendens quod ipse iuxta formam et condiciones contentas in litteris felicis recordationis Bonifatii pape VIII predecessoris nostri confectis de collatione concessione et donatione dicti regni Sardinie et Corsice dicto Iacobo regi suisque heredibus ex suo et ipsorum heredum corporibus legitime descendentibus factis per predecessorem eundem fidelitatem vassallagium plenum et homagium ligium ac iuramentum facere et prestare secundum formam in litteris eisdem expressam nobis et Romane ecclesie personaliter tenebatur per dilectum filium nobilem virum infantem Petrum comitem Rippacurcie fratrem et nuntium suum propter hoc ad sedem apostolicam spetialiter destinatum a nobis instanter filiali fiducia et supplicatione devota fecit humiliter postulari, ut cum sibi hiis diebus propter occupationes varias, quas sibi nova suscepti regiminis dictorum regnorum auspicia subministrant, ad presentiam nostram personaliter accedere grave foret huiusmodi fidelitatem et iuramentum secundum predictam formam a prefato infante nomine dicti regis recipere dignaremur. Licet igitur magnitudo et qualitas huiusmodi negotii exigere noscerentur, ut idem rex clara sue devotionis insignia Romane ecclesie matri sue per personalem presentiam ostensurus ac fidelitatem vassallagium homagium ligium et iuramentum predicta presentialiter prestiturus sedem predictam personaliter visitaret. Nos tamen ex certis causis que ad id rationabiliter nos inducunt, suis in hac parte supplicationibus annuentes ac de te utpote viro probate circumspectionis ac fidelitatis et industrie plenam in domino fiduciam obtinentes, deliberatione super hiis cum fratribus nostris prehabita de ipsorum consilio tibi de magna et speciali gratia, quam hac vice persone dicti Alfonsi regis facere intendimus, in hac parte, ita quod imposterum ad consequentiam non trahatur super infrascriptis committimus vices nostras fraternitati tue tenore presentium iniungentes, quatinus infra mensem computandum a receptione presentium, quas tibi per dilectum filium magistrum Hugonem de Mirabello prepositum ecclesie Mimatensis capellanum nostrum et eiusdem sedis nuntium mittimus certam diem solennem, dummodo dies ipsa eundem mensem ab huiusmodi receptione presentium ut premittitur computandum nequaquam excedat et locum aliquem insignem, quos ad hec duxeris deputandos, eidem Alfonso regi assignare procures. Qua siquidem die in maiori ecclesia dicti loci existente inibi nuntio supradicto, totum tenorem litterarum predecessoris eiusdem, quem

FUNDACIÓ NOGUERA

tibi sub bulla nostra transmittimus, in eiusdem regis ac cleri et populi dicti loci presentia plene ac seriose legi fideliter facias et exponi, quibus sic lectis et expositis ilico ab eodem Alfonso rege personaliter nomine nostro et successorum nostrorum Romanorum pontificum ac eiusdem Romane ecclesie fidelitatem plenum vassallagium homagium ligium et iuramentum in forma curabis recipere infrascripta videlicet:

Ego Alfonsus dei et apostolice sedis gratia rex Sardinie et Corsice plenum vassallagium fidelitatem et ligium homagium faciens et iuramentum prestans pro dicto regno Sardinie et Corsice ab hac hora inantea fidelis et obediens ero beato Petro domino meo domino Iohanni divina providentia pape XXII suisque successoribus canonice intrantibus sedique apostolice Romane ecclesie, non ero in consilio aut consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum aut capiantur mala captione, consilium quod michi crediturі sunt per se aut per nuntios suos sive per litteras ad eorum dampnum me sciente nemini pandam et si scivero fieri vel procurari sive tractari aliquid quod sit in ipsorum dampnum illud pro posse impediam, et si impedire non possem, illud eis significare curabo, papatum Romanum et regalia sancti Petri tam in regno predicto quam alibi existentia adiutor eis ero ad retinendum et defendendum ac recuperandum et recuperata manutenendum contra omnem hominem universas et singulas conditiones modos seu formas ac tenores contentos in litteris concessionis dicti regni Sardinie et Corsice, ac omnia et singula que continentur in eisdem litteris plenarie adimplebo et inviolabiliter observabo nec ullo unquam tempore veniam contra illa, sic me deus adiuvet et hec sancta dei evangelia.

Ac deinde in tui presentia representantis personam nostram et fungentis vice nostra et eiusdem Romane ecclesie in hac parte ac recipientis nomine nostro et successorum nostrorum et Romane ecclesie predictorum confessionem recognitionem promissionem per stipulationem solennem et iuramentum necnon obligationes et promissiones et cetera infrascripta, nuntio inibi existente prefato idem Alfonsus rex clero et populo etiam presentibus antedictis, confitebitur et recognoscet expresse ex gratia et liberalitate predecessoris eiusdem et Romane ecclesie, dictum regnum Sardinie et Corsice eidem genitori suo ac sibi suisque heredibus fuisse concessum in feudum, et sic dictum genitorem suum illud recepisse seque illud tenere sub conditionibus conventionibus sive pactis, modo tenore ac forma que in dictis eiusdem predecessoris litteris continentur, quos per stipulationem solennem promittet et iurabit se inviolabiliter servaturum. Pro quibus etiam servandis dictum regnum Sardinie et Corsice iuraque sibi in eo competentia et competitura et bona sua, que ibidem consistunt et

FUNDACIÓ NOGUERA

consistent, nobis et ipsi ecclesie obligabit et promittet nichilominus, quod successores sui heredes in dicto regno Sardinie et Corsice eo tempore, quo facient et prestabunt vassallagium homagium et fidelitatis iuramentum sub forma predicta, similia confessiones recognitiones promissiones iuramentum et obligationes facient et prestabunt Romano pontifici, qui erit pro tempore et ecclesie supradicte. Insuper dictus Alfonsus rex eo tempore quo fecerit et prestiterit vassallagium homagium et fidelitatis iuramentum predicta, pro eodem regno Sardinie et Corsice dabit infra mensem post privilegium seu litteras aurea bulla bullata sua, in quo vel quibus fatebitur et recognoscet expresse dictum Sardinie et Corsice regnum predictum genitorem suum a prefatis predecessore ac Romana ecclesia recepisse in feudum seque illud simili modo in feudum tenere a nobis et ecclesia supradicta sub conditionibus conventionibus modo et forma atque tenore, qui in eiusdem predecessoris litteris continentur, quos tenorem modum conditiones conventiones et formam promittet se inviolabiliter servaturum, pro quorum observantia obligabit se et dictum regnum Sardinie et Corsice iura et bona sibi competentia et competitura in eo. Prefatus quoque Alfonsus rex in predictis privilegio seu litteris aurea sua bulla bullatis expresse similiter fatebitur et etiam recognoscet se prestitisse in manibus tuis fungentis in hac parte ut premittitur vice nostra et eiusdem Romane ecclesie ac recipientis nomine nostro et successorum nostrorum et Romane ecclesie predictorum in prescripta forma fidelitatem plenum vassallagium homagium ligium et etiam iuramentum necnon se fecisse obligationes et promissiones et alia suprascripta pro se suisque heredibus supradictis tibi nomine nostro et ecclesie prelibate, prout hec superius continentur. Quod si forte idem Alfonsus rex infra supradictum mensem a receptione presentium ut premittitur computandum in manibus tuis non faceret nec adimpleret premissa aut in prefatis privilegio seu litteris aurea sua bulla bullatis non fateretur et recognosceret se in manibus tuis nomine supradicto prestitisse fidelitatem plenum vassallagium homagium ligium et iuramentum in forma prescripta et fecisse alia supradicta huiusmodi gratia circa commissionem huiusmodi specialiter sibi facta nullius penitus sit momenti, quinimmo dictus rex eiusque heredes ad observandum conditiones conventiones modum et formam atque tenorem in litteris predecessoris eiusdem contentos sub penis in ipsis expressis remaneant obligati. Non tamen intendimus in hoc casu prorogationi super huiusmodi fidelitate vassallagio ligio homagio et iuramento prestandis per speciales litteras nostras eidem Alfonso regi concesse usque ad tempus determinatum in eis in aliquo derogare. Nolumus etiam quod per huiusmodi confessionem recognitionem promissionem iuramenta et obligationes quascunque, que idem rex ut predicitur

FUNDACIÓ NOGUERA

fecerit gratie nostre quam de eorundem fratrum consilio sibi fecimus per alias litteras nostras super remissione medietatis census duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum nobis et eidem ecclesie in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis integraliter pro dicto regno Sardinie et Corsice persolvendi usque ad decennium a datum litterarum prefate gratie durature in aliquo derogetur, sed predictam gratiam nichilominus durante predicto decennio in pleno volumus robore permanere. Omnium autem que in prefatis eiusdem predecessoris litteris continentur, declaratio et interpretatio quotiens opus fuerit faciende ad Romanum pontificem seu ad Romanam ecclesiam pertinebunt, quotienscunque super ipsis vel eorum aliquo vel aliquibus ambiguitatis aliquid vel dubii oriri continget, cuius Romani pontificis vel Romane ecclesie interpretationi et declarationi stabitur verbo vel litteris prout ipsis Romano pontifici vel ecclesie placuerit faciendis.

Dat. Avinione, II Idus Octobris, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

884

1328 octubre 14, Avinyó

Joan XXII mana a l'infant Joan, abans arquebisbe de Toledo i ara patriarca electe d'Alexandria, que publiqui la còpia que li envia de la butlla "Super reges et regna" de Bonifaci VIII perquè tant ell com el rei sàpiguen a què atenir-se amb relació a l'homenatge i jurament de fidelitat que el rei ha de prestar a l'Església pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 149.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 266, doc. 525.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 206, doc. 5506.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Iohanni olim archiepiscopo Toletano in patriarcham Alexandrinum electo salutem et apostolicam benedictionem. Ut ad executionem eorum que super receptione fidelitatis vassallagii homagii ligii et iuramenti recipiendorum nomine nostro et successorum nostrorum Romanorum pontificum ac Romana ecclesia a carissimo in Christo filio nostro Alfonso Aragonie Sardinie et Corsice rege illustri personaliter secundum quod in litteris nostris super hoc tibi directis plenius continetur, possis clarius instrui et informari, quid per te in hac parte gerendum quidve per dictum regem iurandum et recognoscendum fuerit in pre-

FUNDACIÓ NOGUERA

missis necnon de modis conventionibus et conditionibus contentis in litteris felicis recordationis Bonifatii pape VIII predecessoris nostri confectis de collatione concessione et donatione dicti regni Sardinie et Corsice clare memorie Iacobo Sardinie et Corsice regi genitori tuo suisque heredibus ex suo et ipsorum heredum corporibus legitime descendentibus factis per predecessorem eundem plenari edoceri totum tenorem dictarum litterarum predecessoris eiusdem de verbo ad verbum insertum presentibus tibi providimus destinandum, fraternitati tue in virtute obedientie per apostolica scripta districte precipiendo mandantes, quatinus circa premissa necnon publicationem earundem litterarum predecessoris eiusdem que per dictas alias litteras tibi scripsimus diligenter exequi studeas. Tenor vero dictarum litterarum de verbo ad verbum talis est:

Super reges et regna --. Dat. Rome apud sanctum Petrum, II Nonas Aprilis, pontificatus nostri Anno Tertio.[20]

Dat. Avinione, II Idus Octobris, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

885

1328 novembre 16, Avinyó

Joan XXII anuncia al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que després de l'òbit de Berenguer (de Guàrdia), bisbe de Vic, ha nomenat bisbe electe d'aquesta diòcesi Galceran (Sacosta), ardiaca d'Urgell i Valls d'Andorra. El papa, en consideració a la unanimitat del capítol de Vic en l'elecció del successor i a les qualitats de l'electe, encara que s'havia reservat la provisió d'aquesta vacant, el confirma per a l'esmentat càrrec. Li prega que el rebi favorablement, juntament amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 150.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 266, doc. 526.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gratie divine premium et preconium humane laudis acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralium ecclesiarum regimini presidentibus honor debitus im-

20. Vegeu doc. 577.

FUNDACIÓ NOGUERA

pendatur. Olim siquidem bone memorie Berengario episcopo Vicensi regimini Vicensis ecclesie presidente, nos cupientes eidem ecclesie cum eam vacare contingeret nostre operationis ministerio ydoneam fructuosamque presidere personam provisionem ipsius ecclesie ea vice ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum dicti Berengarii episcopi qui nuper in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari dilectum filium Galcerandum electum Vicensem archidiaconum Urgellensem et Vallis andorre in ecclesia Urgellensi in presbiteratus ordine ac apud sedem apostolicam personaliter constitutum per formam compromissi in Vicensem episcopum quamvis de facto concorditer elegerunt, idemque electus postmodum huiusmodi electioni illius sibi pro parte dictorum capituli presentato decreto de reservatione et decreto predictis certus effectus noluit prestare consensum. Deinde huiusmodi negocio electionis ad nostram deducto noticiam nos attendentes dictam electionem post et contra reservationem et decretum predicta factam eam reputavimus prout erat irritam et inanem, ac de provisione celeri et felici prefate Vicensis ecclesie de qua nullus se ea vice preter nos intomittere poterat reservatione ac decreto predictis obstantibus, ne longe vacationis exponeretur incomodis cogitare cepimus diligenter et tandem post deliberationem quam ad preficiendum ipsi Vicensi ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam per quam posset preservari a noxiis et adversis ac in suis manuteneri iuribus et etiam adaugeri cum fratribus nostris habuimus vigilanter ad prefatum electum considerantes unanimem in eum directam dictorum capituli voluntatem necnon litterarum scientiam honestatem morum et vite prudentiam spiritualium et temporalium providentiam aliaque multiplicium virtutum tuarum merita, que sibi sicut ex testimoniis fidedignis accepimus suffraganter direximus aciem nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona dicti Galcerandi electi nobis et eisdem fratribus ob premissorum suorum exigentiam meritorum accepta prefate Vicensis ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod prefata Vicensis ecclesia per sue industrie ac circunspectionis fructuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur ac in eisdem spiritualibus et temporalibus gratia sibi suffragante divina votiva suscipiet incrementa. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus dei

FUNDACIÓ NOGUERA

ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem electum et prefatam Vicensem ecclesiam sue cure commissam habens pro apostolice sedis et nostra reverentia commendatos ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem electus tuo suffultus auxilio in commisso sibi cure pastoralis officio possit deo propitio prosperari ac tibi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

886

1328 desembre 5, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que no pot accedir als seus desitjos que Ferrer Colom, canonge de l'església de Lleida, sigui nomenat per a la seu de Vic perquè ho ha fet a favor de Galceran Sacosta, canonge d'aquesta mateixa seu, atès que fou elegit per unanimitat pel capítol després d'haver exercit amb satisfacció de tothom el càrrec de procurador dels reis de Mallorca a la cúria apostòlica, i també perquè estigué recomanat en altres ocasions per a aquesta dignitat pel mateix rei Alfons i pel rei de Mallorca. Tampoc no el pot complaure a donar l'ofici de notari a Pere de Sant Antonino, perquè està casat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 151.
a Butlla perduda.
b SÁINZ DE BARANDA, *España Sagrada*, XLVII, p. 281-282, doc. 25.
c FINKE, *Acta Aragonensia*, IV, p. 711-712, doc. 36.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 267, doc. 527.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Missas nobis regalis excellentie litteras, per quas dilectum filium Ferrarium Columbi prepositum ecclesie Ilerdensis per nos Vicensi ecclesie prefici petiisti, solite benignitatis affectu recepimus et earum intelleximus seriem diligenter. Et licet optemus fili carissime super hiis que cum deo et nostra decentia possumus annuere favorabiliter votis tuis, quia tamen ad notitiam nostram et fratrum nostrorum deducto, quod dilectus filius Gaucerandus Çacosta electus Vicensis, qui ut procurator carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris filii tui et inclite memorie Iacobi

FUNDACIÓ NOGUERA

regis Maioricarum sui patrui et predecessoris in Romana curia longo tempore serviendo, circa ipsorum honores et commoda promovenda prudenter et fideliter se impendit, pro quo etiam super promotione sua tam tuas quam eiusdem regis Maioricarum alias preces recepimus efficaces, per capitulum dicte Vicensis ecclesie, in qua existebat canonicus, concorditer fuerat electus, considerato etiam quod ipse diutius in eadem curia moram trahens per suam honestam conversationem et placidam se nobis et fratribus nostris gratum multipliciter reddidit et acceptum, visum nobis et ipsis fratribus nequaquam extitit, premissis sic circa ipsum concurrentibus, eum fore decenter a provisione huiusmodi repellendum, quare regia circumspectio predictis in considerationem deductis nos habeat si suis precibus in hac parte non annuimus excusatos, prefatum autem Ferrarium oportunis loco et tempore habere intendimus obtentu celsitudinis regie commendatum. Nec miretur magnificentia regia, si petitionem pro dilecto filio Petro de Sanctoantonino super concedendo sibi officio tabellionatus porrectam non exaudivimus, cum officium huiusmodi non consueverimus concedere coniugatis.

Dat. Avinione, Nonas Decembris, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

887

1328 desembre 23, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), a precs del castellà d'Amposta (Sanç d'Aragó) i del prior de Catalunya de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem (Arnau d'Alós) que intercedeixi davant el jueu Ismael (d'Oblitis), creditor seu, per tal que els concedeixi una treva en el pagament dels seus deutes sense haver d'abonar els interessos usufructuaris.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 152.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 267-268, doc. 528.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Exposuerunt nobis dilecti filii .. castellanus Emposte et .. prior Cathalonie Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, quod Ismael iudeus pretextu quorundam debitorum in quibus eidem obligati esse dicuntur, ipsos ac domos hospitalis eiusdem sub eorum regimine constitutas inhumaniter et crudeliter prosequi non desistit,

FUNDACIÓ NOGUERA

extorquere nichilominus per usurariam pravitatem ab eisdem satagens magnas et immoderatas summas pecunie ultra sortem. Cum autem prefati castellanus et prior asserant se non posse de dicto debito eidem iudeo absque magno et enormi predicti hospitalis detrimento satisfacere, nisi eis per eundem iudeum dilationes competentes alique super solutione dicti debiti concedantur, regiam exellentiam attentius deprecamur, quatinus iudeum ipsum ut eosdem castellanum et priorem super hiis prosequatur favorabilius eisque dilationes predictas concedat, infra quas ipsi ad eas partes regressi satisfacere possint de dicto debito comode usuris interim cessantibus induci efficaciter pro divina et apostolice sedis reverentia regia sublimitas faciat nec eosdem castellanum et priorem compelli ad solvendum predictas usuras permittat, quas utriusque testamenti pagina detestatur.

Dat. Avinione, x Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Terciodecimo.

888

1328 desembre 30, Avinyó

Joan XXII concedeix a Berenguer Ferrer, prevere de Barcelona, la provisió d'un benefici sense cura d'ànimes, depenent de la disposició del bisbe (Ponç de Gualba) i del capítol de Barcelona, no obstant el de l'església de Santa Maria del Pi de Barcelona, al qual està obligat a servir en persona.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-215.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, VIII, p. 105, doc. 43680.

IOHANNES (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Berengario Ferrarii presbitero Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Probitatis et aliarum tuarum merita virtutum, quibus prout testimonio fidedignorum accepimus, iuvari dinosceris, ut ad personam tuam apostolice provisionis dexteram extendamus. Hinc est quod nos volentes tibi huiusmodi tuorum meritorum intuitu graciam facere specialem, beneficium ecclesiasticum sine cura ad venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum capituli Barchinonensium collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem pertinens communiter vel divisim, cuius fructus redditus et proventus quadraginta librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime valorem annuum non excedunt, siquod in ecclesia Barchinonensi vacat ad presens vel cum vacaverit, quod tu per te vel procuratorem tuum ad hoc legitime constitutum infra

FUNDACIÓ NOGUERA

unius mensis spacium, postquam tibi vel eidem procuratori de illius vacatione constiterit acceptarit conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus, districtius inhibentes eisdem episcopo et capitulo ne de huiusmodi beneficio interim etiam ante acceptationem predictam nisi postquam eis constiterit quod tu vel procurator predictus illud nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis iuramento confirmatione sedis apostolice vel quacumque firmitate alia roboratis aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi beneficiis in dicta ecclesia speciales vel in illis partibus generales nostras vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum aut legatorum sedis apostolice litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia inibi expectantibus, te [in assecu]tione dicti beneficii volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari, seu si eisdem episcopo et capitulo vel [quibusvis] aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gracie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, seu quod in ecclesia sancte Marie de Pinu Barchinonensi quoddam simplex beneficium, in quo ex ordinatione instituentis personaliter servire teneris, nosceris obtinere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre reservationis inhibitionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, III Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri Anno Tertiodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

889

1329 gener 1, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que ha rebut les seves lletres amb la resposta del rei Frederic II de Trinàcria i el seu missatger Guillem Costa de l'orde dels predicadors, inquisidor d'Aragó, qui l'assabentà de la reforma del tractat sobre la qüestió de Sicília, proposada per ell, assessorat pels seus germans Joan, patriarca d'Alexandria, i Pere, comte de Ribagorça. Espera que el posarà al corrent dels resultats.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 153.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 268, doc. 529.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad nostram nuper veniens presentiam dilectus filius Guil(e)l(mu)s Costa de ordine Predicatorum heretice pravitatis in eis partibus inquisitor celsitudinis regie nuncius nobis litteras regias, per quas eidem adhiberi fidem petiisti credulam, presentavit quibus nuncio et litteris benigne consideratione mittentis et ipsius missi probitatis obtentu receptis nuncius ipse suam verbo coram nobis prudenter proposuit et in scriptis tradidit credentiam inter cetera continentem, quatinus princeps magnificus Fredericus rex Trinacrie ad ambaxiatam super reformanda pace inter ipsum ac carissimum in Christo filium nostrum Robertum regem Sicilie illustrem a te fili carissime per eundem nuncium sibi missam responderat necnon quod ex tractatibus alias super eadem pace habitis unum tractatum cum tui deliberatione consilii elegeras per venerabilem fratrem nostrum Iohannem patriarcham Alexandrinum et dilectum filium nobilem virum Petrum infantem comitem Ripacurcie germanos tuos actore domino prosequendum, super quibus et aliis negocium pacis huiusmodi tangentibus expositis nobis per nuncium ipsum deliberatione previa et cum ipso nuncio habito colloquio sicut expedire vidimus et tractatu tibi fili amantissime, quem de tam ferventi desiderio quod te ad reformationem pacis predicte habere pretendis commendamus cum gratiarum actionibus uberibus respondemus, sicut continetur plenius in cedula presentibus interclusa, cuius intellecta serie deliberationeque habita sicut regie prudentie videbitur diligenti nos de intentione ac voluntate sua super hiis efficere studeat regia sublimitas certiores.

Dat. Avinione, Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

890

1329 gener 11, Avinyó

Joan XXII mana a l'ardiaca de Ravós, a Ramon de Vilademany i a Arnau de Mont-rodó, canonges de l'església de Girona, que decideixin sobre la causa d'apel·lació d'Arnau Guillem de Mont-ras, laic, i Bevenguda, vídua de Guillem Mir de Palafruguell, laic de la diòcesi de Girona, contra la sentència que ha fet Simó Galet, clergue de Girona.

A Barcelona, Arxiu Diocesà, Col·legiata de Santa Anna, Pergamins, carpeta 4, núm. 6.

a Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. archidiacono de Rogationibus et Raymundo de Villa de Magno ac Arnaldo de Monterotundo canonicis ecclesie Gerundensis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis Arnaldus Gaffa et Guil(e)l(mu)s Petri de Monteraso laici ac Bevenguta relicta quondam Guilelmi Mir de Palafrugello laici vidua Gerundensis diocesis petitione monstarunt, quod cum Bernardus Boneria qui se gerit pro perpetuo capellano capelle castri de Begurio eiusdem diocesis ipsos Arnaldum Guil(e)l-(mu)m et Bevengutam super quibusdam annuis censibus pecuniarum summis et rebus aliis in quibus eos sibi teneri falso dicebat coram Symone Galeti clerico Gerundensi cui .. officialis Gerundensis ad quem huiusmodi causarum cognitio in civitate et diocesi Gerundensi de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet causam huiusmodi non ex delegatione apostolica ut dicitur audiendam commiserat et fine debito terminandam communiter traxisset in causam idem Symon perperam in huiusmodi causa procedens diffinitivam contra dictos Arnaldum Guil(e)l(mu)m et Bevengutam sententiam promulgavit iniquam ipsos in quadam summa pecunie parti alteri expensarum nomine persolvenda nichilominus condempnando, a qua quidem sententia pro parte dictorum Arnaldi Guil(e)l(m)i et Bevengute fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus legitime in huiusmodi appellationis causa procedentes sententiam ipsam confirmare vel infirmare usuris cessantibus appellatione remota procuretis sicut de iure fuerit faciendum. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, III Idus Ianuarii, pontificatus nostri Anno Terciodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

891

1329 febrer 20, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que desestima la seva petició i la de Felip VI de França de concedir dispensa de l'impediment de consanguinitat en segon grau a l'infant Pere, comte de Ribagorça, per contraure matrimoni amb Elionor, reina de Xipre, filla de Frederic II, rei de Trinàcria. Fonamenta la denegació en el fet que aquest enllaç no reporta cap bé a l'Església perquè Frederic és enemic d'aquesta i aliat de Lluís de Baviera, heretge i cismàtic, i no afavoreix la pau entre els prínceps. Manifesta el seu disgust pel que li ha dit Ferrer de Canet, cavaller, missatger seu, portador de les seves lletres, que "amb dispensa o sense ella el matrimoni se celebraria", paraules que no creu que les digués el rei, perquè són impròpies d'un príncep cristià.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 154.
a Butlla amb fil de cànem.
b RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, XV, p. 395-396, cap. 88-91 (en part).
c FINKE, *Acta Aragonensia*, IV, p. 715-719, doc. 39.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 268-269, doc. 530.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatis regie litteras una cum quadam aperta scriptura sigillo impresso regio in eadem nobis per dilectum filium nobilem virum Ferrarium de Caneto militem nuncium regium presentatas benigne recepimus et contenta in eis et que idem miles proponere voluit pleno collegimus intellectu. Quarum equidem scripturarum effectus principaliter postulabat, ut quod inter dilectum filium nobilem virum Petrum comitem Ripacurcie germanum tuum et carissimam in Christo filiam nostram Elionor reginam Cipri, non obstante quod ex utroque stipite sint secundo gradu consanguinitatis coniuncti, posset celebrari matrimonium, vellemus per dispensationis beneficium providere. Quod utique carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francorum illustris per suas litteras nobis per eundem militem exhibitas efficaciter suadebat. Sane fili carissime, quamquam libenter tam regis prefati Francorum quam tuis affectibus, quantum cum deo possumus, annuamus, sicut de tuis docente magistra rerum experientia circumspectionem regiam credimus non latere, super dispensationis tamen postulate negotio sine dei offensa, proximi et ecclesie preiudicio impresentiarum, quod moleste ferimus, annuere non valemus. Cum enim statuta sacrorum canonum non sint nisi pro necessitate vel utilitate ecclesie mutilanda et hanc dispensationem, ut clare patet, necessitas aliqua ecclesie non requirat nec ex ea speretur

utilitas aliqua probabiliter subsequi, cum nec inter comitem et reginam predictos seu inter ipsum comitem et eiusdem regine progenitores discensio vigeat nec subsit materia, ex qua inposterum debeat probabiliter excitari, patet quod propter bonum pacis, propter quod plerumque consuevit ecclesia ad dispensationis beneficium inclinari, non potest sine transgressione canonum tale beneficium super hoc impertiri. Rursus nedum non expectatur utilitas ex copula supradicta, immo quod subsequi debeant pericula gravia probabiliter formidatur. Novit enim providentia regia, .. regem Trinacrie fore dicte genitorem regine nec ignorat regem ipsum Trinacrie cum Ludovico dudum duce Bavarie hoste dei et ecclesie ac de fautoria hereticorum et crimine heresis condempnato carissimique in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris persecutore atrocissimo colligatum existere ac actualiter una cum dicto Ludovico dictum regem et regnum, quod ad ecclesiam Romanam iure directi dominii pertinet et pro quo idem rex eiusdem ecclesie vassallus existit, persecutus est estate preterita, et ut in futuro persequi valeat sicut dicitur se disponit. Nunquid igitur durante statu huiusmodi, si regis talis filia iungeretur cum domo sic fideli, sicut est domus Aragonum, possent tam ecclesie quam regi Sicilie predicto quam fidelibus aliis Tuscie et Lumbardie partium pericula varia probabiliter formidari. Profecto fili carissime, si potestatem quam sibi uxores in viros vendicant, attente consideres, non poteris ut credimus aliud quam dicimus opinari. Attende fili, ad quid virum illum sapientem, cui nullus purus homo in sapientia precessit similis nec sequetur, uxores eius traxerint et a quo revocaverint eum, utique a dei veri dilectione ipsum separaverunt et servicio et ad deorum suorum falsorum cultum et obsequium non absque ydolatrie vicio pertraxerunt. Si igitur in tam sapiente talia potuerunt, quid putas in minus sapientibus possunt. Et si dicatur sicut et dicitur, quod facta dispensatione huiusmodi super pace reformanda inter dictos reges et ecclesiam curabis tunc cum fratribus et aliis amicis tuis pro pace huiusmodi reformanda curam sedulam adhibere, proculdubio medicus prudens ad administrandum medicinam infirmo tempus oportunum eligit, in quo medicina salutem possit efficacius operari. Attendat ergo prudentia regia si ad procurandam pacem predictam tua diligentia post dispensationem esset adeo efficax sicut ante et supponimus indubie, quod post ipsam adeo non reperies efficacem. Primo quidem quia rex Sicilie supradictus nec de nobis nec de te sperare poterit, sicut ante speraret. Secundo quia dictus rex Trinacrie, ex quo intentum suum per dictam dispensationem fuerit assecutus, non erit sic obediens votis tuis. Adhuc prefatus rex Trinacrie nobis et ecclesie in multis aliis iniuriosus existit. Primo quidem quia licet iuramento corporaliter prestito idem rex singulis

FUNDACIÓ NOGUERA

summis pontificibus homagium facere, ligium et iuramentum fidelitatis infra certum terminum sit astrictus prestare, nobis tamen hec facere pretermisit. Secundo quia licet certum censum pro regno predicto iuramento corporali prestito certo termino solvere nobis et ecclesie teneatur, in solutione tamen huiusmodi annis pluribus iam cessavit. Tertio quia inaudita gravamina inferre ecclesiis et personis ecclesiasticis non formidat. Attendat ergo circumspectio regia, si eo in iniuriis huiusmodi persistente, sit equm, quod ecclesia sibi gratiam faciat, per quam possit in tanta malicia pertinacius perdurare. Sane quia salutem eiusdem regis paterno more intensis desideriis affectamus, benivolentiam regiam hortamur et rogamus attente, ut sicut iam te cepisse novimus, de statu tam periculoso tam ignominioso regem ipsum eripere studeas et ad pacem reformandam inter reges predictos ipsumque regem Trinacrie ad devotionem ecclesie reducendum et gratiam interponas efficaciter solicitudinis tue partes. Ex hoc quidem et divinam uberiorem promereberis gratiam ac nos et reges ipsos tibi constitues ad tua beneplacita promptiores. Postremo autem prefatus miles nuncius regius extra scripturas oblatas nobis ex parte exposuit regia oraculo vive vocis, quod si nos dispensationem huiusmodi concedere negaremus, quod prefatum matrimonium nichilominus compleretur. Nos autem hoc admiranter audito, vix potuimus credere, quod de mente regis tam catholici processerit dictum tale. Presertim quia sicut audivimus, cum diebus preteritis per nonnullos consuleretur, ut inter te fili et reginam predictam etiam sine dispensatione, si dispensatio negaretur, deberet matrimonium celebrari, tu velut princeps catholicus et devotus ecclesie filius timens deum offendere indignanter talem consiliarium repulisti. Unde credendum non est probabiliter, quod tu id quod in tua persona illicitum et inconveniens reputasti, in cuiusvis persona alia procurares vel etiam, quantum esset in te, cum patientia sustineres. Et ut celsitudo regia non ignoret, quam detestabile apud catholicos principes fuerit crimen istud quantisque penis persecuti fuerint committentes, pauca tibi duximus presentibus inserenda. Ecce, quid unus statuit catholicus imperator Siquis, inquit, illicitas et contra ius nature, quas lex incestas et nefandas ac dampnandas vocat, contraxerit nuptias, siquidem non habuit filios ex prioribus legitimis et inculpabilibus sibi contractis nuptiis, mox ei suarum rerum casum imminere, simul autem et eis, que nomine dotis data sunt ei, in nullo potiri, sed omnia errario assignari, eo quod dum licuerit facere nuptias legitimas, contra leges amaverit et confundere quidem sobolem, nocuerit autem et generi, egerit vero, que impia sunt et celerata, sitque ei pena non confiscatio solum sed et singuli privatio et exilium. Et si vilis fuerit, corporis verberatio, quatenus discat caste vivere et intra naturam se continere, non autem

FUNDACIÓ NOGUERA

delectari et amare ultra terminum et traditas nobis a natura etiam et legibus repugnare. Mulier quoque si legem sciens hanc quidem neglexerit, incestis quidem semetipsam tradiderit nuptiis, sub eadem pena constituenda. De hiis autem unus canon sic dicit[21] Omnis pollutus incesti macula est infamis. Alius autem sic dicit Nos sequentes patres nostros illos scilicet incestuosos notamus infamia et infames esse censemus, quia infamie macula sunt aspersi. Audi fili carissime, quid contra tales statuerit concilium Viennense[22] Eos, inquit, qui divino timore postposito in suarum periculum animarum scienter in gradibus consanguinitatis vel affinitatis, constitutione canonica interdictis, matrimonialiter contrahere non verentur, refrenare metu pene ab huiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes excommunicationis sententie ipso facto decernimus subiacere, precipientes ecclesiarum prelatis, ut illos quos eis constiterit "contraxisse "taliter, excommunicatos publice tamdiu nuncient seu a suis faciant subditis nunciari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem et absolutionis mereantur beneficium obtinere. Ad hec, carissime fili, quia excellentiam regiam successibus habundare prosperis intensis desideriis affectamus, eandem rogamus attentius et hortamur, quatinus sic in cunctis te prudenter et provide dirigas, sic laudabiliter actus tuos et opera velut princeps catholicus et ex devota prosapia genitus modereris, ut regi regum, per quem regnas et regeris, iugiter occurras acceptior magisque reddaris in eius oculis gratiosus ac in orbe terrarum nominis tui fama clarioribus titulis augeatur, quod utique assequeris, si declinare vetita studueris, teque in preceptis divinis sedule exercere. Quid autem circa tractatum reformande pacis inter reges predictos nobis per dilectum filium Guilelmum Coste de ordine Predicatorum inquisitorem in illis partibus heretice pravitatis noviter pro parte regia presentatum et que via alia nobis expedientior videatur, per prefatum nuncium et nostras litteras regie celsitudini duximus intimandum. Que omnia in cedula interclusa presentibus ad cautelam inserenda duximus, super quibus responsum regium prestolamur. Premissa fili carissime omnia et plura alia exposuimus et ostendimus prefato germano tuo in responsione, quam sibi fecimus de multorum fratrum nostrorum consilio ipsisque presentibus vive vocis oraculo eodem in nostra presentia constituto. Quare non absque admiratione istam petitionem recepimus, cum pro securitate nichil offeratur presentialiter, quod tunc oblatum non fuerit per eundem. Quibus tamen oblationibus nostro ac fratrum nostrorum predictorum

21. Decret de Gracià C. 3 q. 4 c. 4 § 1, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, I, col. 512.
22. Clementines 4.1.1, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici,* II, col. 1177-1178.

FUNDACIÓ NOGUERA

iudicio sufficienter responsum extitit, sicut et nunc sufficienter respondisse credimus per predicta. Rogamus insuper serenitatem regiam, ut hanc litteram sibi exponi fideliter faciat et cum suo generali concilio super ea deliberet diligenter. Gratia dei cor regum in agendis dirigat et protegat ab adversis.

Dat. Avinione, X Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

892

1329 febrer 24, Avinyó

Joan XXII comunica a Galceran (Sacosta), bisbe electe de Vic, que faci observar la regla sobre el servei dels canonges de l'església de Vic, i si aquests s'absenten no podran prendre la distribució quotidiana.

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 37-5-11.
a Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII*, *lettres communes*, VIII, p. 189, doc. 44499.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Galcerando electo Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quem ad nos et Romanam geris ecclesiam promeretur ut iustis petitionibus tuis quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod licet duo ex canonicis ecclesie Vicensis in servitio Vicensis episcopi qui est pro tempore existentes de iure communi suarum quas in eadem ecclesia obtinent fructus integre percipere debeant prebendarum cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum absentes dici non debeant, sed presentes qui cum dicto episcopo pro suo et ipsius ecclesie servitio commorantur, tamen pretextu cuiusdam consuetudinis in eadem ecclesia contra iusticiam introducte prefatis canonicis qui non resident in eadem quamvis existant in servitio episcopi prelibati fructus earundem prebendarum minime ministrantur in dictorum episcopi et ecclesie preiudicium et gravamen. Quare nobis humiliter supplicasti ut providere super hoc tibi et eidem ecclesie de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque tuis in hac parte supplicationibus inclinati, volumus et apostolica auctoritate decernimus, ut consuetudine huiusmodi non obstante super premissis auctoritate predicta iura facias observari. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, VI Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

893

1329 maig 6, Avinyó

Joan XXII prega al noble Guillem de Pau (i d'Oms), lloctinent del rei Jaume III de Mallorca, i l'exhorta, que desisteixi d'ocupar el castell de Montellà de la diòcesi d'Urgell per l'ofensa que ha fet a la seva Església; i en cas de no obeir, mana al bisbe d'Elna (Berenguer Batlle) que executi censura eclesiàstica contra aquest noble.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Guilelmo de Pavo militi locumtenenti carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte venerabilis fratris nostri Arnaldi episcopi et dilectorum filiorum capituli Urgellensium fuit nuper expositum coram nobis, quod licet iidem episcopus et capitulum super questione inter ipsos ex una parte ac officiales carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris, cuius locumtenens existis, ex altera ratione castri de Montiliano Urgellensis diocesis ad Urgellensem ecclesiam pertinentis sicut asseritur suscitata stare ac parere obtulerint, nostro aut venerabilis fratris nostri Iohannis patriarche Alexandrini dicto simplici seu personarum aliarum eligendarum communiter prout in eis partibus fieri super talibus consuevit arbitrio, ut obviaretur periculis et scandalis hinc et inde, tu tamen nescimus quo ductus consilio vias huiusmodi pacificas et quamlibet earum renuens acceptare, ad offensionem dicti castri et eiusdem ecclesie Urgellensis per congressus hostiles non absque personarum multarum et rerum periculis de quo miramur ad modum te disponis. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attentius et hortamur sano paternoque tibi nichilominus consilio suadentes, quatinus periculis et scandalis que parere possent congressus hostiles huiusmodi consideranter attentis ab eisdem desistere ac alteram de viis oblatis vel aliam accomodam per quam viis pacificis vel iustitie semitis ipsa questio valeat terminari prudenter et prompte admittere omissis bellicosis insultibus non postponas. Alias autem damus venerabili fratri nostro .. episcopo Elnensi per alias nostras litteras in mandatis ut te dictosque officiales ad desistendum ab offensione ac congressibus huiusmodi per censuram ecclesiasticam compellere non omittat.

Dat. Avinione, II Nonas Maii, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

894

1329 maig 22, Avinyó

Joan XXII dóna gràcies el rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) per les atencions que ha prodigat al mestre Hug de Mirabell, canonge de l'església de Mende (Losera), capellà i legat seu, enviat als seus regnes per assumptes de l'Església. També li comunica que algunes parts de les ciutats de Toscana i Llombardia s'han revoltat contra Lluís de Baviera i han tornat a l'Església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 155.
a Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 551, doc. 257 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 269, doc. 531.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. De multis favoribus tam dilecto filio magistro Hugoni de Mirabello preposito ecclesie Mimatensis capellano nostro apostolice sedis nuntio quam aliis nuntiis nostris circa nostra et ecclesie Romane negotia per regiam sublimitatem impensis sicut idem prepositus nobis exposuit oraculo vive vocis regali magnificencie gratiarum actiones uberes exolventes eam attentius deprecamur, quatinus eundem prepositum quem ad eas partes pro certis nostris et eiusdem ecclesie negotiis providimus remittendum circa illorum prosecutionem et expeditionem felicem habere velit pro divina ac nostra et eiusdem sedis reverentia propensius commendatum. Ceterum licet de Tuscie et Lombardie partibus referentes rumores, quod nonnulle civitates partium earundem, que sub illius heretici et scismatici Ludovici de Bavaria tirannide tenebantur, contra eum expulsis inde suis gentibus rebellarunt, se ad devotionem convertentes ecclesie, in Romana curia habeantur, quia tamen nos adhuc litteras non recepimus speciales, regali providentie aliter scribere super predictis ommittimus quo ad presens.

Dat. Avinione, XI Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

895

1329 juny 28, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Benigne) que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, a través de Simó de Forest, procurador reial, lliurats a favor del rei Alfons, com a cens corresponent a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 156.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 75, doc. 49.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 270, doc. 533.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 208, doc. 5516.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum et Sardinie ac Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum ratione regni Sardinie et Corsice quod olim felicis recordationis Bonifatius papa VIII predecessor noster de consilio fratrum suorum tunc sancte Romane ecclesie cardinalium clare memorie Iacobo regi Aragonum et Sardinie genitori tuo suisque heredibus et successoribus sub homagio ac pleno vassallagio et fidelitatis iuramento aliisque pactis modis formis et conditionibus certisque servitiis ac censu annuo duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum Romano pontifici ubicunque foret et eidem Romane ecclesie per ipsum regem ac heredes et successores suos solvendorum concessit, sicut in litteris confectis super hoc plenius continetur, tu fili carissime ad solvendum medietatem dicti census in instanti festo eorundem apostolorum cum aliam medietatem census eiusdem dudum genitori tuo predicto tunc viventi usque ad decem annos extunc continue subsequentes remittendam de nostra mera liberalitate ac speciali gratia sub certis modis et formis, sicut continetur in instrumentis confectis super hoc de consilio fratrum nostrorum duxerimus, esses astrictus ac pro eadem medietate dicti census in termino eiusdem instantis festi eorundem apostolorum debiti mille marchas argenti predictorum Sterlingorum per manus dilecti filii Symonis de Forest portarii et procuratoris tui nostre feceris camere die dat. presentium assignari. Nos tuis et heredum ac successorum tuorum volentes super hiis indempnitatibus precavere, recognoscimus et fatemur te per manus dicti Symonis portarii et procuratoris tui dictas mille marchas argenti predictorum Sterlingorum pro medietate dicti census in eodem termino debiti memorate camere sicut premittitur exolvisse, de quibus mille marcis sic solutis te ac heredes et successores ac bona tua absolvimus imperpetuum et quitamus.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Tertiodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

896

1329 juliol 1, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), per recomanació d'Hug de Mirabell, canonge de Mende (Losera), legat seu, enviat als seus regnes per assumptes de l'Església, que l'assabentarà dels successos favorables amb relació a l'església d'Itàlia, i que són que les ciutats de Lucca, Pistoia i Milà s'han revoltat contra Lluís de Baviera; Pisa ha tret Pere de Corbera, i el poble romà ha aclamat el seu legat. A més a més, Miquel de Cesena, heretge i cismàtic, juntament amb Bonagratia i Lluís han sortit de Roma en direcció a Cremona.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 157.
a Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 549-551, doc. 257.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 269-270, doc. 532.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilectum filium magistrum Hugonem de Mirabello prepositum ecclesie Mimatensis capellanum nostrum apostolice sedis nuncium, quem pro certis nostris et ecclesie Romane et regiis negociis ad eas partes providimus specialiter destinandum, regie benivolentie propensius commendamus. Ut autem de hiis que ad dei honorem et exaltationem fidei est in partibus Italie salvatoris nostri clementia hiis diebus preteritis operata et continue operari non cessat, regalis exellentia noticiam habeat pleniorem, ad gaudium et exultationem animi regii deducimus, que secuntur. In primis siquidem inter partes gentis Bavari ac civitates Lucanam et Pistoriensem ex una parte ac ipsum Bavarum ex alia vertiginis inmisit spiritum, sic quod gens illa dicti Bavari una cum parte civium civitatum predictarum contra ipsum Bavarum rebellarunt et capto illo, quem pro rectore idem Bavarus dimiserat in dicta civitate Lucana, civitatem occupaverunt eandem eamque contra predictum Bavarum detinent occupatam. Cives autem Pistorienses eiecta gente Bavari per se regunt civitatem predictam. Mediolanenses insuper fere cum omnibus civitatibus Lombardie, que obedire dicto Bavaro consueverant, rebellarunt, sic quod in campis ipsum oportet persistere, cum civitates ipsum prorsus renuant recipere et sibi in aliquo obedire. Synagogam quoque malignantium et operantium detestabilia et iniqua, Petri videlicet de Corvario et ministrorum ipsius dominus dissipavit. Precepto quidem dicto Petro et suis sequacibus per Pisanum, quod eandem civitatem exirent, furtive festinarunt recedere, quasi nullo eorum alio expectato. Quo autem dictus Petrus ierit, communiter ignoratur. Populus autem Romanus

FUNDACIÓ NOGUERA

hiis diebus proximo preteritis in manu legati nostri Tuscie in urbe presentis publice populo congregato per suos syndicos necnon et nobiles, qui tunc in dicta civitate aderant, per seipsos iuramentum fidelitatis reverentie et obedientie precipue contra Petrum et Bavarum predictos et eorum sequaces corporaliter prestiterunt, recognoscentes se circa ea, que fecerunt circa Petrum et Bavarum predictos errasse graviter, eaque quatenus de facto processerant, quantum ad eos pertinere poterant, revocarunt. Preterea vir ille scismaticus et hereticus Michael de Cesena una cum Bona, immo verius Malagratia suo complice de Pisis exivit cum Bavaro et ambo pervenerunt usque Cremonam cum ipso et creditur, quod ab eo se non debeant separare. Porro dictus Bavarus versus Mediolanum infelices dirigens gressus suos obsidionem ibidem posuit, ubi Mediolanensibus ad defendendum paratis seque ad obedientiam ecclesie disponentibus et eorum specialibus nunciis ad presentiam nostram, ubi adhuc dinoscuntur existere, destinatis aliquo stetit tempore, inde postmodum sicut habet communis assertio recedendo. Ceterum que super hiis que contra nos et ecclesiam Romanam fidemque catholicam attemptare quidam filii Belial presumpserant facta nuper fuerunt Parisius, reserabit plenius regie providentie cedula presentibus interclusa.

Dat. Avinione, Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Terciodecimo.

897

1329 agost 19, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), a petició d'Helió de Vilanova, mestre de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, que influeixi prop del jueu Ismael d'Oblitis i altres creditors d'aquest orde perquè li concedeixin una treva de quatre anys per al pagament dels seus deutes. També li demana que, entretant, deixin de molestar el castellà d'Amposta (Sanç d'Aragó) i els priors de Catalunya de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem perquè no hagin fet efectius els imports acreditats, usurers en gran part.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 145.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 270-271, doc. 534.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum super eo quod castellani Emposte ac priores Cathalonie Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani erga Ismaelem

FUNDACIÓ NOGUERA

de Oblitis iudeum et quosdam creditores alios se ac domos loca et administrationes sua infra regnum et terras tuas consistentia absque superioris sui licentia obligasse pro nonnullis pecuniarum quantitatibus asseruntur, ex quibus obligationibus tam propter usurarum voraginem quam alia varia incommoda exinde provenientia domus et loca predicta variis hactenus subdita sunt dispendiis sicut accepimus et iacturis, regie excellentie preces nostras pro eisdem castellis et prioribus meminimus direxisse, quas quia duxit ad gratiam exauditionis favorabilis regia benivolentia, ut grata dilecti filii Helioni de Villanova magistri dicti hospitalis relatione percepimus, admittendas serenitati regie gratiarum actiones uberes exsolventes eam iteratis instantiis deprecamur, quatinus pro divina et apostolice sedis reverentia favorem huiusmodi continuans et augens eosdem castellanos et priores ac domos et loca predicta per dictam pregravari voraginem quam utriusque testamenti detestatur pagina non permittat sed super principali sorte taliter per dilationis quadriennalis remedium vel alias vias accomodas eisdem concedi faciat sufferentiam et respectum, quod domus et loca predicta non dissipentur interim nec responsionum solutiones, ex quibus conventui et fratribus dicti Hospitalis in transmarinis partibus pro defensione christicolarum et expugnatione infidelium commorantibus ministrantur necessaria ullatenus valeant impediri.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Terciodecimo.

898

1329 agost 19, Avinyó

Joan XXII prega a la reina Elionor d'Aragó que influeixi prop del jueu Ismael d'Oblitis i altres creditors de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem perquè li concedeixin una mora en el pagament dels crèdits i deixin de molestar en les seves persones i els seus béns amb exigències i usures, i, de la mateixa manera, no molestin el castellà d'Amposta (Sanç d'Aragó) i els priors de Catalunya de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 146.
a Butlla perduda.
b VINCKE, *Documenta selecta*, p. 351-352, doc. 482.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 271, doc. 535.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Helienordi regine Aragonum illustri salutem et apostoli-

FUNDACIÓ NOGUERA

cam benedictionem. Cum super eo quod castellani Emposte et priores Cathalonie Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani erga Ismaelem de Oblitis iudeum et quosdam creditores alios se ac domos, loca et administrationes sua infra regnum et terras carissimi in Christo filii nostri Alfonsi regis Aragonum illustris viri tui consistentia absque superioris sui licentia obligasse pro nonnullis pecuniarum quantitatibus asseruntur, ex quibus obligationibus tam propter usurarum voraginem quam alia varia incommoda exinde provenientia domus et loca predicta variis hactenus subiecta sunt dispendiis, sicut accepimus, et iacturis, regi prefato preces nostras, ut castellanos et priores eosdem ac domos et loca predicta per dictam pregravari voraginem, quam utriusque detestatur testamenti pagina, non permittens super principali sorte per dilationis quadriennalis remedium vel alias vias accomodas taliter facere velit concedi sufferentiam et respectum, quod loca non dissipentur interim nec responsionum solutiones, ex quibus conventui et fratribus eiusdem Hospitalis in transmarinis partibus pro defensione fidelium et expugnatione infidelium commorantibus ministrantur necessaria, ullatenus impediri valeant, dirigamus, serenitatem regiam deprecamur, quatinus hospitale predictum ac eosdem castellanos et priores ipsorumque loca habens pro divina et apostolice sedis reverentia propensius commendata, ut premissa obtineant partes suas regalis sublimitas interponat.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Terciodecimo.

899

1329 setembre 11, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó i Sardenya (el Benigne) que després de l'òbit de Pere, bisbe de Cività (Tempio) a l'illa de Sardenya, ha nomenat bisbe electe d'aquesta diòcesi fra Llorenç de l'orde dels predicadors. Comissiona per a la consagració d'aquest Pere, bisbe de Porto. Li prega que l'aculli favorablement, juntament amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 158.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 80, doc. 58 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 271-272, doc. 536.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 209, doc. 5519.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum et Sardinie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Divine retributionis premium et preconium humane laudis acquiritur, si prelatis ecclesiarum et hiis presertim qui pontificali dignitate prediti fore noscuntur condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Dudum siquidem ex certis rationabilibus causis provisiones omnium ecclesiarum cathedralium in insula Sardinie consistentium, que tunc vacabant et que imposterum quovismodo et ubicunque vacare contingeret, dispositioni nostre et sedis apostolice duximus reservandas, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem ecclesia Civitatensis que in insula predicta consistit ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente per obitum bone memorie Petri episcopi Civitatensis, qui decessit in partibus illis, pastoris solatio destituta, nos vacatione ipsius ecclesie fidedignis relatibus intellecta de ipsius ordinatione ne discordia prolixe vacationis incurreret paterna solicitudine cogitantes, cum nullus preter nos ea vice de provisione dicte ecclesie Civitatensis se intromittere posset reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem, demum ad venerabilem fratrem nostrum Laurentium episcopum Civitatensem ordinem fratrum Predicatorum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo vite munditia litterarum scientia honestate morum et aliarum multiplicium virtutum meritis laudabilia testimonia perhibentur, direximus aciem nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona ipsius Laurentii ipsi Civitatensi ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie eidem Laurentio in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo et postmodum per venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Portuensem eidem Laurentio fecimus munus consecrationis impendi. In illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem Civitatensis ecclesia per eiusdem Laurentii providentie studium preservabitur a noxiis et adversis et auctore domino grata suscipiet incrementa. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus dei ministros et presertim pontificali dignitate preditos benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, excellentiam regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eidem episcopo ob reverentiam apostolice sedis et nostram te sibi reddas favore regio munificum et in cunctis eius oportunitatibus gratiosum, ita quod ipse celsitudinis tue fultus auxilio in commissa sibi cura ipsius ecclesie Civitatensis

FUNDACIÓ NOGUERA

possit assidue deo propitio prosperari ac tibi exinde a deo perhennis vite premium et a nobis condigna actio gratiarum.

Dat. Avinione, III Idus Septembris, pontificatus nostri anno Quartodecimo.

900

1329 octubre 20, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó i Sardenya (el Benigne) que després de l'òbit de Robert, bisbe de Terralba (Sardenya), ha nomenat bisbe electe d'aquesta diòcesi fra Martí, prior de Santa Llúcia de la vila d'Esglésies de l'orde de sant Agustí, seu que ell es reservà. Li prega que l'aculli favorablement, juntament amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 159.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 84-85, doc. 68 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 272, doc. 537.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 209, doc. 5520.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum et Sardinie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Divine gratie maiestatis acquiritur si ministris eius et hiis precipue qui pontificali sunt predita dignitate pro ipsius reverentia condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Dudum siquidem bone memorie Roberto episcopo Terrealbensi ecclesie Terrealbensis regimini presidente nos cupientes eidem ecclesie cum eam vacare contingeret ydoneam per apostolice sedis providentiam presidere personam provisionem ipsius ecclesie cum vacaret dispositioni nostre ac sedis eiusdem ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc per quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Deinde vero prefata ecclesia per obitum ipsius Roberti qui in partibus illis diem clausit extremum pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta attendentes quod nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie se intromittere potuit reservatione et decreto predictis obstantibus de preficiendo eidem ecclesie personam ydoneam ac etiam fructuosam, cuius industria eadem ecclesia in suis valeat iuribus adaugeri ac etiam defensari, cogitare incepimus diligenter et demum post deliberationem quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, tandem ad dilectum filium

FUNDACIÓ NOGUERA

Martinum electum Terrealbensem priorem prioratus sancte Lucie de Villaecclesiarum ordinis sancti Augustini Sulcitane diocesis ordinem ipsum expresse professum in sacerdotio constitutum, cui religionis zelum vite munditiam honestatem morum et alia virtutum merita ex fidedignis testimoniis suffragari accepimus, direximus aciem nostre mentis, intendentes igitur eidem ecclesie salubriter et utiliter providere de persona sua ecclesie prefate de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus ipsumque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, firma de ipso concepta fiducia quod prefata ecclesia per sue circumspectionis et diligentie studium dextera domini sibi assistente propicia regetur utiliter et prospere dirigetur. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem electum et ecclesiam sibi commissam ob reverentiam apostolice sedis et nostram habens propensius commendatos te sibi reddas in regio favore munificum et in cunctis oportunitatibus gratiosum, ita quod idem electus tue celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii possit assidue deo propicio prosperari ac tibi exinde a deo perennis vite premium rependatur et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Quartodecimo.

901

1329 octubre 25, Avinyó

Joan XXII exhorta el bisbe Arnau (de Llordat) i el capítol d'Urgell per tal que, si el castell de Montellà pertany a la propietat del rei de Mallorca, no l'estorbin en les seves lleis.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Arnaldo episcopo et dilectis filiis capitulo Urgellensibus salutem et apostolicam benedictionem. Vestris nuper et carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris gentibus seu procuratoribus in nostra presentia constitutis et super facto castri Montiliani Urgellensis diocesis cuius occasione inter vos et ipsum regem dissentio est suborta, diversa proponentibus hinc et inde gentes regis prefati asseruerunt inter cetera proposita per eosdem, quod castrum predictum infra fines terrarum dicti regis consistit et ad ipsum pertinet et

FUNDACIÓ NOGUERA

predecessores suos superioritas dicti castri sicut aliorum castrorum et villarum infra dictas terras consistentium, licet vos asseratis contrarium, pertinuit ab antiquo. Cum autem nos cupientes periculis et scandalis que dicta comminatur dissensio salubriter obviare, regem prefatum ut omissis bellicosis insultibus, ad quos occasione premissorum contra vos et gentes vestras obsidendo dictum castrum etiam hostiliter prorupisse dicitur, velit et consentiat quod venerabilis frater noster Iohannes patriarcha Alexandrinus seu aliqua vel alique alie persone communiter eligantur a partibus que iuribus utriusque diligenter auditis eandem per viam pacificam sopiant questionem. Ita tamen quod interdictum per te frater episcope in terra Ceritanie dicti regis appositum propter premissa suspenderetur interim et novitates facte per eundem regem ac gentes suas contra vos et subditos vestros dictumque castrum tollerentur omnino per nostras litteras exhortemur eidem patriarche si dictus rex ad premissa consentiat interdictum suspendendi huiusmodi concedendo per alias litteras nichilominus facultatem vestre providentie suademus, quatinus vos circa viam assumendam huiusmodi coaptantes et nichilominus considerantes attente, quod si castri predicti superioritas ad regem memoratum pertineat et ad suos predecessores pertinuerit sicut ex parte ipsius asseritur ab antiquo illam sibi recognoscendo et ea ipsum uti permittendo pacifice nichil in hoc amittere Urgellensis ecclesia cum unicuique ius suum tribui debeat, est censenda si est ita non inficiatis nec denegetis eidem regi super hiis iura sua nec in illorum exercitio ipsum vel gentes suas impediatis indebite vel etiam perturbetis.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Quartodecimo.

902

1329 novembre 30, Avinyó

Joan XXII concedeix a l'abadessa i al convent del monestir de Santa Maria de Pedralbes de l'orde de santa Clara, diòcesi de Barcelona, tots els privilegis dels quals gaudeixen l'abadessa i el convent del monestir de Nimes d'aquest orde.

A Barcelona, Arxiu del Monestir de Pedralbes, Pergamins, núm. 114.
a Butlla amb fil de seda.
b EUBEL, *Bullarium Franciscanum*, V, p. 452, doc. 826.
c MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, IX, p. 106, doc. 47538.

IOHANNES XXII episcopus servus servorum. Dilectis in Christo filiabus .. abbatisse et conventui monasterii sancte Marie de Petraalba

FUNDACIÓ NOGUERA

ordinis sancte Clare Barchinonensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Speciosus forma et plenus gratia fons virtutum et ablutio viciorum sancte sponsus ecclesie dominus Ihesus Christus inter cetera sanctitatis insignia precipue diligit castitatem, ut sibi virgini nato de virgine ac immaculato agno sponse celibes famulentur hec est virtus, qua mentes divino munere insignite spiritualibus angelis immitatione conversationis equantur. Hec est virtus, per quam gloriosa sterilitas sancta fecundatur in sobole et prodit ex illa fecunditas replens atria paradisi. Dignum igitur et congruum arbitramur ut vos que ut prudentes virgines ab incipientis vite primordiis preparantes vos accensis lampadibus obviam ire sponso sumentes oleum virginitatis in vasis et florem mundi eiusque oblectamina contempnentes elegistis in paupertate vite desponsari dicto domino Ihesu Christo apostolica sedes eo amplioribus gratiis et oportunis favoribus prosequatur, quo quietius et liberius premissa ad laudem divini nominis adimplere possitis prioribus libertatibus communite. Hinc est quod nos carissime in Christo filie nostre Elysendis regine Aragonum illustris, que monasterium vestrum se asserit de novo fundasse, ac vestris in hac parte devotis supplicationibus inclinati, ut omnibus privilegiis dilectis in Christo filiabus .. abbatisse et conventui monasterii sancte Clare Nemausensis ordinis eiusdem sancte a prefata sede concessis gaudere et uti libere valeatis, vobis auctoritate presentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Kalendas Decembris, pontificatus nostri Anno Quartodecimo.

903

1330 febrer 6, Avinyó

Joan XXII notifica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que li desestima la petició d'atorgar-li la dècima per prosseguir la conquesta del regne de Granada, per la raó que l'Església està molt carregada d'obligacions, l'Orient molt necessitat de recursos i l'esmentada empresa ha donat resultats poc favorables.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 160.
a Butlla perduda.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, IV, p. 728-729, doc. 42 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 272, doc. 538.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Regalis excellentie litteras per quas concessionem tibi fili carissime factam de decimis proventuum ecclesiasticorum in regnis et terris tuis consistentium in subsidium expugnationis Agarenorum regni Granate proponebas nimis artatam tempore ac conditionibus aggravatam plurimum benigne recepimus et que continebantur in eis, intelleximus diligenter, ad que breviter respondemus, quod si nos negotii presentis volentes videre initium id tempus prefiximus illud non breve iuxta morem antiquum predecessorum nostrorum Romanorum pontificum incohatum laudabiliter etiam super subsidio Terre sancte circumspectio regia minime debuit reputare. Rursus si nos ut dictum subsidium expenderetur utiliter voluimus providere profecto hoc in te fili dilectissime non incepimus et si cepissemus molestas habere non debuit regia serenitas conditiones predictas. Adhuc si quales successus habuerunt negotia pro quibus talia subsidia in similibus terrenis principibus hactenus sunt concessa, celsitudo regalis attenderet diligenter nequaquam tu seu principes alii sic avide ad subsidium extenderetis huiusmodi oculos mentis vestre. In hiis siquidem successus infelices legimus potius quam felices. Quare fili carissime noli parvum reputare subsidium antedictum, sed in precibus personarum ecclesiasticarum confide potius quam in earum decimis, quas solvendo non sic devote nec cum tanto caritate emitterent incendio, sicut si in earum exactione minime gravarentur. Super hiis tamen aliqua ordinata sunt que dilectus filius nobilis vir Basius Massa de Vergna nuntius regius lator presentium exponere regie magnificentie poterit viva voce.

Dat. Avinione, VIII Idus Februarii, pontificatus nostri anno Quartodecimo.

904

1330 febrer 8, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que ha rebut de Bernat de Fuente, canonge de Toledo, l'acta amb segell pendent de butlla d'or del seu jurament de fidelitat i vassallatge, prestat a l'Església davant el seu germà, el patriarca Joan d'Alexandria, pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 161.

a Butlla amb fil de cànem.

b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 91, doc. 83.

c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 272-273, doc. 539.

NOGUERA

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Super homagio per te fili carissime nobis et ecclesie Romane in eis partibus pro regno Sardinie prestito, per patentes litteras tuas aurea tua bulla munitas nobis per dilectum filium Bernardum de Fonte canonicum Toletanum venerabilis fratris nostri Iohannis patriarche Alexandrini germani tui nuntium exhibitorem presentium presentatas gratanter accepimus promptitudinem super hoc et diligentiam regiam in domino commendantes.

Dat. Avinione, VI Idus Februarii, pontificatus nostri anno Quartodecimo.

905

1330 març 21, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que prorrogui, fins a final de maig, el termini per ultimar el conveni amb Sança de Velasco a favor de l'orde de l'Hospital, ja que les seves moltes preocupacions li impedeixen examinar-lo degudament.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 162.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 273, doc. 540.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Receptis benigne litteris regiis super nonnullis tractatis et procuratis cum excellentia regia per dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Sanctiam de Velasco in favorem ordinis hospitalis, ecce fili carissime quod aliis arduis occupati negotiis pleniori examinationi contentorum in eisdem litteris vacare commode non possumus, quoad presens sed oportunitate captata vacare intendimus et super hoc excellentie regie clarius respondere. Ceterum cum prout accepimus tractatus qui super premissis habetur coram excellentia regia per totum mensem presentem Martii debet durare dumtaxat, providentiam regiam deprecamur, quatinus terminum tractatus huiusmodi ut interim respondere plenius potuerimus placeat usque per totum mensem Maii proximi prorogare.

Dat. Avinione, XII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Quartodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

906

1330 juny 26, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Benigne) que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, que li ha lliurat Gonçal Zapata, ardiaca de Tarassona i procurador reial, de part del rei Alfons, com a cens corresponent a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 163.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 99, doc. 102.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 273, doc. 541.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 212, doc. 5529.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum Sardinie et Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Olim felicis recordationis Bonifacius papa VIII predecessor noster de consilio fratrum suorum tunc sancte Romane ecclesie cardinalium clare memorie Iacobo Aragonum Sardinie et Corsice regi genitori tuo suisque heredibus et successoribus sub homagio et pleno vassallagio fidelitatisque iuramento ac aliis pactis modis formis et conditionibus certisque serviciis ac censu annuo duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum Romano pontifici ubicunque foret et eidem Romane ecclesie per ipsum regem ac heredes et successores predictos solvendarum Sardinie et Corsice regna concessit sicut in litteris confectis super hoc plenius continetur. Sane cum tu fili carissime ad solvendum medietatem dicti census in instanti festo eorundem apostolorum cum aliam medietatem census eiusdem dudum genitori tuo predicto tunc viventi usque ad decem annos extunc continue subsequentes nondum completos remittendam de nostra mera liberalitate ac speciali gratia sub certis modis et formis sicut continetur in instrumentis confectis super hoc de consilio fratrum nostrorum duxerimus, sis astrictus ac pro eadem medietate dicti census in termino eiusdem instantis festi eorundem apostolorum debiti mille marchas argenti predictorum Sterlingorum in quatuor milibus florenorum auri per manus dilecti filii Gundissalvi Zapata archidiaconi Tirasonensis procuratoris tui nostre feceris camere die dat. presentium assignari. Nos tuis ac heredum et successorum predictorum volentes super hiis indempnitatibus precavere recognoscimus et fatemur te per manus dicti Gundissalvi Zapata procuratoris tui dictas mille marchas argenti in dictis quatuor milibus florenorum auri, quatuor florenis

FUNDACIÓ NOGUERA

auri pro marcha qualibet computatis, pro medietate dicti census in eodem termino debiti memorate camere sicut premittitur exolvisse, de quibus mille marchis sic solutis te ac heredes successores et bona tua in perpetuum absolvimus et quitamus.

Dat. Avinione, VI Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quartodecimo.

907

1330 juliol 12, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que ha rebut el cavaller Ferrer de Canet, missatger seu, el qual li ha demanat la dispensa a favor de l'infant Pere, de l'impediment de consanguinitat per contraure matrimoni, que ja ho sol·licità en un altra ocasió, i la seva intervenció perquè fos ampliada a sis anys la treva entre els reis Robert de Sicília (Nàpols) i Frederic II de Trinàcria. Respecte a la primera petició, li respon que no hi pot accedir, sense que això signifiqui desafecte a la casa d'Aragó, per raó de les dispenses atorgades en altres ocasions (per exemple, a l'infant Jaume, perquè es casés amb Elionor de Castella) i que quedaren sense efecte, i l'atorgada a l'altre infant, Ramon Berenguer, comte de Prades, que enllaçà amb Beatriu d'Eixerica. Respecte a la segona petició, no creu que convingui intervenir, i molt menys davant l'amenaça que el rei s'inhibirà en l'assumpte de la tan desitjada pau si no li concedeix l'esmentada dispensa.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 38, núm. 164.

a Butlla amb fil de cànem.

b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 274, doc. 542.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Regalis excellentie litteras nobis exhibitas per dilectum filium nobilem virum Ferrerium de Caneto nuncium regium, per quas eiusdem Ferrerii relatibus in hiis que pro parte regia nobis diceret periit fidem credulam adhiberi solita benignitate recepimus et que dictus nobilis verbo primo et subsequenter scripto proponere voluit intelleximus diligenter. Sane dicta credentia ad duo se tantum capitula extendebat, videlicet ad negocium dispensationis dilecti filii nobilis viri Petri infantis comitis Rippacurcie germani tui, pro qua dictus nuncius pro parte regia supplicavit, ut eandem concedere dignaremur, et ad treugam inter inclitos principes .. Sicilie et .. Trinacrie reges illustres indicendam, pro qua etiam dictus nuncius pro parte regia institit, ut

FUNDACIÓ NOGUERA

eam duraturam ad minus usque ad sex annorum spacium indicere deberemus. Ad quorum primum quia alias circumspectioni regie sufficientes rationes scripsimus, per quas sine dei offensa proximi et ecclesie preiudicio dispensationem predictam negociis sic stantibus inter reges predictos concedere nequibamus, quas ne aures gravemus regias occupatas ad multa, presertim quia eas non credimus de regia excidisse memoria omittimus repetere in presenti, cum nichil sit postea innovatum, propter quod effectus ipsarum rationum fuerit immutatus. Licet enim fili carissime, rem grandem reputemus obligationem tuam cum homagio tamen si regia providentia rationes per nos sibi super hoc missas alias intellexerit diligenter evidenter percipiet ipsum non tollere inconvenientia, que comminatur dispensatio postulata unde non occurrit nobis aliud quam quod etiam responsum extitit respondendum, super quo quesumus habeat nos benivolentia regia excusatos. Et quia dictus nuncius nobis orethenus ex parte regia retulit, quod nisi concederemus dispensationem eandem non erat intentionis regie super pace reformanda inter dictos principes laborare, non videmus expedire super dicta treuga que indicanda erat sub spe pacis predicte tractande aliquid ordinare. Rursus idem nuntius iuxta scripturam nobis traditam orethenus pro parte regia nobis dixit, quod si dispensationem non concederemus huiusmodi hoc in oppressionem domus regie faceremus, de quo si de mente processerit regia, utique nec inmerito plurimum admiramur. Nosti quidem fili dilectissime, si oblivio mater ingratitudinis de tua memoria non delevit, tam prompte in alio non minus utili dicto comiti matrimonio duxerimus dispensandum et subsequenter ut tecum idem matrimonium posset perfici misso uno cursore dumtaxat eandem tibi per eundem duximus transmittendam. Nec de regia credimus memoria excidere, quam etiam cum dilecto filio nobili viro Raymundo Berengarii comiti Montanorum de Pradis germano tuo duximus etiam super contrahendo matrimonio dispensandum. Profecto si ad domus depressionem regie quod abest abfuit et aberit domino concedente nostra ferretur intentio nequaquam annuissemus talibus, sed ea potius negassemus, sed nobis non indigne admirationis materia ministratur, quod rege Frederico stante in statu deo sit odibili et abhominabili ac iniurioso nimium ecclesie sancte sue, prefatus comes Rippacurcie affinitate se sibi velit iungere et quomodo hoc possit excellentia regia sustinere credimus equidem quod si statum eius consideranter attenderes, ut ipsum de illo eriperes ante quam domus regia se secum amplius iungeret laborares.

Dat. Avinione, IIII Idus Iulii, pontificatus nostri anno Quartodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

908

1330 setembre 18, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que Pere de Corbera, promotor principal del cisma, abjurà solemnement dels seus errors a Pisa el dia de Sant Jaume i embarcà el dia 4 d'agost cap a Niça i Avinyó, on es retractà de nou.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 166.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 551, doc. 257 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 274-275, doc. 543.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 213, doc. 5535.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Scimus fili carissime quod scisma illud quod isto tempore ille qui primus in celo inventor fuit scismatis cum illis nequam hominibus qui ex parte illius sunt, procuravit turbatione et amaritudine regium cor replevit. Sane quia iustum est ut qui passionum fuerunt socii non sint a consolatione et gaudio alieni, ad gaudium excellentie regie nuntiamus quod Petrus de Corvaria, qui caput scismatis fuerat, in festo beati Iacobi Pisi in nostrorum nunciorum et aliorum tam prelatorum quam clericorum secularium et regularium necnon et multorum nobilium ac popularium civitatis eiusdem presentia constitutus, cum cordis amaritudine sicut intelleximus erroribus suis recognitis et etiam abiuratis et beneficio absolutionis et reintegrationis a prefatis nostris nunciis humiliter postulatis, absolutus extitit et reincorporatus unitati ecclesie, prius tamen quod nostris parere mandatis deberet corporali prestito iuramento, qui spontanee die IIII Augusti una cum nunciis nostris et certis personis nobilibus aliis intravit mare, illoque gressus ipsorum dirigente qui novit et iter prosperum faciente qui potest, die VI mensis eiusdem Niciam incolumes pervenerunt, ubi errores suos recognovit similiter publice ac etiam abiuravit, similia faciens in locis solennibus usque Avinionem, qui prosequens iter suum die XXIIII mensis ipsius Avinionem intravit et in crastinum in consistorio proposito themate primo Pater, peccavi in celum et coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus,[23] et eo prosecuto errores suos recognovit cum cordis amaritudine, prout signa exteriora indicabant, illisque abiuratis et quod nostris super predictis staret mandatis corporali prestito iuramento, humiliter petiit se ad nostram et ecclesie restitui gratiam qua suis nefandis excessibus merito se indignum reddiderat

23. Lluc 15, 18-19, 21.

FUNDACIÓ NOGUERA

et unitatem ecclesie qua similiter se fecerat alienum. Nos autem qui vicem eius in terris licet insufficientes gerimus cui proprium est misereri, ut commisse vicis exequeremur officium eum pie et benigne ad ecclesie et nostram recepimus gratiam et restituimus ecclesie unitati.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Quintodecimo.

909

1330 octubre 8, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que dispensi bona acollida als missatgers de Guillem, comte de Jülich (Rin del Nord-Westfàlia), enviats per notificar-li els seus propòsits de sumar-se amb quaranta cavallers i vuitanta genets a les seves reials hosts, que sortiran cap a la conquesta del regne de Granada el pròxim mes de març.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 167.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b FINKE, *Acta Aragonensia*, III, p. 548, doc. 256, 5.
c RIETZLER, *Vatikanische Akten*, p. 488, doc. 1399.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 275, doc. 544.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 214, doc. 5537.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pridem dilectus filius nobilis vir Wilelmus comes Iuliacensis in nostra presentia constitutus nobis exposuit, quod ipse pio ductus proposito cupiens pro viribus atroces iniurias, que a blasfemis nominis christiani in regno Granate orthodoxe fidei cultoribus inferuntur, iugiter et immaniter nimirum, una tecum ac fidelibus aliis vindicare, de mense Martii futuro proxime proponebat in tua comitiva cum quadraginta militibus et octuaginta equitibus aliis in armis ad partes eiusdem regni personaliter se conferre, sperans etiam probabiliter, quod multi alii suarum partium venient cum eodem. Cum itaque ad partes regni tui pro notificando celsitudini regie oblationem eandem ac provisione sibi et gentibus suis necessaria facienda destinet impresentiarum suos nuntios speciales, regalem magnificentiam rogamus attente, quatinus considerans provide quantum honori accrescat regio et expedire dicto negotio valeat, te potentum presertim talium fore comitiva stipatum, eosdem nuntios benigne recipere et ut absque impedimento quolibet possint huiusmodi provisionem facere, velis favorem regium impertiri. Supponimus enim indubie, quod ad dictum

FUNDACIÓ NOGUERA

negotium sincero movetur affectu personamque tuam pure diligat, ad quod ipsum etiam affinitatis copula, qua tibi noscitur iunctus, astringit, deum insuper timet et mores habet non barbaricos ac sapientia et strenuitate noscitur prepollere.

Dat. Avinione, VIII Idus Octobris, pontificatus nostri anno Quintodecimo.

910

1331 març 11, Avinyó

Joan XXII exhorta el rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i li prega, que fonamenti la pau entre els seus súbdits i els genovesos de l'interior del país, la qual disminuiria en gran manera els atacs dels corsaris.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 168.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 275, doc. 545.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 214, doc. 5540.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quia pax dei sine pace proximi non habetur, illam inter cunctos vigere catholicos plenis desideriis affectamus. Sane quia sicut ad nostrum pervenit auditum, inter tue celsitudinis subditos ac dilectos filios .. Ianuenses intrinsecos cunctorum malorum incentor gravis dissensionis suscitavit materiam, que varia hincinde comminatur discrimina et bonis innumeris obitem ministrare providentiam regiam hortamur in domino et rogamus attente, ut hiis deductis in examine rationis cor velis regium tuosque subditos inclinare, ut per pacis semitam premissa subtracta materia inter partes predictas sic concordia reformetur, quod cessent emulationes et odia inter eos et unitas servetur spiritus in vinculo pacis, presertim cum Ianuenses predicti sint dispositi ad pacis viam huiusmodi prosequendam. Et ne propter novas offensas tantum bonum debeat impediri, dignetur circumspectio regia regiis imponere subditis, ut interim ab offensis dictorum Ianuensium debeant abstinere tum hoc iam sicut intelleximus filius noster in Christo carissimus Robertus rex Sicilie illustris ad quem regimen civitatis Ianuesis impresentiarum pertinet, Ianuensibus predictis interdixerit, ut ab offensa tuorum subditorum prorsus debeant abstinere. Speramus enim in domino quod si premissa effectui mancipentur, multis piratis deo et mundo odibilibus subtrahetur

FUNDACIÓ NOGUERA

materia tuos offendendi subditos et ut de offensis preteritis emendam congruam faciant inducentur.

Dat. Avinione, V Idus Martii, pontificatus nostri anno Quintodecimo.

911

1331 juliol 5, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, que restableixi la prohibició de no molestar els genovesos, de l'interior i de l'exterior, de la ciutat de Gènova.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 169.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 276, doc. 546.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 217, doc. 5552.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Magnificentie regie litteras per quas de forma pacis quam inter Ianuenses intrinsecos et extrinsecos fuisse reformatam intellexerat per nos certiorari petiit benigne receptis et que continebantur in eis plenius intellectis ambaxiatores dilectorum filiorum communis et intrinsecorum ipsorum Ianuensium in curia existentes ad nostram fecimus presentiam evocari, qui per nos interrogati solerter super hiis responderunt et in scriptis tradiderunt prout continetur in cedula presentibus interclusa. Sane fili carissime, cum ad quorundam relationem que sicut ex serie dicte cedule potest liquido colligi minime veritate fulcitur mandatum a te concessum de non offendendis eisdem Ianuensibus intrinsecis revocasse dicaris, regiam rogamus excellentiam et in domino attentius exhortamur, quatinus sublata revocatione huiusmodi mandatum ipsum de non offendendis eisdem intrinsecis velit regia providentia, ut obvietur periculis et liberior inter predictos intrinsecos et subditos regios aditus pandatur viis pacificis celeriter reformare.

Dat. Avinione, III Nonas Iulii, pontificatus nostri anno Quintodecimo.

912

1331 juliol 8, Avinyó

Joan XXII comunica al rei d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Benigne) que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, lliurats per Gonçal

FUNDACIÓ NOGUERA

Zapata, ardiaca de Tarassona i procurador reial, a favor del rei Alfons, com a cens corresponent a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 170.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 110, doc. 123.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 276, doc. 547.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 218, doc. 5553.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum Sardinie et Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum felicis recordationis Bonifacius papa VIII predecessor noster de consilio fratrum suorum tunc sancte Romane ecclesie cardinalium clare memorie Iacobo regi Aragonum Sardinie et Corsice genitori tuo suisque heredibus et successoribus regna Sardinie et Corsice sub homagio et pleno vassallagio fidelitatisque iuramento ac aliis pactis modis et conditionibus ceterisque serviciis et annuo censu duarum milium marcarum argenti bonorum ac legalium Sterlingorum in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum Romano pontifici ubicunque foret et eidem Romane ecclesie per eundem regem ac heredes et successores suos solvendorum concessit sicut in litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem tu fili carissime, heres et successor dicti genitoris tui ad solvendum medietatem dicti census in festo eorundem apostolorum proximo preterito alia medietate census eiusdem dudum memorato genitori tuo tunc viventi usque ad decem annos extunc continue subsequentes nondum completos de nostra mera liberalitate et gratia speciali sub certis modis et formis prout continetur in instrumentis inde confectis per nos de consilio fratrum nostrorum remissa esses astrictus et pro dicta medietate census predicti, quam in eodem festo solvere sicut predicitur tenebaris, cuius solutionis predictum terminum usque ad unum mensem ab eodem festo proximo iam lapso inantea numerandum pridem ante festum ipsum tibi gratiose prorogavimus non intendentes propter hoc contentis in litteris dicti predecessoris super concessione dictorum regnorum confectis in aliquo derogare, mille marcas argenti bonorum et legalium Sterlingorum in quatuor milibus octuaginta florenis auri singulis marcis argenti pro quatuor florenis auri et uno grosso Turonensis argenti computatis per manus dilecti filii magistri Gundisalvi Sabata archidiaconi Tirasonensis procuratoris tui nostre camere solvi feceris die dat. presentium ac etiam assignari. Nos easdem solutionem et assignationem ratas habentes et gratas te ac heredes successores et omnia bona tua de dictis mille marcis

FUNDACIÓ NOGUERA

solutis ut prefertur et assignatis in dictis quatuor milibus octuaginta florenis auri pro medietate predicta census in festo sepedicto debiti absolvimus imperpetuum et quitamus.

Dat. Avinione, VIII Idus Iulii, pontificatus nostri anno Quintodecimo.

913

1331 agost 4, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, que obligui els seus súbdits a restituir a Helió de Vilanova, mestre de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, la nau que fou capturada amb la seva tripulació i càrrega quan anava cap a Orient en auxili dels cristians, assumpte del qual ha informat plenament Gonçal Zapata, ardiaca de Tarassona, legat seu.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 171.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 276-277, doc. 548.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 218, doc. 5554.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Insinuante nobis dilecto filio Heliono de Villanova magistro Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani percepimus displicenter quod cum ipse ad transfretandum in subsidium et consolationem christicolarum transmarinarum partium hiis diebus suum navigium preparasset tam tue quam carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris gentes navigantes per mare quandam cocham ad opus passagii dicti magistri deputatam hostiliter et violenter ceperunt, multis tam sibi quam marinariis cocham eandem ducentibus irrogatis per eas iniuriis et offensis sicut ex litterarum ipsius magistri nobis missarum tenore quem cedula continet interclusa presentibus regalis providentia colligere poterit evidenter. Quocirca magnificentiam regiam rogamus attentius et in domino exhortamur, quatinus quam perniciosum existat illis christicolis irrogari iniurias qui Christi iniurias ulciscantur quamque dampnosum existeret, si dictus magister in suo passagio presentialiter inchoando turbaretur vel quomodolibet impediretur in examine regie considerationis adiicens predictam cocham quam adhuc gentes predicte detinent cum bonis omnibus et personis in eadem captis restitui eidem magistro faciat regia celcitudo, iniungendo nichilominus districtius admirato et gentibus predictis ne dictum magistrum eiusque navigium impedire presumant decetero sed

FUNDACIÓ NOGUERA

ei potius si requisiti fuerint prestent pro divina et apostolice sedis reverentia consilium auxilium et favorem. Et ut de intentione nostra plenius serenitati regie super hiis patefiat, ecce quod dilectum filium Gundisalvum Sapata archidiaconum Tirasonensem procuratorem in Romana curia regium de intentione huiusmodi plenarie informatum, cui adhiberi fidem in hac parte petimus, credulam providimus ad regalem presentiam destinandum.

Dat. Avinione, II Nonas Augusti, pontificatus nostri anno Quintodecimo.

914

1331 agost 9, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que després de l'òbit de Joan, arquebisbe de Càller (Sardenya), ha nomenat Gonçal, ardiaca de Benasc de l'església de Lleida i capellà seu, com a arquebisbe electe d'aquest arquebisbat. Li prega que l'aculli favorablement, juntament amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 165.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 115-116, doc. 133 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 277, doc. 549.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 218, doc. 5555.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Divine gratie maiestatis acquiritur si ministris eius et hiis precipue qui pontificali sunt prediti dignitate, pro ipsius reverentia condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Olim siquidem bone memorie Iohannello archiepiscopo Calaritano ecclesie Calaritane regimini presidente, nos cupientes eidem ecclesie cum eam quovismodo ubicunque vacare contingeret, ydoneam approbatamque presidere personam provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni nostre ac sedis apostolice duximus spetialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane si secus super hoc per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Deinde vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Iohannelli qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius celerem et felicem, ne ipsa ecclesia longe vacationis subiaceret incommodis paternis

FUNDACIÓ NOGUERA

ac solicitis studiis intendentes, cum nullus preter nos de provisione ipsius ecclesie ea vice se intromittere possit reservatione et decreto obstantibus supradictis, post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem. Demum consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam dilecti filii Gondisalvi electi Calaritani dominus earum largitor multipliciter illustravit, ad ipsum Gondisalvum archidiaconum Benascensem in ecclesia Ilerdensi capellanum nostrum in sacerdotio constitutum, cui litterarum scientia vite et morum honestas circunspectionis industria et aliarum multiplicium virtutum merita nobis et eisdem fratribus non innota suffragari noscuntur, aciem direximus nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de dicti Gondisalvi persona nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi suorum exigentiam meritorum accepta eidem Calaritane ecclesie de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica duximus providendum eundemque Gondisalvum illi in archiepiscopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod ipsius sibi assistente clementia dicta Calaritana ecclesia per eiusdem Gondisalvi industrie studium fructuosum preservabitur a noxiis et adversis ac in utrisque auctore domino multiplicibus proficiet incrementis. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem electum et ecclesiam sibi commissam ob reverentiam apostolice sedis et nostram habens propensius commendatos te sibi reddas in regio favore munificum et in cunctis oportunitatibus gratiosum, ita quod idem electus tue celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii possit assidue deo propitio prosperari ac tibi exinde a deo perempnis vite premium rependatur et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, v Idus Augusti, pontificatus nostri anno Quintodecimo.

915

1332 febrer 22, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que dispensi bona acollida el mestre Bartomeu Arbandi, jurisperit, enviat especial del rei Robert de Sicília (Nàpols), per tractar amb ell de la pau entre els seus súbdits i el rei Jaume III de Mallorca, d'una banda, i els genovesos, d'una altra.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 172.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 277, doc. 550.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 220, doc. 5562.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Attendens carissimus in Christo filius noster Robertus rex Sicilie illustris gravia personarum et rerum pericula, que suscitata hoste procurante antiquo inter tuos fili carissime ac carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris subditos ex parte una et dilectos filios commune Ianuense ex altera dissensio probabiliter comminatur eisdemque periculis cupiens salubriter obviari, dilectum filium magistrum Bartholomeum Arbaudi iurisperitum exhibitorem presentium providit ad tue celsitudinis presentiam specialiter propter hoc destinandum. Quocirca regalem excellentiam rogamus attentius et in domino exhortamur, quatinus eum velit benigne regia prudentia recipere audire favorabiliter ac ad pacem et concordiam super hiis cor regium inclinare. Nos autem ad ea que pro pace et concordia huiusmodi a nobis secundum deum fieri poterunt, offerimus nos paratos.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Sextodecimo.

916

1332 febrer 25, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, que deposi la seva actitud d'oposició perquè Arnau d'Oms de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem prengui possessió del priorat de l'Hospital de Catalunya, per la qual cosa ha estat elegit pels mestres, priors i frares d'aquest orde de Montpeller. La vacant es produí per destitució d'Arnau d'Alòs.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 173.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b VINCKE, *Documenta selecta*, p. 360, doc. 492.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 278, doc. 551.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 220, doc. 5563.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Displicenter admodum nuper accepimus, quod, licet in capitulo per dilectos filios .. magistrum et priores ac fratres Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani apud Montempessulanum anno proxime preterito celebrato dilectus filius Arnaldus de Alosio fuerit

FUNDACIÓ NOGUERA

suis demeritis, ut asseritur, exigentibus a regimine prioratus Cathalonie dicti hospitalis per magistrum ac priores et capitulum supradictos amotus et deinde dilecto filio Arnaldo de Ulmis tanquam benemerito de eodem prioratu provisum, tu tamen carissime fili nescimus quorum ductus consilio, falcem tuam in messem non veritus ponere alienam patenter et publice in dei et apostolice sedis contemptum ac anime tue periculum huiusmodi provisionem niteris impedire ipsum Arnaldum de Ulmis verum ipsius prioratus priorem, ad dicti prioratus ac iurium suorum pacificam possessionem minime admittendo, de quibus si eis suffragatur veritas, non sufficimus admirari. Ideoque circumspectionem regiam rogamus et hortamur in domino paterno nichilominus tibi consilio suadentes, quatinus ad cor rediens ac premissa pericula deliberatione cum viris deum timentibus tuamque salutem zelantibus diligenti prehabita prudenter considerans, dictum Arnaldum de Ulmis ad prioratum eiusque iura predicta libere et integre admittere velit regalis providentia ipsumque pro dicte sedis reverentia favorabiliter pertractare.

Dat. Avinione, VI Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Sextodecimo.

917

1332 març 1, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, que obligui els capitans de l'estol de galeres de Barcelona a restituir al preceptor i administrador de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem de Montpeller la nau que capturaren en aquell port, adquirida per Tomàs de Negro i altres ciutadans de Gènova per a aquest orde.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 174.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 278, doc. 552.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 220, doc. 5564.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Non sine admiratione magna pridem accepimus displicenter, quod licet nuper quedam cocha fuisset a dilecto filio Thoma de Nigro et quibusdam aliis civibus Ianuensibus nomine dilecti filii .. magistri Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani certo pretio comparata prout constare dicitur per quoddam confectum inde publicum instrumentum, tamen .. capitanei stoli galearum Barchinonensium

FUNDACIÓ NOGUERA

premissorum forsan ignari cocham ceperunt predictam eamque in portu Barchinonensi in tuo consistente dominio detinent indebite occupatam, non curantes eam restituere gentibus memorati magistri. Excellentiam itaque regiam rogamus et in domino attentius exhortamur, quatinus adducens in regie considerationis examen quantum ex aliorum occupatione et offendatur iustitia et altissimus merito irritetur prefatam cocham cum rebus in ea tempore captionis inventis dilecto filio .. preceptori Montispesulano procuratori dicti hospitalis qui regali magnificentie instrumentum exhibebit predictum restitui faciat eadem excellentia per capitaneos memoratos. In hoc enim satisfiet iustitie et omnipotenti deo gratum obsequium impendetur.

Dat. Avinione, Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Sextodecimo.

918

1332 abril 10, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, per tal que, de nou, procuri la pau entre els seus súbdits catalans i genovesos.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 175.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 278-279, doc. 553.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 221, doc. 5567.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes dudum dispendiosa pericula que inter Catalanos et Ianuenses suscitata invicem hoste procurante antiquo discordia comminabatur, sicut adhuc comminari dinoscitur et commoda varia que pacis et unionis mutue inter ipsos concordia produceret, considerantes attente tibi fili carissime per alias litteras nostras scripsisse meminimus, ut ad pacem et concordiam huiusmodi animum regium pro tuis subditis inclinares. Sane cum carissimus in Christo filius noster Robertus rex Sicilie illustris suum ad te nuntium duxerit propter hoc spetialiter destinandum, excellentiam rogamus regiam et in domino attentius exhortamur, quatinus circa pacem et concordiam huiusmodi curet sic operose ac benivole intendere regia celsitudo quod predictis sublatis periculis desiderati colligi valeant fructus pacis tuque fili dilectissime regis pacifici et excelsi benedictionem et gratiam propter hoc uberius assequaris.

Dat. Avinione, IIII Idus Aprilis, pontificatus nostri anno Sextodecimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

919

1332 maig 13, Avinyó

Joan XXII anuncia al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que després de l'òbit de fra Antoni dels framenors, bisbe de Sorres (Sardenya), ha nomenat Bernat com a bisbe electe d'aquesta diòcesi. Amb anterioritat, quan era bisbe de Sebaste, fou nomenat per a la seu arquebisbal de Naxos, que no arribà a ocupar, perquè no estava vacant com es creia. Li prega que el rebi favorablement, juntament amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 176.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 142-143, doc. 180 (en part).
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 279, doc. 554.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 221, doc. 5568.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gratie divine preconium et premium humane laudis acquiritur si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim ecclesiarum cathedralium regimini presidentibus honor debitus impendatur. Dudum siquidem ad audientiam nostram quorundam relatione falso deducto quod ecclesia Nicxiensis per obitum ultimi archiepiscopi Nicxiensis erat pastoris solatio destituta, nos cupientes eidem ecclesie de ydoneo providere pastore ad venerabilem fratrem nostrum Bernardum Sorrensem tunc Sebastensem episcopum mentis nostre aciem dirigentes eundem Bernardum a vinculo quo eidem Sebastensi ecclesie cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad dictam ecclesiam Nicxiensem quam credebamus vacare transtulimus ipsumque illi prefecimus in archiepiscopum et pastorem. Sed quia postmodum compertum extitit prefatam Nicxiensem ecclesiam prout nobis relatum fuerat tempore translationis et prefectionis huiusmodi non vacare, idem Bernardus nullius ecclesie antistes remansit. Interim autem bone memorie Antonio episcopo Sorrensi regimini Sorrensis ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie Sorrensi cum vacaret per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam provisionem ipsius Sorrensis ecclesie cum eam quovis modo et ubicunque vacare contingeret, dispositioni nostre ac sedis apostolice duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum autem dicto Antonio episcopo extra Romanam curiam viam universe carnis ingresso nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta

FUNDACIÓ NOGUERA

ad provisionem eiusdem Sorrensis ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere poterat, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus ne ipsa Sorrensis ecclesia longe vacationis incommodis exponeretur, paternis et solicitis studiis intendentes ac cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis et in suis manutenere iuribus ac etiam adaugere, post deliberationem quam super hiis cum dictis fratribus habuimus diligentem, demum ad dictum Bernardum Sorrensem episcopum convertimus occulos nostre mentis, intendentes itaque tam eidem Sorrensi ecclesie quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere de persona dicti Bernardi episcopi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica eidem Sorrensi ecclesie duximus providendum ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam et administrationem dicte Sorrensis ecclesie eidem Bernardo episcopo in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma concepta fiducia quod dirigente domino actus suos prefata ecclesia Sorrensis per suum ministerium studiosum multiplicia dante domino honoris et commodi suscipiet incrementa. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem episcopum et prefatam ecclesiam Sorrensem sue cure commissam habens pro apostolice sedis et nostra reverentia propensius commendatos ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem episcopus tue celsitudinis fultus auxilio in commisso sibi cure pastoralis officio possit deo propitio prosperari ac tibi exinde a deo perhempnis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, III Idus Maii, pontificatus nostri anno Sextodecimo.

920

1332 juny 19, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, que, de nou, presti auxili a Arnau d'Oms de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, prior electe de Catalunya, perquè prengui possessió de l'esmentat càrrec, que encara ostenta Arnau d'Alòs, destituït per malversació de fons.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 178.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 279, doc. 555.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 222, doc. 5570.

FUNDACIÓ NOGUERA

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum nobis exposito quod dilecti filii .. magister et capitulum generale Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani attendentes malam administrationem, quam Arnaldus de Alosio tunc dicti magistri locumtenens in prioratu Cathalonie fecerat et faciebat in eodem prioratu de bonis hospitalis eiusdem necnon et quod idem Arnaldus eis super hoc contra iustitiam et statuta religionis dicti hospitalis se inobedientem reddiderat et etiam contumacem, prefatum Arnaldum ab administratione dicti prioratus sibi per dictum magistrum commissa usque ad certi temporis nunc elapsi spatium amoverant et de dicto prioratu dilecto filio Arnaldo de Ulmis fratri eiusdem hospitalis duxerant providendum quodque prefatus Arnaldus de Alosio ceca ductus ambitione contra dictorum magistri et capituli voluntatem et ordinationem providam dictum prioratum detinebat indebite occupatum, non permittendo quod dictus Arnaldus de Ulmis illum possideret et regeret iuxta provisionem per eosdem magistrum et capitulum ut premittitur sibi factam, excellentie regie direxisse preces et exhortationes nostras meminimus ut predictum Arnaldum de Alosio velut detentorem presumptorem et invasorem bonorum dicti hospitalis illicitum eici exinde faceret dictumque Arnaldum de Ulmis ad regimen et administrationem bonorum et iurium dicti hospitalis in prioratu predicto admitti faceret regia celsitudo. Sane fili carissime, cum nobis regia rescripserit serenitas, quod ad nos destinare certos propter hoc nuntios intendebat, quia extunc magno elapso temporis spatio nuntios non vidimus et conquerentibus gentibus hospitalis predicti displicenter audivimus, quod dictus Arnaldus de Alosio adhuc bona ipsius hospitalis in eodem prioratu fultus favore regio sicut asseritur, licet id nequeamus credere, sicut prius ea dilacerando alienando consumendo et eis abutendo multipliciter in divine maiestatis offensam hospitalis predicti contumeliam et iniuriam prelibatique Arnaldi de Ulmis prioris manifestum preiudicium admiramur quamplurimum non indigne. Cum autem talia saluti et honori regio nequaquam conveniant quinimmo potius in horum detractionem manifeste redundent, magnificentiam rogamus regiam et in domino attentius exhortamur, quatinus premissis et aliis que regie circumspectioni possunt super hiis occurrere consideranter attentis dicto Arnaldo de Alosio ab huiusmodi presumpta temeritate repulso et eidem quo ad hoc regio favore subtracto, ut prefatus Arnaldus de Ulmis prior prioratus eiusdem illum assequatur iuxta provisionem predictam pacifice favorem et auxilium oportunum regalis sublimitas pro divina et nostra apostoliceque sedis reverentia impendere non ommittat, venerabili fratri nostro Iohanni patriarche Alexandrino cui super hoc litteras nostras patentes certi

FUNDACIÓ NOGUERA

tenoris dirigimus nichilominus consiliis auxiliis et oportunis favoribus taliter assistendo, quod regalis providentia preter divine retributionis mercedem dignis propter hec commendationibus attollatur.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Sextodecimo.

921

1332 juny 27, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó i Sardenya (el Benigne) que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, lliurats per Ramon de Vall, ciutadà de Barcelona, procurador reial, a favor del rei Alfons, com a cens corresponent a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 39, núm. 177.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 148-149, doc. 189.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 280, doc. 556.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 222, doc. 5572.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum et Sardinie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatis regie coram nobis exhibita petitio continebat, quod cum ratione census annui duorum milium marcarum argenti bonorum et legalium Sterlingorum, ad quem solvendum in festivitate beatorum Petri et Pauli apostolorum pro regno Sardinie et Corsice Romane ecclesie annis singulis es astrictus mille marcas argenti eorundem Sterlingorum in quatuor milibus centum triginta quinque florenis auri decem solidis et decem denariis monete Coronatorum, singulis marcis pro quatuor florenis et viginti duobus denariis Coronatorum computatis, pro medietate dicti census quam in instanti festo eorundem apostolorum alia medietate tibi dudum per nos de gratia speciali sub certis modis et formis usque ad certum tempus remissa solvere tenebaris, per manus dilecti filii Raymundi de Valle civis Barchinonensis feceris die dat. presentium camere nostre persolvi, providere tuis super hiis indempnitatibus curaremus. Nos autem supplicationibus huiusmodi benignius inclinati, solutionem huiusmodi eidem camere de dictis mille marcis in eisdem quatuor milibus centum triginta quinque florenis decem solidis et decem denariis Coronatorum pro medietate dicti census factam ut premittitur ratam habentes et gratam te ac heredes et successores tuos de eisdem mille marcis solutis ut prefertur et computatis absolvimus et quitamus.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. Avinione, v Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Sextodecimo.

922

1332 novembre 9, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, que empari els drets de la noia Sibil·la, vescomtessa de Castellnou, al castell de Montellà, del qual ha estat desposseïda injustament, i influeixi per tal que sigui revocada l'ordre de pagament de la marca de deu mil lliures, imposada per la cúria del regne de Mallorca als seus habitants, fins que dit castell sigui plenament restituït a Martí Carbonell.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 179.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 280, doc. 557.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pro parte dilecte in Christo filie nobilis puelle Sibilie vicecomitisse Castrinovi fuit pridem expositum coram nobis quod curia tua suggestione Martini Carbonelli asserentis se castro de Montiliano, quod ad se falso ut dicitur spectare pretendit, per curiam carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris contra rationis et equitatis debitum et iuris pretermisso ordine spoliatum, minus vera seducta marcam decem milium librarum statuit contra incolas regni Maioricarum eamque ab ipsis donec idem Martinus ad possessionem dicti castri esset restitutus plenarie exigi et levari precepit. Cum autem ordinationem huiusmodi in evidentem iustitie lesionem et aliorum manifestum preiudicium factam ac deo ut credimus displicabilem admodum, regalem providentiam non deceat equanimiter tolerare, presertim cum dicte puelle cui ut audivimus fieri debuit ipsius castri restitutio suadente iustitia et iuris observato ordine facta fore noscatur, regiam excellentiam rogamus et hortamur attente, quatinus ordinationem predictam regalis circunspectio studeat revocare, paternis exhortationibus salutaribus utique sic in hac parte realiter acquiescens quod satisfiat iustitie sicut decet in via indebitis gravaminibus et periculis que ex hiis verisimiliter possent subsequi, percludatur. Ceterum quia defensio pupillarum ac iurium et bonorum ipsorum tuitio ad regale officium etiam de iuris equitate noscitur pertinere, ut dicte pupille recensendo grata obsequia que progenitores sui domui tue Aragonum hactenus impenderunt, circa recuperationem sui patrimonii quo sicut asseritur est indebite spoliata, velit benivo-

FUNDACIÓ NOGUERA

lentia regia honestate previa favoribus et auxiliis oportunis assistere ipsamque recommendatam habere, inculcatis adhuc precibus eandem benivolentiam attentius deprecamur.

Dat. Avinione, v Idus Novembris, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

923

1332 desembre 8, Avinyó

Joan XXII prega i aconsella al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que ell i el rei Jaume III de Mallorca es dignin acceptar, o a fer viable, la fórmula de pau concertada amb els genovesos, proposada pel rei Robert de Sicília (Nàpols) i aprovada per aquests, i desisteixin d'una guerra que afavoriria en gran manera el rei de Granada.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 180.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 280-281, doc. 558.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum filio nostro in Christo carissimo Roberto illustri regi Sicilie curavimus intimare, quomodo tu fili delectissime et carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Maioricarum illustris questionem quam habebatis cum Ianuensibus eratis parati in nostris manibus ponere nostramque ordinationem inviolabiliter observare et quod ipse ut vitarentur mala que ex guerra inter vos et ipsos cepta sequi poterant cum ipsis sciret Ianuensibus an nostre ordinationi super hiis vellent stare. Cumque hiis diebus rex prefatus nobis per suas litteras intimasset quod militem unum Ianuam miserat ad ipsos inducendos ut adimplerent premissa, idem miles sibi rescripserat quod sub certa forma sumissioni annuebant predicte. Nos autem eidem regi per nostras litteras duximus suadendum ut sedulam diligentiam adhiberet quod forma illa quam in sumissione fienda volebant adicere talis esset, quod a te fili ac rege Maioricarum predicto deberet proba[bi]liter acceptari. Et quia rex Sicilie predictus responsionem Ianuensium inclusam in suis litteris tibi fili et dicto regi transmittit, circumspectionem regiam exhortamur in domino eidem nichilominus sano consilio suadendo, ut in consideratione deductis dispendiis que ex guerra huiusmodi possent sequi et specialiter quantus fervor .. regi Granate ex guerra ista accresceret quantumque vestra debilitaretur potentia contra ipsos ad viam pacis tuum velis animum inclinare.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. Avinione, VI Idus Decembris, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

924

1333 març 9, Avinyó

Joan XXII assabenta el rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que el rei Robert de Sicília (Nàpols), a través de Joan d'Amelio, ardiaca de Frejús, legat seu, li ha pregat que proposi als genovesos la pau amb Aragó i Mallorca, negociacions que no vol iniciar sense el seu beneplàcit i el del rei Jaume III de Mallorca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 181.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 281, doc. 559.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quia sicut intelleximus filius noster carissimus Robertus Sicilie rex illustris tibi fili carissime super pace inter te et carissimum filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem ex una parte et dilectos filios cives Ianuenses ex altera reformanda scribit, quod nobis per dilectum filium Iohannem de Amelio archidiaconum Foreiuliensem nuncium nostrum aliqua nunciavit, ecce ne horum ignorancia te teneat in suspenso, que sint illa tenore presentium nunciamus. Significavit enim nobis quod nos per nuncios vel litteras deberemus solicitare Ianuenses et inducere ad pacem huiusmodi faciendam exponentes eisdem quod nos pacem predictam intendebamus ordinare et disponere cum consilio dicti regis quod utique scilicet illud adicere quod cum consilio regis prefati intendamus procedere nec fecimus nec faceremus modo aliquo nisi tuo et predicti regis Maioricarum expresso accedente consensu.

Dat. Avinione, VII Idus Martii, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

925

1333 maig 3, Avinyó

Joan XXII mana al bisbe de Girona (Gastó de Montcada), a l'abat del monestir de Sant Feliu de Guíxols, diòcesi de Girona, i a Dalmau d'Alió,

FUNDACIÓ NOGUERA

canonge de Girona, que decideixin la qüestió entre els ciutadans de la vila de Banyoles, que els seus homes es diuen lliures des de temps immemorial, i l'abat i el convent del monestir del mateix orde de sant Benet i de la mateixa vila, que es creuen amb dret a exigir-los homenatge.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 182.
a Plica retallada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 281-282, doc. 560.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Gerundensi et dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Felicis Guixellensis Gerundensis diocesis ac Dalmatio Alionis canonico Gerundensi salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii universitas ville Balneolarum Gerundensis diocesis petitione monstrarunt, quod licet homines dicte ville ingenui et libere fore noscantur et tam homines dicte ville qui nunc sunt quam progenitores eorum extiterint in pacifica possessione vel quasi ingenuitatis et libertatis huiusmodi a tempore, cuius contrarii memoria non existit, et ad prestandum homagium .. abbati qui est pro tempore et conventui monasterii dicte ville ordinis sancti Benedicti eiusdem diocesis, qui in dicta villa iurisdictionem temporalem citra sanguinis effusionem et membrorum mutilationem de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine obtinere dicuntur, minime teneantur de consuetudine vel de iure, tamen dicti abbas et conventus falso pretendentes prefatos homines esse servos et ascriptitios monasterii prelibati ipsosque teneri ad prestandum eis homagium supradictum dictis hominibus mandaverunt, ut ipsis abbati et conventui homagium prestarent et quedam servilis et ascriptitie conditionis servitia tunc expressa exhibere curarent. Ex parte vero dictorum universitatis fuit coram eisdem abbati et conventu excipiendo propositum, quod homines dicte ville fuerant et erant ingenui et liberi et quod tam dicti homines erant quam progenitores eorum fuerant in pacifica possessione vel quasi libertatis et ingenuitatis huiusmodi a tempore supradicto, prout erant legitime probare parati, quodque ad prestandum eis homagium predictum minime tenebantur de consuetudine vel de iure prout superius est expressum. Quare ab eisdem abbate et conventu fuit humiliter postulatum ut mandatum ipsum quatenus ad illud processerant revocarent. Et quia prefati abbas et conventus eosdem universitatem super hoc audire contra iustitiam recusarunt, pro parte dictorum universitatis sentientium exinde indebite se gravari, fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint

FUNDACIÓ NOGUERA

evocandi et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit appellatione postposita decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gracia odio vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater episcope cum eorum altero ea nichilominus exequaris.

Dat. Avinione, V Nonas Maii, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

926

1333 maig 9, Avinyó

Joan XXII mana a Bernat d'Aragall, canonge d'Urgell, que decideixi la qüestió entre Jordà d'Arrenat, clergue de la diòcesi de Pàmies, i Pere de Nalies amb el seu fill Ramon, laics de la mateixa diòcesi, sobre certs béns i sumes de diners.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 183.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 282, doc. 561.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Bernardo de Aragallo canonico Urgellensi salutem et apostolicam benedictionem. Conquestus est nobis Iordanus de Arrenato clericus Appamiarum diocesis quod Petrus de Nalies et Raymundus eius filius laici dicte diocesis super quibusdam pecuniarum summis et rebus aliis iniuriantur eidem. Cum autem dictus conquerens sicut asserit potentiam dictorum iniuriantium merito perhorrescens eos infra civitatem vel diocesim Appamiarum nequeat convenire, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota usuris cessantibus debito fine decidas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, VII Idus Maii, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

927

1333 maig 10, Avinyó

Joan XXII dóna gràcies el rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) per haver acceptat Arnau d'Oms per al càrrec de prior de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem del priorat de Catalunya.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 184.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b VINCKE, *Documenta selecta*, p. 367, doc. 501.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 282, doc. 562.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 227, doc. 5590.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Iam placidis intellecto relatibus, quod dilectum filium Arnaldum de Ulmis priorem prioratus Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani in Cathalonia de negocio prioratus eiusdem benigniter expedisti, super hoc excellentiam regiam cum uberibus gratiarum actionibus in domino plurimum commendamus.

Dat. Avinione, VI Idus Maii, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

928

1333 maig 28, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, a petició del preceptor i frares de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, que els oficials reials no envaeixin ni gravin amb impostos els territoris del priorat de Catalunya i castellania d'Amposta.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 185.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 283, doc. 563.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 228, doc. 5594.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Exponente .. procuratore Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani nuper accepimus, quod gentes et officiales regii dilectos filios .. priorem Cathalonie et .. castellanum Emposte ac preceptores et fratres eiusdem hospitalis in eis partibus commorantes super iurisdictionibus ad eos in diversis locis spectantibus necnon cavalcatarum et aliorum insolitorum onerum impositionibus pregravant multipliciter

FUNDACIÓ NOGUERA

contra iusticiam et molestant quodque licet certe responsiones de proventibus domorum et locorum predicti hospitalis in partibus eisdem consistentium prestande dilectis filiis magistro et conventui Rodi hospitalis eiusdem pro sustentatione sua et defensione christicolarum in partibus transmarinis degentium hactenus fuerint ordinate tamen gentes et officiales predicti nituntur prestationem responsionum ipsarum in ipsorum magistri et conventus ac christicolarum detrimentum non modicum impedire. Sane fili carissime, quia honori congruit regio expeditque saluti et fame, quod gentes et officiales predicti ab iniuriis et indebitis novitatibus huiusmodi per regalem providentiam compescantur provideaturque prudenter et salubriter, ut illa que pia consideratione et deliberatione provida in favorem et subsidium christicolarum predictorum deputata dinoscuntur existere, non impediantur vel subtrahantur quomodolibet, cum exinde graviter non indigne posset altissimus provocari. Serenitatem rogamus regiam et in domino attentius exhortamur, quatinus taliter super hiis circumspectio regalis provideat quod ab impedimentis et indebitis novitatibus cessetur huiusmodi ac prelibati magister et conventus dictis responsionibus non frustrentur, supradictos priorem castellanum preceptores et fratres habendo super hiis et aliis suis oportunitatibus pro divina ac nostra et apostolice sedis reverentia favore regio nichilominus commendatos.

Dat. Avinione, V Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

929

1333 juny 21, Avinyó

Joan XXII anuncia que després de la mort de l'abat Andreu del monestir d'Àger de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell, ha nomenat Hug, canonge de l'església de Tarragona, nou abat d'aquest monestir.

A Àger, Arxiu Històric, núm. 1586.
a Plica retallada. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, XII, p. 170, doc. 60600.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. abbati monasterii Agerensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolatus officium quo generalis ecclesie regimini quamquam immeriti disponente domino presidemus utiliter exequi cooperante domino cupientes reddimur corde vigiles et solertes, ut ad regimina ecclesiarum et monasteriorum omnium ac illorum presertim que ad Romanam ecclesiam nullo pertinent

FUNDACIÓ NOGUERA

mediante, cum ea contingit suorum pastorum gubernatione destitui persone assumantur ydonee virtutum titulis insignite per quarum circumspectionis industriam et providentiam circumspectam ecclesie ac monasteria eadem in spiritualibus floreant et in temporalibus augeantur. Sane monasterio Agerensi ad eandem Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis per obitum quondam Andree dicti monasterii abbatis qui pridem apud sedem apostolicam debitum nature persolvit pastoris regimine destituto, nos attendentes quod nullus preter nos de ordinatione ipsius monasterii se intromittere potest, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium monasteriorum tunc apud dictam sedem vacantium et vacaturorum inantea dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo ex tunc irritum et inane si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari de preficiendo ipsi monasterio personam utilem et fructuosam per quam posset regi salubriter et feliciter gubernari cogitare cepimus diligenter, et post deliberationem quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in te canonicum et operarium ecclesie Terraconensis dicti ordinis eundem ordinem expresse professum et in sacerdocio constitutum, cui religionis zelus vite mundicia morum elegantia litterarum scientia circumspectionis industria et alia multiplicium virtutum merita prout ex testimoniis fidedignis accepimus laudabiliter suffragantur, aciem direximus nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua prefato monasterio Agerensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in abbatem, curam et administrationem eiusdem tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in eo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dextera domini tibi assistere propicia predictum monasterium sub tuo felici regimine votiva honoris et commodi suscipiet incrementa. Curam itaque regiminis eiusdem monasterii suscipiens reverenter in ipsius ampliandis honoris et profectibus procurandis te gerere satagas sine intermissione solicitum et fidelem, ita quod dictum monasterium gubernatoris provide ac fructuose administrator per erudentiam et efficaciam tuorum laudabilium operum gaudeat se commissum tuque preter eterne retributionis premium a nobis et eadem sede continuum benedictionis et gratie merearis suscipere incrementum.

Dat. Avinione, XI Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

930

1333 juny 21, Avinyó

Joan XXII comunica al convent i al monestir d'Àger de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell, que ha nomenat Hug, canonge de l'església de Tarragona, nou abat del monestir d'Àger, i mana que com a pare i pastor es compleixin els seus manaments.

A Àger, Arxiu Històric, núm. 1588.
a Plica retallada. Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis conventui monasterii Agerensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolatus officium quo generalis ecclesie regimini quamquam immeriti disponente domino presidemus utiliter exequi cooperante domino cupientes reddimur corde vigiles et solertes, ut ad regimina ecclesiarum et monasteriorum omnium ac illorum presertim que ad Romanam ecclesiam nullo pertinent mediante, cum ea contingit suorum pastorum gubernatione destitui persone assumantur ydonee virtutum titulis insignite per quarum circumspectionis industriam et providentiam circumspectam ecclesie et monasteria eadem in spiritualibus floreant et in temporalibus augeantur. Sane monasterio Agerensi ad eandem Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis per obitum quondam Andree dicti monasterii abbatis qui pridem apud sedem apostolicam debitum nature persolvit pastoris regimine destituto, nos attendentes quod nullus preter nos de ordinatione ipsius monasterii se intromittere poterat, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium monasteriorum tunc apud dictam sedem vacantium et vacaturorum inantea dispositioni nostre duxeramus reservandas, decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de preficiendo ipsi monasterio personam utilem ac eciam fructuosam per quam posset regi salubriter et feliciter gubernari cogitare cepimus diligenter, et post deliberationem quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in dilectum filium Hugonem abbatem monasterii predicti canonicum et operarium ecclesie Terraconensis dicti ordinis eundem ordinem expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus vite mundicia morum elegantia litterarum scientia circumspectionis industria et alia multiplicium virtutum merita prout ex testimoniis fidedignis accepimus laudabiliter suffragantur, aciem direximus nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona eiusdem Hugonis monasterio vestro de dictorum fratrum

FUNDACIÓ NOGUERA

consilio auctoritate apostolica duximus providendum ipsumque illi prefecimus in abbatem, curam et administrationem eiusdem sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie commitendo, in eo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dextera domini sibi assistente propicia predictum monasterium sub eiusdem abbatis felici regimine votiva honoris et commodi sucipiet incrementa. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem abbatem tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum pro nostra et dicte sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam eius salubria monita et mandata suscipiendo humiliter et efficaciter adimplendo, ita quod mutuo inter vos et ipsum spirituale possit habundare gaudium et prosperitatis optate consurgere incrementum, alioquin sententiam quam idem abbas rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Avinione, XI Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

931

1333 juny 21, Avinyó

Joan XXII anuncia al clergat, a la gent de la vila i al monestir d'Àger que ha nomenat Hug, canonge de l'església de Tarragona, nou abat del monestir d'Àger de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell, i han de presentar-se-li per acceptar-lo.

A Àger, Arxiu Històric, núm. 1590.
a Butlla reaprofitada amb fil de cànem.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. clero et .. populo ville [et monasterii] Agerensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis Sancti Augustini Urgellensis diocesis in spiritualibus et temporalibus pleno iure spectantis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolatus officium quo generalis ecclesie regimini quamquam immeriti disponente domino presidemus utiliter exequi cooperante domino cupientes reddimur corde vigiles et solertes, ut ad regimina ecclesiarum et monasteriorum omnium ac illorum presertim que ad Romanam ecclesiam nullo pertinent mediante, cum ea contingit suorum pastorum gubernatione destitui persone assumantur ydonee virtutum titulis insignite per quarum circumspectionis industriam et providentiam circumspectam ecclesie ac monasteria eadem in spiritualibus floreant et in temporalibus au-

FUNDACIÓ NOGUERA

geantur. Sane monasterio Agerensi ad eandem Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis per obitum quondam Andree dicti monasterii abbatis qui pridem apud sedem apostolicam debitum nature persolvit pastoris regimine destituto, nos attendentes quod nullus preter nos de ordinatione ipsius monasterii "intromittere "se poterat, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium monasteriorum tunc apud dictam sedem vacantium et vacaturorum inantea dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de preficiendo ipsi monasterio personam utilem ac etiam fructuosam per quam posset regi salubriter et feliciter gubernari cogitare cepimus diligenter, et post deliberationem quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in dilectum filium Hugonem abbatem monasterii Agerensis predicti canonicum et operarium ecclesie Terraconensis dicti ordinis eundem ordinem expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui religionis zelus vite mundicia morum elegantia litterarum scientia circumspectionis industria et alia multiplicium virtutum merita prout ex fidedignis testimoniis accepimus laudabiliter suffragantur, aciem direximus nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona sua prefato monasterio Agerensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus ipsumque illi prefecimus in abbatem, curam et administrationem eiusdem sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in eo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dextera domini sibi assistente propicia predictum monasterium sub suo felici regimine votiva honoris et commodi suscipiet incrementa. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem abbatem tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum pro nostra et dicte sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes exhibeatis ei obedientiam et reverenciam debitam et devotam eius salubria monita et mandata suscipiendo humiliter et efficaciter adimplendo, ita quod mutuo inter vos et ipsum spirituale possit habundare gaudium et prosperitatis optate consurgere incrementum, alioquin sententiam quam idem abbas rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Avinione, XI Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

932

1333 juny 21, Avinyó

Joan XXII mana a tots els vassalls del monestir d'Àger de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell, que es presentin al nou abat, Hug, canonge de l'església de Tarragona, amb la deguda fidelitat i com és costum, al seu servei.

A Àger, Arxiu Històric, núm. 1591.
a Butlla reaprofitada amb fil de cànem.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis universis vassallis monasterii Agerensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolatus officium quo generalis ecclesie regimini quamquam immeriti disponente domino presidemus utiliter exequi cooperante domino cupientes reddimur corde vigiles et solertes, ut ad regimina ecclesiarum et monasteriorum omnium ac illorum presertim que ad Romanam ecclesiam nullo pertinent mediante, cum ea contingit suorum pastorum gubernatione destitui persone assumantur ydonee virtutum titulis insignite per quarum circumspectionis industriam et providentiam circumspectam ecclesie ac monasteria eadem in spiritualibus floreant et temporalibus augeantur. Sane monasterio Agerensi ad eandem Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis per obitum quondam Andree dicti monasterii abbatis qui pridem apud sedem apostolicam debitum nature persolvit pastoris regimine destituto, nos attendentes quod nullus preter nos de ordinatione ipsius monasterii se intromittere poterat, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium monasteriorum tunc apud dictam sedem vacantium et vacaturorum inantea dispositioni nostre duximus reservandas, decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, de preficiendo ipsi monasterio personam utilem ac etiam fructuosam per quam posset regi salubriter et feliciter gubernari cogitare cepimus diligenter, et post deliberationem quam cum fratribus nostris super hoc attentam habuimus, demum in dilectum filium Hugonem abbatem monasterii Agerensis predicti canonicum et operarium ecclesie Terraconensis dicti ordinis eundem ordinem expresse professum et in sacerdocio constitutum, cui religionis zelus vite mundicia morum elegantia litterarum scientia circumspectionis industria et alia multiplicium virtutum merita prout ex testimoniis fidedignis accepimus laudabiliter suffragantur, aciem direximus nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona

FUNDACIÓ NOGUERA

eiusdem Hugonis prefato monasterio Agerensi de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus ipsumque illi prefecimus in abbatem, curam et administrationem eiusdem eidem abbati tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in eo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dextera domini sibi assistente propicia predictum monasterium sub eiusdem abbatis felici regimine votiva honoris et commodi suscipiet incrementa. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus dictum abbatem debita honorificentia persequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servicia et iura sibi a vobis debita exhibere integre studeatis. Alioquin sentenciam suam sive penam, quam idem abbas spiritualiter et temporaliter rite tulerit seu statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Avinione, XI Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Decimoseptimo.

933

1333 juny 28, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Benigne) que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, a través de Bertran de Vall, ciutadà de Barcelona i procurador reial, lliurats a favor del rei Alfons, com a cens corresponent a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 186.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 164-165, doc. 222.
c MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, XII, p. 174, doc. 60641.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 283, doc. 564.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 229, doc. 5596.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso Aragonum et Sardinie ac Corsice regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte regia coram nobis proposita petitio continebat quod cum ratione census annui duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum ad quem solvendum in festivitate beatorum Petri et Pauli apostolorum pro regno Sardinie et Corsice Romane ecclesie annis singulis es astrictus, mille marchas argenti eorundem Sterlingorum in quatuor milibus centum septuaginta duobus florenis auri undecim solidis et

FUNDACIÓ NOGUERA

quatuor denariis Coronatorum singulis marchis pro quatuor florenis auri duobus solidis et quatuor denariis Coronatorum computatis pro medietate dicti census, quam in instanti festo eorundem apostolorum, alia medietate tibi dudum per nos de gratia speciali sub certis formis et modis usque ad certum tempus remissa solvere tenebaris per manus dilecti filii Bertrandi de Valle civis Barchinonensis feceris die dat. presentium camere nostre persolvi providere tuis super hiis indempnitatibus curaremus. Nos itaque supplicationi huiusmodi velut rationi consone benignius inclinati, solutionem huiusmodi eidem camere de dictis mille marchis in eisdem quatuor milibus centum septuaginta duobus florenis auri undecim solidis et quatuor denariis Coronatorum pro medietate dicti census factam ut premittitur ratam habentes et gratam te ac heredes et successores tuos de eisdem mille Marchis solutis et computatis sicut superius exprimitur absolvimus et quitamus.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

934

1333 juliol 31, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, com a àrbitre elegit a proposta de la reina Sança de Sicília, que li enviï plenipotenciaris el pròxim setembre per tractar de la pau que es vol establir entre els genovesos, mentre se suspenen les hostilitats.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 187.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 283-284, doc. 565.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Innotuit nobis tuarum fili carissime ac venerabilis fratris nostri Iohannis patriarche Alexandrini series litterarum quod filia nostra in Christo carissima Santia regina Sicilie illustris vestre suaserat prudentie, ut questiones quas hostis pacis inter vos et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem vestrosque subditos ex parte nostra et dilectos filios Ianuenses ex altera suscitaverat nobis mediantibus terminari velletis quodque tu fili dilectissime ipsius regine beneplacitis et suasionibus super hiis annuisti. Nos autem guerrarum que dissensiones predicte pariunt incommoda pacisque mutue commoda considerantes attente

FUNDACIÓ NOGUERA

desideranter appetimus, quod guerrarum earundem periculis via pacis laudabili occurratur, quod ut fiat licet aliis negotiis arduis occupati parati tamen sumus interponere solicitudinis nostre partes. Ideoque fili amantissime si hec via tue magnificentie placuerit, ordina procuratores sufficientes et ydoneos cum potestate que sufficiat ad premissa qui in medio instantis mensis Septembris se nostro conspectui representent, cum hoc idem parti alteri per nostras litteras nuntiemus. Et quia interim possent hinc inde talia perpetrari, propter que pacis reformatio difficilior redderetur, celsitudinem regiam hortamur in domino et rogamus, quatinus super hoc taliter curet circumspectio regalis disponere quod pro parte tua gentisque tue offense medio tempore conquiescant. Nos enim speramus quod pars alia similiter ab offensis interim debeat abstinere et de hiis quid regia intendat magnificentia nos tua serenitas velit per portitores presentium reddere certiores.

Dat. Avinione, II Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.

935

1333 setembre 6, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que prorroga, fins al dia de Sant Lluc (18 de setembre) el termini per enviar plenipotenciaris a Avinyó, a l'efecte de reiniciar les sessions del tractat de pau que s'ha de concertar amb tots els genovesos.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 189.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 284, doc. 566.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum considerantes attente strages corporum lapsus rerum et animarum amarius plangenda pericula dispendiaque innumera que dissentio inter te fili carissime et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem ac regios utriusque subditos ex parte una et dilectos filios commune Ianuense et subditos eorum ex altera suscitata produxerat et inferre nisi occurreretur ocius minabatur regie celsitudini qualiter ad eisdem periculis et scandalis obviandum et pacis hincinde reformanda federa nostra intentio aspirabat et circa hec si tibi et aliis quos negotium tangit, placeret via huiusmodi procuratoresque ydonei mitterentur, qui cum potestate ad hoc sufficienti si infra medium presentis mensis Septembris nostro

FUNDACIÓ NOGUERA

conspectui presentarent, laborare intendebamus sedule per nostras meminimus litteras intimasse, in eisdem litteris ut ab offensionibus interim cessaretur mutuis, ne bonum pacis valeret impediri super hiis aut ad eam via difficilior posset reddi nichilominus subiungentes. Et licet tuas et eiusdem regis receperimus litteras, per quas vos procuratores infra dictum terminum ad presentiam nostram destinare ydoneos et cessare subditos regios ab offensione dictorum Ianuensium facere, si hoc idem per ipsos fieret rescripsistis. Verentes tamen quod Ianuensium predictorum procuratores qui tardive nostras receperunt litteras non possent ad dictam presentiam infra eundem terminum quod grave non immerito procuratoribus redderetur regiis accessisse predictum terminum usque ad instans festum beati Luche evangeliste providimus prorogandum, rogantes regalem excellentiam et attentius exhortantes, quatinus procuratores suos qui in huiusmodi termino se coram nobis presentare studeant mittere suosque subditos ab offensionibus predictis abstinere facere interim cum hoc idem scribamus predictis Ianuensibus non ommittat, tunc enim de communi consensu partium ordinare proponimus qualiter hinc inde huiusmodi decetero mala cessent.

Dat. Avinione, VIII Idus Septembris, pontificatus nostri anno Decimooctavo.

936

1333 desembre 29, Avinyó

Joan XXII mana a Joan (infant d'Aragó), patriarca d'Alexandria i administrador de l'església de Tarragona, que realitzi una treva de pau entre el bisbe (Arnau de Llordat), el capítol i la ciutat d'Urgell, i altres vassalls de l'església d'aquesta diòcesi, d'una banda, i els nobles Roger Bernat, vescomte de Castellbò de la diòcesi d'Urgell, Hug de Cardona, comte de Pallars, el vescomte de Vilamur d'aquesta diòcesi i altres còmplices de Roger Bernat, de l'altra.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla amb fil de cànem.
b MOLLAT, *Jean XXII*, *lettres communes*, XIII, p. 78, doc. 62366.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Iohanni patriarche Alexandrino administratori ecclesie Terraconensis in spiritualibus et temporalibus per sedem apostolicam deputato salutem et apostolicam benedictionem. Et si hostis antiquus pacis invidus et caritatis admodum inimicus inter fideles quoslibet discordie semen serere illudque mortiferis satagat nutrire fomentis. Nos tamen regis

FUNDACIÓ NOGUERA

pacifici qui est actor pacis et operum eius amator licet immeriti vices gerentes in terris plenis nimirum desideramus affectibus et ad hoc opem et efficacem operam impertimur, ut inter fideles quoslibet discordie seminariis amputatis et fomite dissensionis extincto pacis solide federa reformentur. Sane fidedigna licet non grata relatio nuper ad apostolatus nostri perduxit auditum, quod hoste predicto incentore malorum omnium procurante inter venerabilem fratrem nostrum .. episcopum et dilectos filios capitulum Urgellenses ac universitatem et cives civitatis Urgellensis aliosque et vassallos Urgellensis ecclesie ex parte una et dilectos filios nobiles viros Rogerium Bernardi vicecomitem Castriboni Urgellensis diocesis ac .. comitem Palhariensem Hugonem de Cardona et .. Villamuri vicecomitem dicte diocesis ipsius Rogerii complices in hac parte aliosque fautores auxiliatores et valitores ipsius ex altera a deo est gravis dissensionis guerrarum et turbationis materia suscitata, quod ad diffidationes obsessiones expugnationes et depopulationes castrorum terrarum locorum vinearum ortorum et possessionum aliarum et homicidia plurima est hincinde processum et preter animarum pericula que prothdolor principalius sunt deflenda aggressiones hostiles et alia dampna plurima mutuo sunt illata quodque nisi tante dissensioni ac discordie de oportuno remedio provideatur eccl[esie] graviora exinde scandala et pericula provenire proculdubio formidantur. Nos igitur cupientes cunctis fidelibus in pulcritudine pacis et tranquilitatis adesse ac de ipsorum animis cuiuslibet dissensionis amputari materiam et inter dissidentes quoslibet pacem et concordiam reformari necnon intendentes, gerentes quoque de te qui pacis amator specialiter fore dinosceris in hiis et aliis fidelium unitatem et quietam tangentibus confidenciam singularem ac confidentes tue operationis ministerium in hac parte magnum utrique parti commodum allaturum ad reducendum partes predictas ad veram concordiam atque pacem tuam industriam edocentes et tractatum et reformationem pacis huiusmodi eandemque tangencia tibi tenore presentium committentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus diligenter advertens quantum fructum dinoscitur producere bonum pacis quantaque incommoda discordia pariat inter partes predictas ad treugas quarum fedus pacis representant ymaginem inter se convencionaliter ineundas efficaciter ipsas partes inducas et si super hoc acquiescere tibi forte noluerint partes ipse aut si forsan tibi expediencius videatur, quod omissis tractatu seu inductione huiusmodi ad indictionem treugarum ipsarum procedas illas inter partes easdem et valitores ipsarum apostolica auctoritate indicas, prout et ad tempus de quo videris expedire ac nichilominus partes ipsas ad pacem et concordiam iuxta datam tibi a deo prudentiam inducere studeas solicitis monitis et exhortationibus oportunis ut eo auxiliante qui est

FUNDACIÓ NOGUERA

pax nostra tuaque operante solertia possit inter partes easdem optata concordia celeriter provenire. Preterea ut circa prosecutionem sic pii negocii cuiuslibet impedimenti vel obstaculi tollatur occasio dissolvendi vacuandi irritandi et revocandi omnes pactiones obligationes confederationes et colligationes inter partes predictas ac valitores fautores et auxiliatores earum quomodolibet initas iuramentis seu quibusvis aliis firmitatibus roboratas necnon relaxandi huiusmodi et quelibet alia iuramenta a quibuscumque prestita, per que huiusmodi nutriri discordia et pacis bonum posset quomodolibet impediri, prout secundum deum expedire videris dissolvendi vacuandi irritandi revocandi et etiam relaxandi ac treugas huiusmodi per censuram ecclesiasticam et invocationem auxilii brachii secularis, quos ad hec auctoritate nostra per censuram eandem compellere valeas usque ad tempus quo illas indixeris inviolabiliter observari necnon de dampnis iniuriis et violenciis hincinde datis dampna passis et iniurias vocatis qui evocandi fuerint simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii exhiberi satisfactionem debitam faciendi, ac contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque dignitatis status vel conditionis existant per censuram eandem et alia iuris remedia, de quibus expediet compescendi. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri,[24] quibus cavetur ne aliquis extra suam civitatem et diocesim certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere presumant ac de duabus dietis in concilio generali et aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis que tue possent in hac parte ipsis dictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si episcopo capitulo civibus Rogerio comiti et vicecomitibus et nobilibus prelibatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede sit indultum predicta, quod interdici suspendi vel excommunicari aut terre ipsorum ecclesiastico supponi interdicto seu ultra vel extra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, fraternitati tue plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Decimooctavo.

24. IV Conc. del Laterà, càn. 37, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 251-252; X 1.3.28, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 31; VI 1.3.11, 1.14.15, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 941-942, 982-983.

937

1334 gener 22, Avinyó

Joan XXII mana a l'arquebisbe de Saragossa (Joan d'Aragó i d'Anjou) que no pertorbi els ciutadans d'Aldeas de Terol que han conquerit les terres als sarraïns i han pres la tercera part de les primícies donades als servidors de les esglésies i amb dues parts d'aquestes han construït fortaleses als castells i altres llocs, ponts i fonts, d'acord amb el privilegi d'Urbà II.

A Barcelona, Biblioteca de Catalunya, Pergamins, R. 3532.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.
b MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, XIII, p. 89, doc. 62507.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. archiepiscopo Cesaraugustano salutem et apostolicam benedictionem. Officii nostri debitum exigit ut cuique poscenti iustitie plenitudinem tribuamus, ut quilibet sui iuris terminis contentetur. Ex tenore siquidem petitionis pro parte dilectorum filiorum universitatis hominum omnium Aldeyarum de Turolio tue diocesis nobis porrecte collegimus, quod felicis recordationis Urbanus papa II predecessor noster progenitoribus eorum, qui tunc erant maxime in acquisitione illius terre de Sarracenorum christiani nominis hostium faucibus propter paupertatem tunc noviter habitantium in eadem et ut melius possent invadere dictos hostes et etiam defendere se ab eis primicias omnium ecclesiarum Aldeyarum predictarum eisdem progenitoribus et hiis qui forent habitatores locorum ipsorum hoc modo concessit, videlicet quod tertia pars dictarum primiciarum daretur ecclesiarum servitoribus earundem ac due partes earum expenderentur per habitatores predictos in fortalliciis castrorum et locorum ipsorum faciendis et in itineribus preparandis pontibus construendis et inveniendis fontibus, quibus maxime indiget dicta terra, necnon due partes dictarum primiciarum ab huiusmodi concessionis tempore citra inconcusse pacifice et quiete per dictos habitatores recepte ac modo predicto converse fuisse noscuntur. Unde cum a paucis temporibus citra sicut habet dicta petitio, tu prefatos habitatores in dictarum primiciarum perceptione ac dicto usu convertendi easdem inquietes et perturbes volendo eis adiungere clericos, qui una cum ipsis habitatoribus primicias iamdictas recipiant et in usus debitos convertant in derogationem concessionis premisse, quo ad huiusmodi adiunctionem ipsorum habitatorum preiudicium et gravamen, ex parte ipsius universitatis nobis extitit humiliter supplicatum, ut eis in hac parte iuste providere de apostolica clementia dignaremur. Volentes igitur in hac parte iuris modestiam adhibere huiusmodi etiam supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita cesses ab inquietatione et

FUNDACIÓ NOGUERA

perturbatione huiusmodi nisi causam rationabilem habeas, quare dicte concessionis ordinatio non debeat observari vel tibi et clericis dictarum ecclesiarum circa premissa credas iniuriam irrogari, quam infra tres menses a facienda tibi presentatione presentium inantea numerandos, per te vel procuratorem seu procuratores tuos sufficienter instructos coram nobis vel deputando per nos proponere tenearis, nosque super illa quantum poteris informare, ut cum exinde informati fuerimus super hoc ordinare quod iustum fuerit actore domino valeamus.

Dat. Avinione, XI Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Decimooctavo.

938

1334 març 5, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que presti el seu concurs al rei Felip VI de França, el qual projecta una croada a Terra Santa contra els turcs, que han eixamplat el seu domini fins internar-se a Grècia; per a aquest fi, li suplica que concerti la pau amb els genovesos atès que aquesta discòrdia és desfavorable a tal empresa. El rei de França li ofereix la seva mediació i li envia Felip de Pria, senescal de Bellcaire (Gard), a qui acompanya Hug de Mirabell, canonge de Mende (Losera), capellà i legat seu, per informar-lo àmpliament de tot.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 190.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 284-285, doc. 567.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Excellenciam regiam credimus non latere quomodo ad instanciam sedulam filii nostri in Christo carissimi Philippi regis Francie illustris de fratrum nostrorum consilio in subsidium negocii Terresancte passagium indiximus generale, cuius quidem passagii capitaneatum et rectoriam prefatus rex igne caritatis accensus noscitur assumpsisse. Sane quia expediens dicto passagio noscitur et multipliciter oportunum, ut sic via eidem preparetur passagio, quod tollendo que eidem prebere possent obstaculum et que ipsi suffragari poterunt vigilanti studio procurentur, prefatus rex intense desiderans quod hec fiant ad hec procuranda dilectum filium nobilem virum Philippum de Pria militem senescallum Bellicadri ad tuam ducit presentiam destinandum. Verum quia discordia quam inter te fili carissime et

FUNDACIÓ NOGUERA

carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem subditosque vestros ex parte una ac dilectos filios Ianuenses ex altera pacis emulus suscitavit, multum posset preiudicialis esse predicto passagio et concordia multipliciter oportuna ad hoc ut pax cunctis desiderabilis inter vos et ipsos mutuo reformetur, licet arduis occupatus negociis offert se paratum laborem per se vel alios suscipere pacis huiusmodi procurande. Nos quoque qui pacem illam intensis desideriis affectamus, circumspectionem regiam rogamus per viscera misericordie dei nostri, quatinus pacis ipsius commoda et dissensionis eiusdem incommoda recogitans diligenter animum tuum ad concordiam prepares et disponas ad pacem eiusdem regis exhortationes laudabiles ad exauditionis graciam introducens. Rursus quia Turcorum mundans superbia suis nequaquam contenta finibus collectis viribus robore adunato partes Grecie et loca circumvicina invasit hostiliter ipsoque aggredi non expavit multaque loca peremptis nonnullis eorundem incolis sanguine Christi pretioso redemptis aliisque captivatis ac bonis in predam datis loca deserta et absque habitatoribus dereliquit nec hiis contenta se disponere dicitur ad peiora que profecto nisi occurratur ocius possent quod absit dictum passagium impedire, instat prefatus rex et nos cum eo pariter ut ad refrenandos ipsorum Turcorum malignos impetus repellendos insultus compescendam nequiciam et superbiam conterendam ac providendum dicto passagio et christiano illarum partium populo oportunum subsidium prout expedire viderit, tua velit magnificentia ministrare. Ad hec quia magnitudo et arduitas negocii passagii antedicti omnium christicolarum precipue principum et magnatum subsidium postulat et requirit, habet instare dictus nobilis ut tuum illi regalis magnificencia prout tua patientur negocia subsidium debeat impertiri pro quo nos offerimus tibi etiam preces nostras, super quibus plenius explicandis dilectum filium magistrum Hugonem de Mirabello prepositum ecclesie Mimatensis capellanum nostrum ad tuam excellenciam destinamus, quem una cum nuncio predicto regio velit celsitudo regia audire benigne eosque celeriter ac feliciter expedire.

Dat. Avinione, III Nonas Martii, pontificatus nostri anno Decimooctavo.

939

1334 març 29, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que la reclamació de Robert de Sicília (Nàpols) feta a través de Mateu de Porta de Salerm, professor de dret civil, familiar, conseller i missatger seu, sobre el pa-

FUNDACIÓ NOGUERA

gament d'una indemnització pels mals causats pels seus súbdits als d'aquell, no sigui obstacle pel restabliment de la pau entre ambdós, ja que es tracta només d'una justa reivindicació.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 191.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 285, doc. 568.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quantum sit deo grata inter te fili carissime ac filium nostrum in Christo carissimum Robertum Sicilie regem illustrem concordia quantumque utrique vestrum expedient vestrisque oportuna subditis tua regia providentia non ignorat. Sane quia per nonnullos tue ditioni subditos eiusdem regis subditis dampna varia dicuntur illata pro quorum restitutione dampnorum ad tuam mittit presentiam dilectum filium Matheum de Porta de Salerno iuris civilis professorem familiarem suum consiliarium ac fidelem circumspectionem regiam toto cordis rogamus affectu, quatinus attente confidemus quod pax cultus iusticie est effectus sit se circa premissa studeat promptam exhibendo iusticiam se habere, quod inter vos conservetur unitas spiritus in vinculo pacis. Gratia domini nostri Ihesu Christi sit fili carissime tecum, que te in agendis dirigat et protegat ab adversis amen.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Decimooctavo.

940

1334 juliol 2, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) la resposta donada pels genovesos a la proposició de reunir una assemblea de legats a Avinyó per tractar del concert de pau amb ell i el rei Jaume III de Mallorca, i en la qual manifesten que tenen preparada una armada de dotze galeres per prosseguir les hostilitats, que no pensen suspendre perquè dubten de la bona fe d'ambdós reis.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 192.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 285-286, doc. 569.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ut regalis prudentia de hiis que Ianuenses nobis su-

FUNDACIÓ NOGUERA

per mittendis ad nostram presentiam nunciis responderunt efficiatur certior et quid ipsi de armata intendunt interim facere non ignoret. Ecce quod hec reserabit plenius cedula presentibus interclusa.[25]

Dat. Avinione, VI Nonas Iulii, pontificatus nostri anno Decimooctavo.

941

1334 agost 3, Avinyó

Joan XXII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que tant ell com el rei Jaume III de Mallorca enviïn sense demora plenipotenciaris a Avinyó per tractar del concert de pau amb els genovesos, la resolució de la qual li comuniquen a través del cardenal diaca Lluc (de Flisco) de Santa Maria in Via Lata.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 193.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 286, doc. 570.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad regiam noticiam deducimus per presentes quod dilectus filius noster Luchas sancte Marie in Vialata diaconus cardinalis transmissas sibi de Ianua litteras quarum seriem de verbo ad verbum continet cedula interclusa, presentibus nobis misit. Cum igitur iuxta dictarum seriem litterarum dilecti filii Ianuenses pro pacis concordia inter te fili carissime ac carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem vestrosque subditos ex parte nostra et ipsos Ianuenses ex altera reformanda, suos ambaxiatores et nuncios ad nostram presentiam ordinaverint improximo destinandos, provideat circumspectio regia quod tam tui quam regis predicti subditorum vestrorum nuncii omni mora postposita ad nostram presentiam curent dirigere gressus suos sic quod propter ipsorum moram non contingat dictum negocium impediri.[26]

Dat. Avinione, III Nonas Augusti, pontificatus nostri anno Decimooctavo.

25. Inclou dins la butlla el pergamí separat del Concili de Gènova de 12 de juny de 1334.

26. Inclou dins la butlla la lletra separada de Gènova de 23 de juny de 1334.

FUNDACIÓ NOGUERA

942

1334 agost 16, Avinyó

Joan XXII comunica al rei Alfons III d'Aragó i Sardenya (el Benigne) que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, a través de Jaume de Castelló, porter, lliurats a favor del rei Alfons, com a cens corresponent a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 40, núm. 188.
a Butlla amb fil de cànem.
b TRENCHS - SÁINZ DE LA MAZA, *Documentos pontificios sobre Cerdeña*, p. 186-187, doc. 263.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 286, doc. 571.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 231, doc. 5604.

Iohannes XXII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum et Sardinie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum de censu annuo duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum per te fili carissime ratione regni Sardinie et Corsice quod sub certis modis pactis condicionibus et serviciis ab ecclesia Romana tenes in feudum debito mille marchas argenti pro termino festi beatorum apostolorum Petri et Pauli proxime preteriti in quatuor milibus trecentis octuaginta octo florenis auri et duobus solidis monete Coronatorum singulis marchis pro quatuor florenis auri quatuor solidis undecim denariis et singulis florenis pro duodecim solidis octo denariis dicte monete Coronatorum computatis per manus dilecti filii Iacobi de Castilione porterii tui die dat. presentium infra prorogationem inde per nos gratiose tibi factam duxeris nostre camere persolvendas. Nos tuis volentes indempnitatibus super hiis providere solutionem huiusmodi ratam habentes et gratam te ac omnia bona tua de dictis mille marchis eidem camere sicut est expressum superius persolutis absolvimus imperpetuum et quitamus.

Dat. Avinione, XVII Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Decimooctavo.

943

[.....], Avinyó

Joan XXII mana al bisbe de Barcelona (Ponç de Gualba) que introdueixi un clergue com a frare en un benefici d'una església col·legiata amb cura o sensa cura d'ànimes, examinat d'hàbits i d'aprenentatge per

FUNDACIÓ NOGUERA

Napoleó d'Orsini, ardiaca de Mallorca, i Guillem de Torre, prepòsit de Clermont. (Poc llegible.)

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 10-2.
a Parts dreta i inferior retallades. Butlla perduda.

Iohannes (XXII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Constitutus in [presentia nostra dilectus filius ...] nullum sit ecclesiasticum beneficium assecutus, provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Quia igitur illi sunt ad ecclesiastica beneficia promovendi, quibus mores et sciencia suffragantur, [..... ... ... Neapoleo]nem de filiis Ursi archidiaconum de Maiorica Legionensem notarium et Guil(e)l(m)um de Turre prepositum Claromontensem capell[anum .... examinari] fecimus diligenter, inventus sit in illa convenienter idoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum. Nos de vita et con[versatione ipsius .... notitiam non habentes fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus de hiis solerter inquirens si eum] vite laudabilis et honeste conversationis esse repereris et aliud ecclesiasticum beneficium non obtineat nec alias scripserim[..... cum cura] vel sine cura consueto ab olim clericis secularibus assignari, spectante ad collationem vel presentationem dilecti filii [..... ... va]cat ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, dummodo pro alio in consimili forma non scripserimus [..... inducens eum in] corporalem possessionem eiusdem beneficii et defendens inductum ac faciens ipsum ad illud, si in ecclesia collegiata secund[um ... ... postquam de ipso vacante sibi provisum fuerit in canonicum recipi et] in fratrem, non obstante si aliqui auctoritate predecessorum nostrorum Romanorum pontificum beneficia ad dicti Sa[... ...] in assecutione huiusmodi benefitii volumus anteferri, sed nullum eis per hoc quo ad assecutionem aliorum benefitiorum [preiudicium generari aut si .....] fecerimus aut mandaverimus aliis quocumque fuerint, quibus per hoc nullum volumus generari preiudicium [.... ... quod ad re]ceptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli aut quod interdici suspendi [vel excommunicari non possint .....].

Dat. Avinione, [.....], pontificatus nostri anno [...].

FUNDACIÓ NOGUERA

BENET XII

(elecció 20 desembre 1334; coronació 8 gener 1335;
† 25 abril 1342)

944

1335 gener 9, Avinyó

Benet XII demana al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) la seva consagració i coronació.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 1.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 287, doc. 572.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 235, doc. 5620.

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Altitudo celestis consilii supra cuncta tenens in excelsis imperium, sic dat esse rebus et dispensat ineffabili providentia munera gratiarum, sic creaturarum conditiones et status ordinat ac prout vult, variat et disponit, quod sensus humanus eius secreta consilia perscrutari non valens, in horum consideratione potius habetatur, cum sint investigabiles vie domini et sapientie sue magnitudinem humani non capiunt intellectus. Facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit et ponit nonnunquam humiles in sublimi, plenam et perfectam habens ad singula, tanquam palmo concludens omnia potestatem. Sane felicis recordationis Ioanne papa XXII predecessore nostro nuper, sicut domino placuit, ab hac luce subtracto et ad celestem patriam ab huius mundi miseria, sicut pie credimus, evocato eiusque corpore cum exequiarum solennitate debita tumulato, venerabiles fratres nostri episcopi presbiteri et diaconi sancte Romane ecclesie cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione pastoris convenientes in unum sub deliberatione consilii, quam tanti negotii qualitas exigebat, habito super electionis futuri pape celebratione tractatu, licet consentire potuissent in alios maiorum meritorum claritate conspicuos et plurium virtutum titulis insignitos, tandem ad personam nostram dirigentes unanimiter vota sua, nos ad summi pontificatus apicem, divine dignationis clementia, evocarunt. Nos igitur nostrarum insufficientiam virium et administrationis tam ardue sarcinam tantique oneris gravitatem, intenta consideratione pensantes intra nostra precordia, quid inter tot diversas et varias seculi fluctuationes et pugnas agendum, quidve tenendum, quidve pensandum extiterit, animo duximus trepido revolvendum. Demum vero spiritus virtute

FUNDACIÓ NOGUERA

resumpta, in illo, qui assurgit in occursum timentium et implorantium humiliter nomen suum quique clementer in semitis suis gressus hominis perficit, inter huiusmodi cogitationum fremitus anchoram spei nostre fiximus, ad ferendum sub eius fiducia iugum servitutis apostolice imbecilles humeros humiliter submittentes. Ac subsequenter benedictionis et coronationis solemnia et cetera recepimus secundum morem eiusdem Romane ecclesie in personis Romanorum pontificum predecessorum nostrorum hactenus observatum, anxiato et humiliato spiritu domino supplicando, ut ipse qui nos iugum huiusmodi subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram sue virtutis robore fulciat, sicque illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo non contingat nos ex nostra debilitate deficere, sed ita sua omnipotentia nobis, et gregi dominico vigilantie nostre commisso, potius proficere, quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo iudicio reddere rationem. Hec autem que ante benedictionis et coronationis nostre solennia nulli nuntiavimus, tibi fili carissime utpote illi quem nos et ecclesia prelibata specialiter inter alios principes orbis terre catholice fidei professores brachii sincere caritatis astringimus, primordialiter decrevimus intimanda. Serenitatem itaque regiam rogamus et obsecramus in domino Ihesu Christo, quatinus apud eum qui opus imperfectionis abhorret precibus devotis insistas, ut quod cepit in nobis ad tantorum sarcinam onerum ad sui honorem et exaltationem nominis ac salutem animarum nobis creditarum divinitus perficiat equanimiter et salubriter perferendam ea que ad honorem et beneplacitum eiusdem ecclesie matris tue ac libertatem ecclesiasticam statumque pacificum regni tui regalis noverit circumspectio pertinere, sic sinceris studiis et promptis effectibus nichilominus exequendo, quod exinde tibi apud deum retributionis eterne premium et apud homines fame preconium acquiratur, firmam spem de nobis plenamque fiduciam habiturus, quod in hiis que tuum et regni tui commodum et honorem respiciunt oportune, tibi tanquam dilectissimo filio quantum cum deo poterimus apostolicis favoribus assistemus. Quia vero sicut accepimus portitores litterarum huiusmodi propriis commodis inhiantes, interdum consueverunt petitiones existere importuni et diversis modis aliis onerosi excellentiam tuam scire cupimus, quod de nostra intentione procedit, portitores ipsos iurare fecimus, ut a tali petitione et receptione penitus desistant, sed volumus quod ipsi portitores nostri perceptione premii sint contenti, quibus congrue intendimus pro eorum laboribus respondere.

Dat. Avinione, v Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

945

1335 febrer 15, Avinyó

Benet XII mana al bisbe de Vic (Galceran Sacosta) que institueixi Guillem Franc, clergue pobre de la diòcesi de Vic, amb un benefici eclesiàstic vacant a la ciutat o diòcesi de Vic que forma part del priorat de Santa Maria de Castellfollit de Riubregós de l'orde de sant Benet, diòcesi d'Urgell.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-216.
a Butlla perduda.

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Guilelmus Franch pauper clericus tue diocesis nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse sicut asserit beneficium aliquod ecclesiasticum non obtineat, provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Quia igitur illi sunt ad ecclesiastica beneficia promovendi, quibus mores et scientia suffragantur, cum idem clericus quem per certos examinatores super hoc deputatos a nobis de litteratura examinari fecimus diligenter, inventus sit in illa convenienter ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum. Nos de vita et conversatione ipsius clerici notitiam non habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus de hiis solerter inquirens si eum vite laudabilis et honeste conversationis esse repereris et aliud ecclesiasticum beneficium non obtineat aliudque canonicum non obsistat, ei de aliquo ecclesiastico beneficio secundum sue probitatis merita competenti cum cura vel sine cura consueto abolim clericis secularibus assignari spectante ad collationem vel presentationem dilecti filii .. prioris prioratus sancte Marie de Castrofollito de Rivolucoso ordinis sancti Benedicti Urgellensis diocesis, siquod in civitate vel diocesi Vicensi vacat adpresens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas dummodo nonnisi pro uno alio in consimili forma scripserimus super conferendo sibi beneficia ad dictum priorem in dictis civitate vel diocesi spectante per te vel per alium seu alios providere procures, inducens eum in corporalem possessionem eiusdem beneficii et defendens inductum ac faciens ipsum ad illud si in ecclesia collegiata secundum distinctionem nostram inferius annotatam extiterit, postquam de ipso vacante sibi provisum fuerit in canonicum recipi et in fratrem. Non obstante si aliqui nostra vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum auctoritate huiusmodi beneficia ad ipsius prioris collationem vel presentationem spectantia tam in huiusmodi pauperum quam alia quacunque forma provisionis expectent, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi

FUNDACIÓ NOGUERA

beneficia expectantibus dictum clericum in assecutione huiusmodi beneficii volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari aut si aliquibus de beneficiis ecclesiasticis ad eundem priorem spectantibus per nostras litteras sit provisum, aut si eidem priori vel personis ipsius ecclesie, in qua sibi provideri contigerit a sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur quodque ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint vel quod de beneficiis ad eorum collationem vel presentationem spectantibus non possit aliquibus provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, sive qualibet alia prefate sedis indulgentia cuiuscunque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris mentionem fieri oporteat specialem. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Ita tamen quod idem clericus prout requiret onus beneficii de quo ei provisum fuerit ad ordines se faciat statutis temporibus promoveri et personaliter resideat in eodem, mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus quod in eo impendisse lauderis misericordiam pauperi et obedientiam mandatori. Volumus autem quod omnes alie littere a sede predicta vel eius legatis seu quibuslibet aliis obtente necnon promissiones et obligationes a quibuscunque personis facte super ipsius clerici provisione sint invalide omnique careant firmitate. Ceterum districtius inhibemus ne prefato clerico auctoritate presentium cathedrali aliquatenus provideatur ecclesia vel de cuiuslibet ecclesie collegiate prebenda vel alio ecclesiastico beneficio sine cura, cuius redditus et proventus annui vigintiquinque librarum Turonensium parvorum summam sive de aliqua parrochiali ecclesia vel aliquo ecclesiastico beneficio curam animarum habente, cuius redditus et proventus quadraginta librarum eiusdem monete annuam quantitatem excedant. Valorem autem annuum huiusmodi reddituum et proventuum declaramus et haberi volumus extimatum prout de illis secundum taxationem vel alias pro decima est amplius persolutum. Nostre tamen intentionis existat, quod de huiusmodi beneficio etiam si minoris quam predicitur valoris extiterit, possit eidem clerico si illud infra unius mensis spatium postquam sibi de ipsius beneficii vacatione constiterit acceptare voluerit provideri. Prefato enim priori ne post insinuationem presentium et processuum per eas habitorum ei factam de ipso beneficio interim etiam ante acceptationem huiusmodi disponere quoquomodo presumat, districtius inhibemus, decernentes irritum et inane si secus super premissis a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari.

Dat. Avinione, XV Kalendas Martii, pontificatus nostri Anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

946

1335 octubre 17, Avinyó

Benet XII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) que rebi el mestre Ponç Teixidor, ardiaca d'Auge, diòcesi de Lisieux, legat seu, enviat als seus regnes per assumptes de l'Església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 2.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 287, doc. 573.
c VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, col. 157-158, doc. 616.
d COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 76, doc. 12.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 240, doc. 5639.

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilectum filium magistrum Pontium Textoris archidiaconum Algie in ecclesia Lexoviensi apostolice sedis nuncium [pro] certis nostris et ecclesie Romane negociis ad partes regni et terrarum tuorum, fili carissime, specialiter destinemus, magnificentiam regiam attentius deprecamur, quatinus eundem nuncium et commissa sibi negocia habere velit pro nostra et eiusdem sedis reverentia sic favorabiliter commendata, quod nos et eandem sedem reperire mereatur exinde in suis oportunitatibus merito promptiores.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

947

1335 novembre 15, Avinyó

Benet XII prega al rei Alfons III d'Aragó (el Benigne), i l'exhorta, a proposta del rei Felip VI de França, que enviï missatgers a Avinyó per la propera festa de Nadal a fi de tractar el concert de pau amb els genovesos, ja que la guerra amb aquests és molt perjudicial per als interessos de la projectada croada a Orient.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 3.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, col. 163-164, doc. 656.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 287-288, doc. 574.
d COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 76, doc. 14.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 241, doc. 5641.

FUNDACIÓ NOGUERA

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Alfonso regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quia illius qui cogitationes pacis et non afflictionis se cogitare testatur vices in terris licet insufficientibus meritis gerimus ad ea que pacis sunt inter cunctos quos cultus catholice religionis includit curis promovenda solicitis et illa per que status perturbari consuevit pacificus submovenda prompte labores assumere ac efficaces opem et operam assistente nobis pacis auctoris gracia intendimus adhibere. Attendentes siquidem quod ex guerris et dissentionibus quas hostis antiquus humani generis pacis et caritatis emulus cunctorumque malorum incentor inter te fili dilectissime et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem et utriusque vestrum subditos ex parte una et dilectos filios commune ac cives Ianuenses ex altera olim studuit periculose nimium suscitare lapsus rerum strages corporum et animarum amarius plangenda pericula, etiam quo ad innumeras personas innoxias hactenus sunt secuta et ampliora imposterum subsequi, nisi provideatur salubriter formidantur. Desideriis optamus intensis, ut vepres guerrarum et dissentionum huiusmodi, ex quibus graviter irritatur altissimus pacis deo placibili concordia succidantur. Cum autem carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris nobis scripserit hiis diebus, quod ipse qui ducatum et regimen passagii transmarini assumpsit, ex huiusmodi guerris et dissentionibus si durarent quod absit impedimenta non modica et ex pacis et concordia commoda varia eiusdem passagii negocio posse provenire considerans diligenter et ad tuum commodum et honorem aspirans certas gentes suas apud Avinionem infra instans festum Nativitatis dominice destinare disposuit pro pace huiusmodi procuranda tam tibi fili carissime, quam prefatis regi Maioricarum et Ianuensibus litteris suis super mittendis ad eosdem locum et terminum idoneis procuratoribus et nunciis nichilominus destinatis, excellentiam rogamus regiam et in domino attentius exhortamur, quatinus huiusmodi pacis et concordie commodis et dissentionum incommodis necnon et aliis que premisimus tueque circunspectioni circa hec possunt occurrere in examine regie considerationis adductis, certos procuratores et nuntios super premissis sufficienter instructos et sufficienti mandato suffultos infra dictum terminum ad nostram presentiam destinare procures. Nos equidem super pacis huiusmodi reformanda concordia cum eisdem prefati regis Francie gentibus ac tuis et eorundem regis Maioricarum et Ianuensibus quibus etiam inde scribimus procuratoribus et nunciis interponere sedule intendimus laboris et solicitudinis nostre partes.

Dat. Avinione, XVII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

948

1336 juny 20, Avinyó

Benet XII mana que els estatuts establerts i les reformes de l'orde de sant Benet siguin publicats per sempre.

A Montserrat, Arxiu de l'Abadia, Pergamins papals, núm. 20.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b COCQUELINES, *Magnum Bullarium Romanum*, III 2, p. 214-240, doc. 6.
c VIDAL, *Benoît XII, lettres communes*, I, p. 367, doc. 3976.

BENEDICTUS (XII) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Summi magistri dignatio nos quamquam immeritos miseranter in apostolici magisterii cathedra collocavit, ut nedum presimus, sed prosimus pariter operibus et exemplis super cunctum gregem dominicum nostre fidei fiducialiter creditum vigilemus et labores expendamus assiduos, ut nobis et aliis salutis commoda procuremus. Proinde namque inter ceteros ordines religionesque sacras in triformis conflictu militantis ecclesie strenue dimicantes ad sacram religionem monacorum nigrorum nostre dirigentes attente considerationis intuitum optamus in domino Iesu Christo, ut sicut ipsa religio a mari usque ad mare per incrementa temporum suos palmites dilatavit, sic per universa orbis climata virtutum radiis luminosis iugiter illustretur, et quamquam circa illius salubrem et felicem statum eiusque attinentias tam per regulares institutiones almorum patrum qui de hoc seculo feliciter transiverunt quam etiam per iuridicas sanctiones provisum existere dignoscatur. Nos tamen ob zelum amplioris salutis et maioris prosperitatis eiusdem intra nostra precordia et cum nonnullis ex fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus et dilectis filiis Petro Cluniacensi, Iohanne Casedei, Gilberto Massiliensi, Raymundo Salmodiensi, Guilelmo Montisoluti et Gregorio Ysiodorensi monasteriorum abbatibus eiusdem religionis decretorum doctoribus diligenti tractatu prehabito et super eo digesta deliberatione secuta, ut eadem religio in divini cultus obsequio floreat, honestatis candore fulgeat, disciplina regulari premineat, sapientie ac scientie divine pariter et humane, sine quibus mortalium vita non regitur, fulgoribus rutilet nec decrescat in profectu substantie temporalis, sed potius augeatur vigeatque inter cenobitas suos caritatis soliditas et persistat sanctimonie fortitudo in virtute dominica confidentes, ut premissa valeant, cooperante superna omnipotentia efficaciter provenire auctoritate apostolica statuta edimus et ordinationes facimus, que ordinatim subscripta serie describuntur queve ubique terrarum et locorum infra et per ipsam religionem eadem auctoritate volumus perpetuis futurisque temporibus firmiter observari. Per editionem nempe statutorum et ordinationum predictorum non intendimus aliis iuribus institutis, quatinus eisdem

FUNDACIÓ NOGUERA

statutis et ordinationibus expresse non obviant, aliquatenus derogare sed illa potius approbare. Subiunctive igitur statuta et ordinationes huiusmodi explicantes, constitutionem Concilii generalis[27] de communi capitulo abbatum atque priorum abbates proprios non habentium in singulis regnis sive provinciis faciendo de triennio in triennium volumus exacte, ne committatur neglectui observari.

[c. 1] Statuimus et etiam ordinamus quod in ordine seu religione dictorum monacorum nigrorum in singulis provinciis per nos inferius deputatis fiat in loco ad hoc deputando de triennio in triennium salvo iure diocesanorum commune seu provincile capitulum abbatum et priorum abbates proprios non habentium aliorumque priorum ecclesiarum cathedralium ipsius ordinis seu religionis vel aliorum maiorum in ipsis ecclesiis post antistites eorum existentium quocumque nomine nuncupentur, ceterorumque prelatorum abbates proprios non habentium ut prefertur exemptorum ordinis seu religionis eiusdem, ad quod quidem capitulum iusto impedimento cessante predicti abbates priores et prelati alii conveniant universi, et circa id ad reformationem ordinis seu religionis huiusmodi et observantiam regularem adimplere studeant, que in constitutione huiusmodi explicantur. Qui vero ad ipsum capitulum personaliter venire nequiverint, ad allegandam iusti impedimenti causam commonacum suum eiusdem ecclesie vel monasterii, si commode fieri valeat, alioquin alium idoneum cum sufficienti mandato causam excusationis sufficientem et claram et etiam potestatem in animas eorum iurandi veram esse causam huiusmodi exprimentem ad dictum capitulum transmittere teneantur, reservato presidentium huiusmodi provincialibus capitulis arbitrio. Quorum potestas de uno provinciali ad aliud provinciale capitulum habeat perdurare, ut pro eorum arbitrio decernere valeant, an causa excusationis vel cause excusationum, cum diverse allegate fuerint, sufficientes vel in sufficientes existant, et quod cuiquam non sit licitum ab eorum decreto super hoc frivole appellare vel quovis modo alio reclamare. Non venientes autem legitimo impedimento cessante vel excusatorem et procuratorem commonacum suum vel alium, idoneum cum sufficienti mandato ad illud ut premittitur non mittentes, teneantur duplum eius quod expensuri fuissent ad predictum capitulum veniendo et in eo morando ac redeundo ab ipso iuxta eorundem presidentium arbitrium seu maioris partis eorum estimando in termino per ipsos presidentes statuendo exolvere in utilitatem ipsius provincialis capituli convertendum, quodque possint

27. IV Conc. del Laterà, càn. 12, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 240-241; X 3.35.7, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 600-601.

FUNDACIÓ NOGUERA

ipsi presidentes illos ad duplum huiusmodi exolvendum per censuram ecclesiasticam auctoritate apostolica coercere, eorumque super hoc faciendum processum et ferendas sententias publicare seu publicari facere in locis ordinis seu religionis eiusdem, et quod circa ipsum duplum in totum vel in partem nulli valeat gratia fieri vel remissio indulgeri, et nichilominus contra non venientes prefatos, maxime si se malitiose subtrahant vel ut correctionem evitent, sive ut nesciatur status ecclesie vel monasterii eorundem alias prout dictis presidentibus seu maiori parti eorum visum fuerit procedatur ipsorum absentia non obstante. Circa presidentes namque ac visitatores in eisdem capitulis deputandos et alia omnia in eis exequenda illa serventur, que in dicta generalis concilii et felicis recordationis Honorii pape III predecessoris nostri constitutionibus expressus continetur,[28] servatis tamen statutis ordinationibus et adiectionibus nostris suprascripis et infrascriptis, quemadmodum modificatur et perstringitur in eisdem. Et quia prelatorum et monacorum ipsius ordinis seu religionis regularis est institutio et observantia salutaris, decernimus priores ecclesiarum cathedralium ordinis seu religionis eiusdem aut maiores in ipsis ecclesiis post earum antistites existentes ac post ipsos antistites regularem curam monacorum habentes, quocumque nomine censeantur ad conveniendum in ipsis capitulis provincialibus sub modis et penis superius designatis necnon eosdem priores seu maiores et capitula cunctosque monacos eorundem ecclesiarum sive monasteriorum, etiamsi in ipsis ecclesiis vel monasteriis seu extra ea ubicumque prioratus officia vel administrationes habuerint seu moram traxerint tam exemptos quam non exemptos, etiamsi ipsis non exempti aliquibus exemptis antistibus sint subiecti, fore sub dictorum capitulorum provincialium districtionibus correctionibus et ordinationibus inclusos et etiam comprensos et ad illas sub penis quas dicti presidentes eis duxerint imponendas per ipsos presidentes ac etiam quoscumque dictarum ecclesiarum monacos prefatos beneficia monacalia ad easdem ecclesias pertinentia obtinentes, ad contributionem in expensis moderatis rationabilibus, quas dicti priores seu maiores fecerint ad ipsa capitula veniendo et in eis stando ac de illis redeundo per priores seu maiores predictos auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia remedia opportuna sublato appellationis obstaculo compellendo. Quodque quivis ordinarii locorum exempti et non exempti nullum predictis vel singulis impedimentum apponant vel apponi permittant, sed legitimis temporibus requisiti ea omnia et singula faciant executioni mandari et inviolabiliter observari, precavere siqui-

28. X 3.35.8, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici,* II, col. 601-602.

FUNDACIÓ NOGUERA

dem intendentes ne impedimentum accidens conventioni alicuius provincialis capitulo obesse valeat, intelligimus et volumus quod si contigerit ecclesias cathedrales monacales prioribus vel aliis post ipsarum antistites, existentibus in eis maioribus ut prefertur, vel monasteria seu loca alia ordinis aut religionis eiusdem suis vacare seu carere pastoribus, qui adstricti essent ad conveniendum in provinciali capitulo antedicto, tempore videlicet quo imminebit ipsum provinciale capitulum celebrandum, teneantur capitula ecclesiarum et conventus monasteriorum aliorumque locorum conventualium predictorum personam sufficientem de gremio ecclesiarum monasteriorum et locorum eorundem, si commode fieri possit, vel aliunde dum tamen idoneum transmittere ad dictum capitulum pro faciendis et adimplendis omnibus, que facere possint abbates priores necnon priores seu maiores in ipsis ecclesiis cathedralibus seu aliis eiusdem locis conventualibus presidentes prefati, si venissent ad idem capitulum et in eo personaliter interessent. Quod autem premittitur de provinciali capitulo de triennio in triennium celebrandi, ad cuiuslibet hesitationis scrupulum amputandum ad sanum referri volumus intellectum, scilicet ut cum uno anno provinciale capitulum fuerit celebrandum, alio proximo futuro anno ab illo valeat abstineri et fiat omnino anno tertio subsequenti. Sane quia supervacuum foret edere sanctiones, si premitteretur earum executio, et non essent qui tuerentur easdem, ordinamus et volumus ut dictum commune seu provinciale capitulum apud unum de monasteriis eiusdem ordinis seu religionis ad hoc aptum, si in eadem existat provincia, debeat celebrari. Alioquin celebretur in loco alio congruo et securo, de quo ac de die primi capituli huiusmodi celebrandi et aliis opportune facientibus circa idem providebunt illi, qui superhoc per sedem apostolicam fuerint deputati prima vice, et super eodem capitulo et per illud ex tunx in posterum et perpetuo rationabilis ordinatio habeatur, statumus quod in dicto capitulo primitus celebrando et semper in antea successive presidentes singulis capitulis celebrandis seu maior pars eorum provideant et ordinare procurent, per quem in sequenti capitulo sermo fieri missaque celebrari debeat, et eligant locum pro celebrando alia vice proxima prefato capitulo et qui presidentes esse debeant in eodem, et sic ex tunc fiat in provincialibus capitulis successivis. Provideant etiam qui abbates que et quot ac quotiens ecclesias cathedrales monacales monasteria et alia loco eiusdem ordinis seu religionis debeant usque ad ipsum sequens provinciale capitulum visitare. Ut igitur de provinciis in quibus huiusmodi capitula fuerint celebranda distincta limitatio habeatur, nec de ipsis in posterum hesitetur, quamlibet provinciam prout sequitur deputamus, videlicet quod provincie Remensis et Senonensis pro una, Rothomagensis et Turonensis cum

FUNDACIÓ NOGUERA

monasterio sancti Florentii veteris et membris suis, quod in nullo episcopatu esse dicitur, pro alia, Bituriensis et Burdegalensis cum toto episcopatu Aniciensi pro alia, Narbonensis Tholosanus et Auxitanensis pro alia, Cantuariensis et Eboracensis pro alia, Compostellana et Hispalensis pro alia, Toletana pro alia, Bracharensis pro alia, Terraconensis et Cesaraugustana cum toto episcopatu Maioricensi pro alia, Lugdunensis Bisuntinensis Tharantasiensis pro alia, Viennensis Arelatensis Aquensis et Ebredunensis pro alia, urbs Romana cum episcopatibus nobis immediate subiectis necnon Sublacensi et Farfensi monasteriis, que in nullo episcopatu consistunt, in nostra provincia constitutis pro alia, Reginensis Cusentinensis Sancte Severine et Rossanensis cum Miletensi et Bisignanensi episcopatibus pro alia, Consanensis Acheruntinensis Taratinensis Brundinensis et Hydruntinensis pro alia, Barensis Tranensis Sipontinensis et Beneventanus cum Troiensi Melphiensi Rapallanensi episcopatibus pro alia, Neapolitanensis Capuanensis Salernitanensis Amalphianensis et Surrentinensis cum Cassinensis Ravellensi et Aversanensi episcopatibus et monasterio Sancti Vincentii de Vulturno, quo in nullo episcopatu existit, pro alia, Panormitanus Messanensis et Montisregalis cum episcopato Melevitano pro alia, Armacensis Dublinensis Cassellensis et Caumensis pro alia, regna Scotie pro alia, Boemie pro alia, Dacie Norvegie pro alia, Svessie Sardinie et Corsice pro alia, Cypri pro alia, provincie Thebanensis Atheniensis Patracensis Corinthiensis et Neopacensis cum toto patriarchatu Constantinopolitano habeantur, pro alia, patriarchatus Aquileiensis et Grandensis ac provincie Iadrensis Spalatenis et Ragutinensis pro alia, provincie Mediolanensis Ianuensis et Pisana pro alia, Ravenna cum Ferrariensi et Placentinensi episcopatibus pro alia, Maguntinensis cum episcopatu Bambergensi sive regno Boemie pro alia, Coloniensis et Treverensis pro alia, Bremensis et Magdeburgensis cum episcopatu Caminensi pro alia, Salzburgensis pro alia, Regensis pro alia. Ceterum si quis episcopatus aut si qua monasteria vel loca dicti ordinis vel religionis fuerint, que in aliqua dictarum provinciarum minime includantur, quo ad predicta capitula de illa provincia esse volumus, cui episcopatus monasteria et loca huiusmodi viciniora existent.

[c. 2] Porro visitatores qui secundum predictam constitutionem ipsius generalis Concilii fuerint in huiusmodi provincialibus capitulis deputati, sint idonei soliciti et discreti circa visitationis eorum officium exequendum, et cuncta observent que in prefata eiusdem concilii et alia dicti Honorii predecessorum nostrorum constitutionibus statuta existere dignoscitur. Quod si visitatores ipsi illa exequi omiserint negligenter, eas penas incurrere volumus ipso facto, quas incurrunt hi qui non veniunt ad capitulum provinciale prepeditionem canonicam

FUNDACIÓ NOGUERA

non habentes. Et quia cupimus ut huiusmodi prefatorum visitatorum officium cum omni sinceritate procedat, interdicimus quod nullus visitatoris sibi deputati eodem anno esse valeat visitator. Predicti autem visitatores vel familiares eorum in ecclesia cathedrali monacali vel monasterio seu loco alio ipsius ordinis seu religionis, ad que visitationis causa duxerint declinandum, ultra duos dies nequaquam remaneant, nisi evidens necessitas vel magna utilitas ecclesie vel monasterii seu loci huiusmodi per eos visitatores ampliorem inibi moram visitatorum vel familiarium exigerent eorundem, sed tunc id efficiant de ecclesie vel monasterii seu loci huiusmodi prefatorum consilio seniorum, nec visitatores seu familiares ipsi eisdem ecclesiis monasteriis et locis visitatis onerosi et graves existant, non sumptuosas epulas, quod illis honeste et competenter fuerit ministratum. Dicti quoque visitatores et familiares ipsorum nullam pecuniam huiusmodi occasione seu quolibet alio modo recipiunt, nec ipsi vel quisquam suorum aliquod munus quodcumque sit vel qualitercumque offeratur, presumpant recipere, ut non que sua sunt videantur querere sed que Christi. Unde statuimus et ordinamus ut universi et singuli visitatores huiusmodi vel familiares ipsorum, que preter expensas eis dumtaxat in victualibus exhibendas exigere vel recipere pecuniam etiam a volente, quod si ipsi vel quisquam suorum familiarium similiter munera recipere quoquomodo presumpserint, duplum eius quod receperunt. Ecclesie vel monasterio seu alteri loco ipsius ordinis seu religionis eiusdem, a qua vel a quo id receptum fuerit, infra mensem reddere teneantur. Alioquin ex tunc visitatores huiusmodi duplum ipsum eis ultra huiusmodi tempus restituere differentes ab officio huiusmodi et beneficio noverint se suspensos quousque huiusmodi gravatis ecclesiis vel monasteriis aut locis de huiusmodi duplo plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione libertate vel gratia valiteris. Et nichilominus si expedierit ipsi visitatores sic suspensi per presidentes dictis capitulis et eorum quemlibet ad restitutionem prefati dupli auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia remoto appellationis obice compellantur. Et quia procedit de virtute prudentie, si via scandalis precludatur, inhibemus visitatoribus memoratis ne illos seu eorum nomina, qui eis aliqua secreta in visitationibus revelaverint presumant aliis revelare, nisi tunc demum cum propter revelata huiusmodi ad alicuius punitionem vel penam fuerit procedendum. Aliter autem huiusmodi revelantes puniantur plus vel minus, prout facti qualitas exiget, secundum arbitrium presidentium eorundem.

[c. 3] Rursus quia ecclesiis cathedralibus et monasteriis eiusdem ordinis seu religionis ad salutem et prosperitatem noscitur provenire,

FUNDACIÓ NOGUERA

cum in eorum singulis annuatim generale capitulum celebratur, in quo alii abbates priores prelati et administratores eis subiecti ordinis seu religionis ipsius conveniant die prestituto in illis, in quibus statum existit, dieque statuendo in illis, in quibus nondum ad hoc dies huiusmodi constitutus ut membra suo capiti consonent et caput respiciat sua membra. Statuimus et etiam ordinamus ut in singulis ecclesiis cathedralibus et monasteriis antedictis die statuto vel statuendo singulis annis generale capitulum celebretur, in quo cum prelatis eorum alii abbates priores prelati et administratores immediate eisdem subiecti studeant convenire ad tractandum de reformatione huiusmodi ordinis seu religionis et observantia regulari, necnon corrigant et reforment ibidem tam in spiritualibus quam in temporalibus que corrigenda fuerint ac etiam reformanda, et in quo tam abbates priores seu administratores principalium monasteriorum et administrantes in ipsis ecclesiis cathedralibus quam predicti alii subiecti de administrationibus cuiuscumque ipsorum reddant in scrptis quamvis non requisiti rationem fidelem, summas videlicet rerum principalium et grossarum quo ad receptas et expensas annuas veraciter explicando, necnon quanta et qualia supersint et etiam debeantur, et ex qua causa et a quibus personis aut desint etiam veraciter exprimendo. Qui vero legitime prepediti ad capitulum huiusmodi venire nequiverint, procuratores idoneos sufficienter instructos cum sufficienti mandato excusationum suarum causas rationabiles etiam exprimente cum potestate iurandi in eorum animas causas huiusmodi fore veras et reddendi rationem predictam et alia faciendi, que ipsi facerent si presentes existerent ad illud transmittere teneantur. Quod si non venerint non impediti legitime vel non transmiserint ad idem capitulum ut prefertur penis subiaceant superius contra non venientes ad capitula provincialia constitutis, quorum compulsio et ipsarum penarum executio ad abbatem illius monasterii principalis, in quo ipsum capitulum celebratur, vel ad illum qui maior est post antistitem in illa cathedrali ecclesia, in qua celebrari continget capitulum prelibatum, auctoritate apostolica pertineat prout supra de presidentibus provincialibus capitulis est statutum. Et quia memoriam perpetuat et cautelam adiicit conservatio scripturarum, volumus et ordinamus quod due scripture consimiles fiant rationes huiusmodi continentes, quarum una penes illum qui ecclesie post antistitem seu monasterio ubi dictum capitulum celebrari contigerit presidebat, et alia in area pro sigillo capituli ecclesie vel conventus monasterii prefatorum deputata vel deputanda, seu alio loco competenti, de quo huiusmodi presidenti et capitulo seu conventui vel maiori parti eius videbitur, ad cautelam et providentiam necessariam et utilem conservantur. Volumus insuper ut cellerarii camerarii hospitalarii eleemosynarii infirmarii et

FUNDACIÓ NOGUERA

alii officiales quicumque quocumque nomine censeantur victum et vestitum conventui vel aliis in dictis ecclesiis vel monasteriis sive locis conventualibus ministrantes rationem plenam et explicatam de receptis expensis ratione administrationum vel officiorum huiusmodi ter annuatim computata ratione quam reddiderint in generali capitulo ut prefertur in fine scilicet cuiuslibet quarti mensis, etiam irrequisitis prelatis qui ecclesiis monasteriis et aliis locis conventualibus presunt et preerunt antedictis et capitulis seu conventibus eorundem aut illis discretis, qui ad rationem ipsam audiendam et fideliter eis referendam deputati fuerint, reddere teneantur, proviso attentius quod illis ex huiusmodi administratoribus prioribus seu officiatis, qui gravia et enormia crimina commiserint vel committent vel alias demeriti fuerint, sive per annum excommunicationis suspensionis aut interdicti sententias rationabiliter in eos latas pertinaciter tolerabunt et de his convicti fuerint, vel alias legitime constiterit ab eorum superioribus cum consilio seniorum ecclesiarum vel monasteriorum seu locorum predictorum, nedum a suis administrationibus prioratibus vel officiis seu beneficiis amoveri valeant, sed ob crimina vel demerita huiusmodi penis debitis percellantur, ut sit eis in penalis confusionis opprobrium et perniciosum non transeat alias in exemplum. Ne vero per cuiuspiam calliditatis ingenium evenire contingat, quin capitula predicta celebrentur locis et temporibus debitis, quemadmodum superius est distinctum, quia forte pretenderetur occasio, quod ecclesie monasteria et loca predicta gravata forent et sumptus existerent evitandi, nos providere volentes ne capitulorum ipsorum generalium tante salutis et prosperitatis fructibus obventuris malignitatis flatibus resistatur, taliter ordinamus quod illi qui venire tenentur ad provinciale capitulum de triennio in triennium et ad cuiusvis ecclesie vel monasterii annuatim capitula prelibata, vivant cum aliis ipsius loci monacis in communi et familiaribus suis clericis et laicis, et etiam evectionibus extra ecclesias vel monasteria et loca ipse de suis propriis redditibus providere in necessariis teneantur, quavis constitutione seu consuetudine contrariis non obstantibus. Licet autem circa rationes de administrationibus et officiis ut premittitur reddendas duxerimus providendum, quia tamen veritatis claritas latebras non requirit, sed metas potius patentis claritatis exposcit, cautius in hac parte super his ecclesiarum monasteriorum et locorum prefatorum occurrentes dispendiis et profectibus providentes, volumus ut visitatoribus capituli provincialis, qui pro tempore fuerint, cum ed ecclesias monasteria prioratus et loca huiusmodi venerint eorum officium exequendo, nequaquam omittant, quin de statu spirituali et temporali ecclesiarum monasteriorum et prioratuum et locorum predictorum plenarie se informent, ut sic reformando vel referendo, prout secun-

FUNDACIÓ NOGUERA

dum iura et ordinationes capitulorum huiusmodi salubrius et utilius fuerit, ecclesiis monasteriis prioratibus et locis ipsis providere valeant visitatis, proviso quod predicta provincialia et alia ecclesiarum et monasteriorum predictorum capitula non concurrant ad invicem, ne valeat unum per aliud impediri. Ceterum statuimus ut omnes et singuli ad eadem capitula veninetes non ducant vel duci faciant seu permittant evectiones seu familiares in numero superfluo seu quomodolibet excessivo, sed numero evectionum et familiarium statui eorum cuiuslibet congruo eos volumus et precipimus esse contentos. Ipsi autem familiares et alii, quos ducent vel duci facient seu tenebunt, sint humiles et honesti, de quibus aliquatenus presumi nequeat, quod alicui abbati priori administratori officiato monaco vel cuicumque alteri, cum eis seu aliis ad ipsa capitula venientibus aut in eis morantibus vel de illis redeuntibus aut ecclesiis monasteriis prioratibus vel aliis eorum locis inferant per se aut alios seculares vel regulares seu quoslibet alios in personis vel rebus iniuriam vel offensam, vel quod in aliquo de dictis capitulis aut in aliqua ecclesia vel monasterio seu loco, ubi celebrabuntur, scandalum suscitare vel turbationem facere seu discordiam vel contentionem movere presumant. Quod si quis ad inferendum iniuriam vel offensam huiusmodi, ut turbetur vel impediatur quodcumque de dictis capitulis scienter et ex proposito tales duxerit vel alias tenuerit seu ad hoc disposuerit aut convocaverit vel convocari fecerit, et turbatio vel impedimentum huiusmodi si aliqua ex eis fuerint subsecuta, et qui consentiens extiterit in predictis vel aliquo eorundem aut dans scienter et ex proposito auxilium consilium vel favorem, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. A qua dumtaxat si sit abbas vel monacus ipsius ordinis per presidentes capitulo provinciali seu eorum aliquem, quantum ad ea que ipsum capitulum provinciale concernent, quantum vero ad illa de predictis, que annuale capitulum vel ecclesiam seu monasterium aut alium locum, ubi celebrabitur annuale capitulum antedictum seu personas aut bona eorum vel alia concernerent per abbatem vel alium huiusmodi annuali capitulo presidentem auctoritate apostolica. Seculares vero et alii religiosi a sententiis huiusmodi per locorum ordinarius, tunc demum cum satisfactionem impenderint congruentem et non ante possint absolvi, nisi commissa huiusmodi talia fuerint, propter quod sedes apostolica esset merito consulenda. Et si mors vel membri mutilatio seu debilitatio alicuius perpetua occasione predictorum secute fuerint, talis nedum ad administrationem vel officium seu beneficia aliqua in ordine seu religione huiusmodi vel ab illis obtinenda existat inhabilis, sed et obtentis in eis vel ab ipsis sit eo ipso privatus, que alias et non sibi per illum, ad quem collatio aut quavis alia dispositio pertinuerit, libere conferantur vel alias de illis

FUNDACIÓ NOGUERA

canonice ordinetur. Eandem quoque sententiam excommunicationis ipso facto incurrat quilibet, cuiuscumque sit preeminentie dignitatis status vel conditionis, qui per se vel per alium malitiose impediverit vel impediri fecerit scienter et ex proposito, quominus predicta capitula libere valeant celebrari, quique presumpserit euntes ad illa vel in eis morantes seu de ipsis redeuntes capere capi facere seu captos detinere aut impedire vel eis aut eorum familiaribus in personis vel rebus dampna iniurias vel offensas occasione huiusmodi, ut videlicet turbetur vel impediatur celebratio cuiuscumque ipsorum capitulorum inferre, necnon quicumque ipsius ordinis seu religionis qui pretextu visitationis malitiose et ex proposito predicta vel eorum aliquid per se vel alium commiserit in personas abbatum priorum et aliorum maiorum predictorum proprios subiectos visitantium vel in persona visitatorum in provincialibus capitulis, vel per abbates alios seu prelatos principalium vel propriorum monasteriorum deputandorum vel familiarium eorundem aut in bonis eorum. Et quicumque predicti ordinis qui in visitationibus huiusmodi vel correctionibus seu executionibus processus eorum malitiose impediverit vel eis procaciter vel proterve opposuerit aut predicta facientibus consenserit per se vel alium preces minas litteras auxilia potentium secularium vel laicorum seu quecumque alia impedimenta malitiose procurando et impediens eundem ordinem seu religionem ipsam in contributionibus legitime faciendis. Presidentes autem provincialibus et annualibus capitulis prelibatis et eorum quilibet, dum simpliciter et de plano eis constiterit, ad quem ex predictis prefatam excommunicationis sententiam incurrisse, ipsum per omnia eiusdem ordinis seu religionis loca vicina, de quibus eis videbitur, tamdiu solenniter publicent et faciant ab aliis auctoritate apostolica publicari, eis super hoc non parentes per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellendo, donec congruam satisfactionem impenderint, donec congruam satisfactionem impenderint, et per ipsos presidentes dumtaxat vel per duos eorum ad minus auctoritate apostolica fuerit absolutus. Ad hec tam diversorum locorum diocesanis quam aliis personis, que pro tempore prefuerint ipsis capitulis celebrandis, in virtute obedientie districte precipimus, ut per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compescant advocatos patronos magnates rectores vicedominos consules milites seu quoslibet alios, ne cathedrales ecclesias monasteria vel alia loca monastica in personis vel rebus eorum presumant ostendere quoquomodo, et si secus forsan aliud egerint, eos usque ad satisfactionem debitam per censuram eandem appellatione semota cogere non postponant, ut prelati et alii servi dei dicti ordinis seu religionis huiusmodi liberis et devotis mentibus altissimo pensum debitum quotidianum solvere satagant servitutis.

FUNDACIÓ NOGUERA

[c. 4] Profecto cum in sepe dicta constitutione Concilii generalis[29] inter cetera sit expressum quod hi qui convenerint in triennali capitulo vitam ducant communem, et simul omnes communes expensas proportionaliter faciant, nos attendentes quod preter expensas huiusmodi expense alie nedum pro provinciali sed etiam annuali capitulis predictis necessario requiruntur, statuimus et ordinamus quod in eisdem capitulis cuiusquam contradictione vel absentia non obstante, pro libertate necessitatibus utilitatibus expensis communibus et aliis consuetis, cum onus divisum in partes levius supportetur, auctoritate apostolica fiant, imponantur seu inducantur collecte subventiones seu contributiones secundum arbitrium presidentium seu definitorum quo ad huiusmodi capitulum provinciale vel abbatis seu alterius presidentis, ipsi annuali capitulo et definitorum quo ad annuale capitulum antedictum. Ut autem in conservatione collectarum subventionum seu contributionum huiusmodi cautela securitatis fideliter habeatur, volumus et ordinamus ut collecte que fient in capitulo provinciali per tres probos et fideles abbates seu alios prelatos ipsius ordinis seu religionis illius provincie, in qua idem capitulum fuerit celebratum in aliquo securo monasterio seu alio loco congruenti, que vero fient in singularibus ecclesiis monasteriis vel aliis locis eiusdem ordinis seu religionis per tres probos et fideles monachos cuiuslibet ecclesie vel monasterii seu loci, in qua vel in quo ut prefertur fient, quorum unum ponet abbas vel alius prelatus ipsius loci, alium vero prior vel priores administratores seu officiarii, et tertium capitulum ecclesie seu conventus monasterii seu loci huiusmodi in una arca serata tribus diversificatis seris et clavibus fideliter collecte diligenter custodiantur et ad usum dumtaxat eorum, pro quibus facte fuerint et ad nullos usus alios convertantur. Pro quibus fideliter conservandis et complendis prestent dicti tres abbates in presidentium et prefati monaci in abbatis et capituli necnon conventus ecclesie vel monasterii seu prelati alterius loci principalis, ubi dictum annuale capitulum extiterit celebratum, presentia corporaliter iuramentum. Nec fieri valeat alia contributio, quamdiu aliquid quod sufficiat de prima contributione contingerit superesse. Habeantque dicti presidentes et eorum quilibet quo ad huiusmodi provinciali capitula, necnon abbates priores et maiores seu alii iam dicti potestatem auctoritate apostolica supradicta exigendi colligendi et levandi collectas subventiones et contributiones huiusmodi ab omnibus et singulis abbatibus subiectis, si quos habeant, et prioribus prelatis administratoribus officiatis et beneficiatis quibuscumque,

29. IV Conc. del Laterà, càn. 12, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 240-241; X 3.35.7, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 600-601.

FUNDACIÓ NOGUERA

qui erunt ipsi annuali capitulo seu ecclesie vel monasterio aut alii loco principali subiecti, et compellendi omnes et singulos antedictos eadem auctoritate per censuram ecclesiasticam appellatione remota et alia iuris et ipsius ordinis seu religionis remedia ad solvendum integre collectas subventiones et contributiones prefatas, prout in huiusmodi provinciali et annuali capitulis fuerit ordinatum, super hoc terminis assignatis ac etiam publicandi et exequendi libere predicta et processus ac sententias in ecclesiis cathedralibus et monasteriis et aliis locis eiusdem ordinis seu religionis quando et quoties eis visum fuerit expedire, necnon absolvendi a dictis sententiis, congrua tamen satisfactione premissa, et relaxandi ac tollendi omnes processus sententias suspensionis et interdicti, et cum eis super irregularitate, si qua sint ligati profanando divina, vel alias se illis immiscendo, non tamen in contemptum clavium incurrerint dispensandi.

[c. 5] Rursus quia per quotidianam et ordinatam factionem capituli regularis fortificatur et durat nervus monastice discipline, statuimus et ordinamus ut in cunctis et singulis ecclesiis cathedralibus monasteriis et aliis conventualibus ceterisque locis huiusmodi ordinis seu religionis, in quibus erunt sex monaci vel supra, et atiam alibi ubi fieri consuevit capitulum regulare huiusmodi, capitulum fiat et teneatur die qualibet ordinatim. In quo priusquam ac quevis alia procedatur, plene secundum regulam monasticam et ecclesiarum monasteriorum conventualium et aliorum locorum prefatorum consuetudines approbatas, monacorum seu fratrum excessus transgressiones et negligentie corrigantur, ac de disciplina et reformatione regulari agatur in illo, ubi nullus monacus seu frater clamose aut irreverenter alterum defendere vel sustinere presumat. Et quotiens regula pronunciata fuerit a lectore, per presidentem ipsi capitulo vel alium cui hoc ipse iniunxerit, eiusdem regule sententia vulgariter exponatur.

[c. 6] Quia vero per exercitium lectionis acquiritur scientie margarita et per studium sacre pagine ad cognitionem excellencie divine familiarius pervenitur, ac per agnitionem humani iuris animus rationabilior efficitur et ad iustitiam certius informatur, nos cupientes ut viri eiusdem ordinis seu religionis in agro dominico laborantes in primitivis ac deinde in divini et humani canonici videlicet iurium scientiis instruantur, constitutioni Clementis pape V et predecessoris nostri[30] de monacis in scientiis primitivis instruendis infra monasteria, quibus degunt edite inherentes, illam volumus et precipimus firmiter observari. Et nichilominus adiiciendo statuimus et ordinamus

30. Conc. de Viena, càn. 14, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* p. 370-373; Clementines 3.10.1 § 8, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 1168.

FUNDACIÓ NOGUERA

ut quibuslibet ecclesiis cathedralibus monasteriis prioratibus et aliis conventualibus et solennibus locis, quibus ad hoc suppetunt facultates, ordinis seu religionis huiusmodi deinceps habeatur magister, qui monacos eorum doceat in huiusmodi scientiis primitivis, videlicet grammatica logica et philosophia, proviso attentius ut seculares instruendi cum ipsis monacis docendis ub eisdem ecclesiis monasteriis prioratibus et locis nullatenus admittantur. Cui quidem magistro, si monacus non fuerit ipsius ordinis seu religionis, de pane et vino et pitantia providere quotidie sicut uni ex monacis ecclesiarum monasteriorum prioratuum ac locorum huiusmodi teneantur illi, qui talia tenentur in eis capitulis ecclesiarum monasteriorum prioratuum et locorum ipsorum conventibus seu monacis ministrare, necnon pro vestimentis calceamentis et salario congrua pensio annua assignetur, que tamen viginti librarum Turonensium parvorum summam nequaquam excedat, que de infrascripta communi contributione solvetur, donec pro ea et personibus monacorum studentium ad generalia seu solennia studia mittendorum certi et perpetui redditus assignati fuerint, prout infra expressus et plenius continetur. Si vero in ecclesiis monasteriis prioratibus vel locis predictis sit monacus idoneus ad predicta, monacus ipse per antistites in cathedralibus ecclesiis, in monasteriis vero et aliis locis prefatis per superiores suos instruere fideliter ipsos monacos in predictis scientiis deputetur et ad hoc si necesse fuerit compellatur. Cui scilicet monaco instructori decem libre Turonenses ultra victum et vestitutum pro libris emendis vel aliis suis necessitatibus iuxta dispositionem ipsius antistitis vel dictorum superiorum deputentur. Antistites vero et alii superiores predicti predictos monacos, qui dociles fuerint, cum consilio proborum et seniorum ecclesiarum monasteriorum prioratuum et locorum huiusmodi eligere teneantur et ordinare de certo numero eorundem ac de locis et temporibus, quibus lectionibus quibusve divinis officiis seu obsequiis aliis opportunis intendant. Possintque dicti antistites et superiores dictos magistros instructores et instruendos cum consilio proborum et seniorum predictorum, prout eis expediens visum fuerit, removere et loco eorum alios subrogare. Precipimus insuper in virtute obedientie cunctis visitatoribus in provincialibus capitulis deputandis, quod omnia et singula de magistris instructoribus et personis instruendis et aliis circa ea superius ordinata faciant auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia appellatione remota firmiter observare. Et nichilominus ea qua super predictis fecerint et invenerint, presidentibus capitulo provinciali referant, qui etiam auctoritate apostolica prefata, si videatur eisdem vel ipsorum maiori parti, contra negligentes vel rebelles in premissis fortius procedere non postponant.

FUNDACIÓ NOGUERA

[c. 7] Ceterum quia expedire dignoscitur, ut postquam prefati monaci in predictis scientiis primitivis eruditi fuerint, ad sacre theologie vel canonum transeant facultates, statuimus et ordinamus ut ecclesie monasteria prioratus et alia loca huiusmodi, singula videlicet eorum cum suis membris inferius declarandis, de quolibet numero vicenario monacorum unum aptum pro fructu maioris scientie acquirendo, ad generalia seu solennia studia mittere teneantur, et quemlibet ipsorum mittendorum de infrascripta pensione annua providere. Sic autem huiusmodi numerum vicenarium volumus computari, ut illi dumtaxat monaci numerum ipsum efficiant in hoc casu, qui sunt seu erunt in ecclesiis monasteriis vel locis principalibus et in locis aliis eisdem ecclesiis monasteriis et locis principalibus subiectis, habentibus octo monacos sive plures et hi solum cum monacis ecclesiarum monasteriorum et locorum principalium huiusmodi in computatione ac missione huiusmodi coniungantur. Declaramus insuper quod si forsan ultra dictum numerum vicenarium alqui superessent, qui tamen vicenarium alium non complerent, non propter hoc arcteantur superiores eorum eorumque capitula seu conventus aliquem mittere ad studia prelibata, nisi alias essent ad mittendum plures adstricti virtute consuetudinis statuti vel ordinationis alterius cuiuscumque, quibus consuetudini statuto vel ordinationi per hec non intendimus in aliquo derogare. Eligantur quoque ipsi monaci mittendi prout in scientia theologie vel iuris canonici seu magis in una quam in alia ipsarum aptiores poterunt inveniri. Sic tamen quod si apti reperiantur pro ipsius theologie studio ad minus medietas mittendorum pro ipso theologie studio destinetur vel etiam quanto plures aptiores potuerint inveniri, ac reliqua medietas eorundem mittendorum ad ipsius iuris canonici studium transmittatur. In electione namque dictorum monacorum ad huiusmodi studia mittendorum subsequentem ordinationem modificatam duximus adhibendam, quod videlicet quivis antistes cathedralis ecclesie monacalis octo probos et seniores monacos ipsius ecclesie per eius capitulum seu maiorem partem ipsius eligendos, inter quos non ut prelatus sed ut monacus dumtaxat vocem habeat, iuramento infrascripto adstringat ad nominandum et eligendum secum mittendos monacos antedictos, ipseque antistes huiusmodi monacos nominatos et electos per eum et alios octo predictos seu maiorem partem eorum licentiare ad huiusmodi studia teneatur infra tempus inferius declarandum. Quilibet vero abbas seu prior vel alius locum conventualem et solennem obtinens quatuor monacos eligat de suo monasterio seu loco seniores, quos esse sinceriores in zelo et discretiores in iudicio existimaverit, et corporali iuramento adstringat eosdem, quod reiectis gratia odio vel timore quibuscumque et qualitercumque secundum deum, et prout magis expedire viderint personis

FUNDACIÓ NOGUERA

et locis cum consilio instructoris, si monacus fuerit, cum iuramento simili adstringendi, illos ex monacis instructis in eisdem primitivis scientiis et in observantiis regularibus informatis sive in ecclesiis monasteriis et aliis locis principalibus seu membris resideant ad predicta studia mittendos iuxta mittendorum huiusmodi pretaxatum numerum, nominent seu eligant coram eo, quos dociles esse noverint et vite ac morum honestate decores ad puritatem religionis tenendam et ad acquirendum fructum scientie aptiores. Taliter autem nominati seu electi ab eis vel ubi concordes non essent, a maiori parte ipsorum sive ubi quilibet nominaret et eligeret diversos, illi quos ex ipsis nominatis et electis abbas vel prior seu alius locorum conventualem et solennem obtinens elegerit, ad predicta studia destinentur, ita quod in festo exaltationis sancte Crucis vel circa ipsi taliter nominati et electi in studio Parisiensi existant, qui Parisios fuerint destinati, in aliis vero studiis in festo sancti Luce vel circa infallibiliter sint presentes. Quod si dictus antistes annis singulis quibus prefati monaci ad eadem studia mitti debebunt vel in locum illorum alii subrogari, infra decem dies festum assumptionis beate Marie virginis immediate precedentes, cum dictis octo probis minime nominaverit et elegerit ac licentiaverit ut prefertur ipsis decem diebus elapsis ad priorem, qui post eum preerit monacis ecclesie sue in regularibus disciplinis seu alium his et in illis presidentem quocumque nomine nuncupetur cum consilio et assensu quatuor proborum monacorum eiusdem ecclesie, quos dictus prior vel alius ut predicitur presidens elegerit, et quos similiter ut de abbate ac priore vel alio locum conventualem et solennem obtinente pretangitur, simili iuramento adstringat, potestas huiusmodi nominandi eligendi et licentiandi libere devolvatur. Si vero idem prior vel alius presidens ut prefertur id non fecerit, penas ipso facto incurrat inflictas infra proxime contra abbates vel priores seu alios loca conventualia et solennia obtinentes, qui super hoc extiterint negligentes. Abbas quoque vel prior aut alius huiusmodi locum conventualem et solennem obtinens, qui seniores predictos infra prefatos decem dies non elegerit ut prefatur ipsosque dicto non adstrinxerit iuramento aut nominatos et electos per illos ad studia non licentiaverit memorata, penas incurrat inflictas abbatibus vel prioribus seu aliis loca huiusmodi conventualia et solennia obtinentibus solvere negligentibus id, quod pro huiusmodi mittendis ad ipsa studia fuerit assignandum pro rata ipsos contingente secundum gradum modum et ordinem infra proxime sequentes, a quibus liberari vel absolvi non valeant, nisi per presidentes provincialibus capitulis illius provincie, in qua fuerint abbates priores vel alii loca conventualia et solennia ut predicitur obtinentes super his negligentes seu per aliquem eorundem, nec etiam ab ipsis presidentibus quousque pre-

FUNDACIÓ NOGUERA

missa negligenter omissa impleverint et ad eorundem presidentium arbitrium satisfecerint competenter, quos etiam negligentes ipsi presidentes et eorum quilibet ad omnia et singula predicta et infrascripta complenda per censuram ecclesiasticam et alia iuris et ipsius ordinis seu religionis remedia compellere sub moto appellationis obstaculo auctoritate apostolica teneantur. Et ut hec celerius et expeditius compleantur, ordinamus quod dicti seniores eligendi per eosdem abbates vel priores seu alios maiores in ecclesiis cathedralibus post antistites ac alios loca conventualia et solennia obtinentes, statim cum electi fuerint et huiusmodi iuramentum prestiterint, includantur in aliquo loco secreto, de quo nullatenus premittantur exire, donec infra diem inclusionis huiusmodi in scriptis eorum abbatibus vel aliis superioribus proxime dictis nominaverint et elegerint supradictos ad studia destinandos. Quod si non fecerint elapsa die huiusmodi ad ipsos abbates et supradictos eligendi et licentiandi eosdem potestas libere devolvatur, qui secundum deum et bonam conscientiam infra tres dies immediate sequentes dociles et apriores vitamque honestam et religionem servantes, ut premissum est, licentiare teneantur ad predicta studia transmittendos. Si qui vero abbates priores vel prelati alii abbates proprios non habentes seu administratores vel ceteri quicumque ad hoc obligati, illud quod ipsis monacis mittendis ad ipsa studia fuerit assignatum, pro rata ipsos contingente in termino vel terminis ad id statutis solvere non curaverint, ultra quantitatem quam secundum taxationem contingentem eosdem solvere tenebantur infra mensem tantumdem nomine pene solvere sint adstricti. Quod si non fecerint, sit eis tandiu eo ipso ecclesie interdictus ingressus, donec tam principale ad quod tenebantur quam huiusmodi aliam quantitatem nomine pene ut prefertur appositam duxerint persolvendam. Et si ex tunc per quatuor menses huiusmodi sustinuerint interdictum, sint ipso facto tamdiu a divinis suspensi, donec integre huiusmodi principale ac penam solverint nulla eis remissione in premissis quomodolibet profutura. Quantitas autem huiusmodi nomine pene ut predicitur exolvenda in acquisitionem librorum utilium et alios profectus dictorum studentium, quam etiam quantitas, quam per contempnentem satisfacere in termino assignato studentibus ipsis mitti precipimus, ad ipsius contempnentis expensas iuxta superioris sui arbitrium convertatur. Premissis quoque adiicimus, quod priores et ceteri administratores abbates proprios non habentes seu quivis alii beneficiati, qui huiusmodi summas solvere contempserint et prenominatas penas per alios quatuor menses immediate sequentes sustinuerint animis induratis, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua non possint absolvi nisi debita satisfactione premissa, et tunc per presidentes dumtaxat capituli provincialis illius pro-

FUNDACIÓ NOGUERA

vincie, cuius erunt, vel alterum eorundem. Quam si per annum pertinacibus animis sustinuerint, sint eo ipso cunctis beneficiis, que obtinuerint, privati et de beneficiis huiusmodi per illos, ad quorum collationem seu qauamvis aliam dispositionem pertinuerint, libere in personis aliis disponatur.

[c. 8] Sane quia prosecutiones liberalium studiorum precipue in generalibus seu secularibus studiis diversa requirunt onera expensarum, nos huiusmodi monacis mittendis ad ipsa studia et pro eis et aliis ratione dictorum studiorum pensiones in quantitatibus subsequentibus providemus fore annis singulis ministrandas et infrascriptis terminis transmittendas. Videlicet magistro in theologia in studio generali legenti sexaginte, baccalaureo necnon scholari theologie quadraginta, doctori decretorum, iura canonica in huiusmodi studio legenti quinquaginta, baccalaureo vero seu scholari canoniste triginta quinque libras Turonensium parvorum vel earum valorem in alia moneta tam pro victualibus vestimentis et calceamentis, quam pro libris et quibuscumque aliis necessitatibus eorundem, illis videlicet qui ad studium Parisiense in festo exaltationis sancte Crucis vel circiter, iis vero qui ad alia studia deputati fuerint, in festo beate Luce vel circa singulis annis per illum vel illas, qui ad ipsas pensiones colligendas deputati fuerint, infallibiliter transmittendas et per illos, qui tenebuntur ad solvendum easdem in festo assumptionis beate Marie annis quibuslibet ipsis collectoribus integraliter persolvendas. De quibus quidem pensionibus dictis scholaribus ut premittitur ministrandis quilibet scholaris habeat pro quotidianis expensis viginti libras dumtaxat et pro vestimentis et calceaminis sex libras tantum, de residuo vero emantur ac provideatur ei de ipsis, que ratione infirmitatum vel alia necessaria sibi erunt. Nullus autem cuiuscumque fuerit preminentie dignitatis conditionis aut status sive collector pensionum huiusmodi seu reddituum assignandorum pro ipsis vel pro quocumque alio nomine fuerit deputatus, aliquid sibi vel alteri seu usui cuicumque et quantumcumque pio de prefatis pensionibus vel de fructibus redditibus seu proventibus, qui assignabuntur pro pensionibus ipsis quomodolibet applicare vel dare seu commutare aut quomodolibet alienare presumat. Qui vero contrarium fecerit et qui ad dandas vel mittendas illas extiterit deputatus, si eas ut premittitur in eisdem terminis dictis studentibus non dederit vel miserit, penas eo ipso incurrat statutas contra non solventes id quod monacis mittendis ad dicta studia fuerit assignatum secundum statum ipsorum non solventium et iuxta gradus et ordinem superius denotatos. Si vero laicus extiterit, excommunicationis incurrat sententiam eo ipso, a qua nisi debita satisfactione premissa nequeat absolutionis beneficium obtinere. Et ut onus huiusmodi pensionem levius supportetur,

FUNDACIÓ NOGUERA

statuimus et ordinamus ut solvantur pensiones huiusmodi et etiam pensio dicti magistri, qui monacos in primitivis scientiis instruet ut prefertur per capitula cuiuslibet ecclesie cathedralis ipsius ordinis seu religionis et per beneficiatos quorumlibet beneficiorum monacalium eiusdem et cuiuslibet monasterii prioratus et loci ordinis seu religionis huiusmodi et membrorum suorum de communi contributione inter caput et beneficia seu membra omnia et singula ad ipsum caput pertinentia vel dependentia ab eodem facienda secundum taxationem vel estimationem decime in taxatis. In non taxatis vero beneficiis proportionabiliter et rationabiliter secundum valorem ipsorum in primo cuiuslibet ecclesie cathedralis eiusdem ordinis seu religionis ac monasterii seu prioratus vel alterius loci abbatem proprium non habentis, capitulo generali per priores vel alios maiores post antistitem in cathedralibus ecclesiis. In monasteriis vero prioratibus vel aliis supradictis per abbates vel priores seu alios presidentes eiusdem cum consilio et assensu capituli seu conventus seu maioris partis ipsorum. Quam si forte facere neglexerint vel noluerint, presidentes provinciali capitulo illius provincie, ubi tales negligentes fuerint, et quilibet ipsorum presidentium ac visitatores per dictum provinciale capitulum deputati et eorum quilibet, ipsos negligentes auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia opportuna remedia ad illam faciendam appellatione cessante compellere teneantur, quousque certi et perpetui redditus pro ipsis pensionibus exolvendis extiterint assignati. Volumus autem quod per illos, qui ad hoc per nos cum sufficienti potestate fuerint deputati, cum antistitibus in cathedralibus ecclesiis monacalibus et cum abbatibus et prioribus et aliis loca conventualia et solennia ut predicitur obtinentibus cum consilio et assensu capitulorum et conventuum eorundem, auctoritate apostolica predicta possint pro predictis pensionibus assignari vel ad invicem uniri aut ecclesiis cathedralibus monasteriis seu locis aliis conventualibus supradictis vel eorum administrationibus aut officiis seu locis vicnioribus ad ecclesias cathedrales monasteria prioratus seu loca huiusmodi pertinentibus, prout erit commodus, prioratus aliaque beneficia ecclesiastica sine cura ipsius ordinis seu religionis consueta monacis assignari et ad ecclesias cathedrales monasteria seu loca alia conventualia prefata spectantia, dum tamen ipsa beneficia tanto tempore ab uno vel pluribus monacis fuerint continue ac pacifice gubernata, ut prescriptio legitima sit completa, etiam si ante vel post clerici seculares quandoque ministraverint in eisdem, dummodo per ipsos clericos legitima prescriptio minime sit impleta. Quod si forte huiusmodi prioratus seu beneficia sine cura non inveniantur accommoda vel non sufficiant ad premissa, possunt per predictos modo premisso et ut commodius fieri poterit super aliis prioratibus admi-

FUNDACIÓ NOGUERA

nistrationibus seu beneficiis monacalibus curatis, si facultates eorum ad hoc sufficiant, aliis eorum oneribus supportatis de parte dumtaxat, quam monaci percipiant ex eisdem pro predictis perpetue pensiones imponi. Prohibemus autem quod nulli monaco quodcumque beneficium quantumcumque modicum vel aliam pensionem habenti, nisi ea omnino dimitteret aliis conferenda vel assignanda, possit aliqua de dictis pensionibus studentium assignari vel assignata dimitti. Nec in ipsa sibi ius aliquod acquiratur, immo si assignationi pensionis huiusmodi consenserit, eo ipso privatus existat quocumque beneficio seu quavis alia pensione, si quod vel si quam forsitan antea obtinebat. Si vero ipsi monaco habenti pensionem huiusmodi studentium, beneficium aliquod quantumcumque modicum conferat, adepta ipsius possessione pacifica, ipso facto vacet dicta pensio eaque privatus existat studenti alteri assignanda, ut non desit studens de numero instituto. Nec per litteras a sede apostolica vel legatis ipsius super provisione quorumlibet monacorum aut aliorum directas de studentium pensione aliqua predictorum cuiquam valeat provideri nec alicui alteri, nisi nominatus electus et licentiatus fuerit, prout est superius ordinatum, alias nulla sit assignatio huiusmodi ipso iure nec per eam ius alicui acquiratur, et tam assignans quam accipiens teneantur ad restitutionem omnium, que exinde recepta fuerint faciendum, que in libris vel aliis necessitatibus dictorum studentium convertantur et nichilominus penis subiaceant superius designatis. Prohibemus insuper ne libri ecclesiarum cathedralium monasteriorum et aliorum locorum predictorum qui dictis studentibus fuerint assignati seu eis a consanguineis vel amicis dati aut per eosdem studentes alias licite acquisiti, per eos alienentur distrahantur seu etiam obligentur. Quinimo volumus quod dicti libri defunctis eisdem studentibus, quibus fuerant assignati, ad ecclesias monasteria seu alia loca predicta libere revertantur. Volumus etiam quod si in ecclesiis monasteriis seu locis prefatis libri multiplicati fuerint, libris necessariis in ipsis ecclesiis monasteriis et locis remanentibus de ceteris libris per antistites in ecclesiis cathedralibus et in monasteriis vel aliis locis predictis per eorum monasteriis vel aliis locis predictis per eorum prelatos et de consilio eorum, cum quorum consilio studentes prefati sunt ut premissum est eligendi, fiat conveniens distributio inter studentes eosdem. Fiatque prius memorialis scriptura de personis studentium, quibus dicti libri tradentur et librorum nominibus predictorum, que quidem scriptura in ecclesiis monasteriis vel locis huiusmodi conservetur. Si quis vero de studentibus ipsis per se vel per alium librum seu libros huiusmodi, qui ad eum premissis modis pervenerunt, distraxerit aut obligaverit, nisi pro utilioribus vel pluribus libris emendis et tunc de licentia superioris sui petita humiliter et obtenta, eo ipso sit inhabi-

FUNDACIÓ NOGUERA

lis per biennium ad quodcumque beneficium obtinendum, et nichilominus ad claustrum suum de studio revocetur et loco sui alius subrogetur, et etiam per superiorem suum, prout facti qualitas exegerit, alias graviter puniatur. Presidentes insuper et alii convenientes in dicto capitulo provinciali ordinare debeant, qualiter dicti studentes vivere seu ad invicem habere debebunt, qualiter et ex quibus causis ante tempus etiam regulariter prestitutum poterunt et debebunt de studiis huiusmodi revocari et in locum eorum alii totidem numero subrogari iuxta modificationem superius designatam. Ubi autem erit aliquis de ipsis studentibus, qui sit vite laudabilis aliasque idoneus et discretus et ad baccalaureatum vel magisterium dispositus vel propinquus, idem prior dictorum studentium qui erit pro tempore cum consilio aliquorum proborum studentium eorundem scribat presidentibus antedictis, ut prelato ipsius proprio mandent et ordinent cum eodem, quod talem non revocet, sed eum in scientia proficere et ad statum baccalaureatus et honorem magisterii pervenire lecturamque continuare permittat ac ipsum et alios similes, quos iam in scientia laudabiliter proficere cognoverit, dignis attollat honoribus et promotionibus efferat opportunis. Provideant quoque presidentes et alii prefati convenientes in ipso capitulo provinciali, quod monaci ad dicta studia transmittendi, prout communius et commodius fieri poterit distributi, insimul commorentur saltem deni ad minus, et deni huiusmodi non possint ultra quatuor servitores habere, computato in eis coco seu servitore coquine. Deputent etiam iam dicti presidentes in singulis eorum provincialibus capitulis speciales visitatores huiusmodi ordinis seu religionis provincie infra quam erit studium, in quo studentes huiusmodi morabuntur. Quibus siquidem visitatoribus et etiam aliis visitatoribus per provincias ad visitandum cathedrales ecclesias monacales monasteria et alia loca ipsius ordinis seu religionis per predicta provincialia ordinandi. Necnon dictis studentium prioribus in virtute obedientie districte precipimus, ut nomni favore gratia odio et personarum acceptione semotis ex puritate conscientiarum suarum secundum quod deo magis placere et huiusmodi ordini seu religioni expedire crediderint, in his que circa ipsos studentes in ordinationibus nostris prescriptis salubriter statuuntur, sint solliciti et attenti, et quod si forsan per antistites ecclesiarum cathedalium monacalium abbates priores et administratores alios monasteriorum et aliorum locorum ipsius ordinis seu religionis eorumque capitula et conventus illa que de scholaribus mittendis ad studia et pensionibus aliisque que premittuntur invenerint incompleta, plenam de ipsis relationem faciant in capitulis provincialibus cuiuscumque provincie superius limitate, qualiterque in ipsis sequentibus capitulis ea ordinari et compleri omnino debeant, vel que minus considerate ordina-

FUNDACIÓ NOGUERA

ta fuerint, corrigantur, aut ut bona etiam in meliora mutentur, prout hec vel alia ex successione temporum ac probatione factorum poterunt apparere. Ordinamus insuper ut iidem presidentes habeant plenariam potestatem faciendi compleri et inviolabiliter observari auctoritate apostolica omnia et singula supradicta necnon contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam et per alia iuris et ipsius ordinis seu religionis remedia sublato appellationis obstaculo compellendi et processus ac sententias eorum in locis eiusdem ordinis seu religionis solenniter publicandi et illos qui sententias eorum incurrerint premissa congrua satisfactione iuxta formam ecclesie absolvendi. Precavere nempe volentes ac etiam providere dictis scholaribus in eisdem studiis morantibus et etiam moraturis, ut eo quod absint ab eorum cenobiis regularis non desit salubre gubernaculum discipline, ordinamus et volumus quod capitulis provinciarum, in quibus erunt huiusmodi studia, presidentes unum abbatem vel priorem ipsius ordinis seu religionis cuiuslibet ipsorum studiorum vicinum et quem quotiens eis placuerit ponere valeant et mutare, ordinent et assignent, qui abbas et prior ex predictis studentibus unum ibi monacorum priorem studentium deputet per unum tantum annum duraturum. Quem quidem priorem dicti etiam presidentes ipsi mutare valeant, quotiens videbitur expedire quique potens in opere ac sermone per directionem verbi et ducatum exempli eosdem monacos studentes tractando ipsos, quotiens opus fuerit et sibi videbitur expedire, convocet ad locum aliquem competentem illisque quoad regularem presideat disciplinam et potestatem habeat illos corrigendi puniendi et absolvendi et cum eis dispensandi, quamdiu in ipsis studiis moram traxerint, ab omnibus, a quibus et super quibus et prout posset abbas vel alius prelatus eorum proprius in monasterio vel alio loco, unde cenobite seu claustrales existunt ipsosque informandi et instruendi ac tenendi sub regularibus disciplinis et illos etiam coercendi ne vagentur vel actibus seu operibus vacent illicitis, sed studeant et proficiant sicut decet vivantque laudabiliter et honeste. Provideat insuper quod dicti monaci studentes expensas faciant moderatas et non superfluas vel aliquatenus excessivas eosque cogat ad reddendum de receptis et expensis in fine cuiuslibet mensis vel prout alias sibi videatur rationem illi vel illis providis et discretis, quos idem prior ad hoc duxerit deputandos. Et quando eorundem studentium demerita seu conditio suaserit eos a studio revocari, prior ipse teneatur consulte tamen caute et sollicite antistiti abbati vel alii prelato eorum proprio per suas litteras intimare. Idemque antistes abbas seu prelatus proprius eos revocare debeat et in locum eorum totidem monacos subrogare appellatione contradictione vel reclamatione reiectis. Concedimus quoque dicto priori eadem auctoritate apostolica plenariam potestatem dictos mo-

FUNDACIÓ NOGUERA

nacos studentes, quamdiu in ipsis studiis fuerint, ab excommunicationum et suspensionis sententiis dumtaxat, que contra studentes in locis ubi erunt dicta studia generaliter ex causis minoribus prolate vel per statuta sui ordinis sive sue religionis aut ecclesie seu loci eius unde cenobite sunt inflicte fuerint, a quibus abbas vel alius prelatus eorum proprius ipsos de iure vel permissione sue regule absolvere potuisset, congrua satisfactione premissa iuxta prefatam formam ecclesie absolvendi et cum eis super irregularitate, quam ex causis huiusmodi sic legati celebrando divina seu illis se alias immiscendo, non tamen in contemptum clavium, incurrerant, dispensandi. Per predicta vero dicti monaci studentes a potestate antistitis vel alterius prelati sui exempti aliquatenus non existant. Ordinamus etiam quod dicti monaci Parisiensi studio insistentes ipsi priori studentium ultra suam pensionem de vigintiquinque librarum Turonensium parvorum annuatim, alii vero cuiuslibet studiorum aliorum, si tamen in eo sexaginta monaci vel supra studentes fuerint de viginti libris, si vero pauciores numero sexagesimo extiterint, quibus eorum de quinque solidis ipsius monete seu alterius de equivalenti summa dumtaxat per contributionem communem de dictis pensionibus ipsorum inibi studentium annis singulis faciendam providere procurent, dictosque monacos studentes ad contributionem ipsam faciendam et solvendam eandem iam dicto priori, prefatus prior per censuram ecclesiasticam et alia ipsius ordinis seu religionis remedia possit eadem auctoritate apostolica semoto appellatione diffugio coarctare. Volumus tamen quod idem prior sumptus nunciorum subeat, quos pro premissis duxerit transmittendos. Preterea volumus et ordinamus quod priores et alii beneficiati et non beneficiati prelibatis studiis insistendo, qui tamen expensas in ipsis studiis aliunde habuerint quam sic ut supra tangitur ordinatum, sub correctione et obedientia dicti prioris studentium humiliter maneant et ad contributionem huiusmodi iuxta quantitates premissas eidem priori solvendas prout alii studentes prefati firmiter adstringantur, et ad eas solvendas sicut de aliis studentibus iam dictum seriatim et modificatim existit, per ipsum priorem valeant coarctari. Porro statuimus et ordinamus quod nullus de ordine seu religione huiusmodi ad recipiendum magistratus seu doctoratus honorem de cetero assumatur, nisi prestito per eum primitus iuramento in presentia dicti prioris studentium ac duodecim proborum et discretorum ex studentibus antedictis, quod in assumptione ipsius honoris vel ante seu post eius occasione circa cibos vestes vel alia non expendet per se vel alium, undecumque habuerit vel fuerit sibi datum, nec quantum in eo fuerit expendi permittet ultra valorem duorum millium Turonensium argenti ab aliis etiam suis consanguineis vel amicis. Illi etiam qui ad baccalaureatum extiterint assumen-

FUNDACIÓ NOGUERA

di, prestare similiter teneantur iuramentum in presentia prioris studentium et duodecim proborum et discretorum prefatorum, quod huiusmodi sui baccalaureatus pretextu ipsa die qua incipiet vel ante seu post nullum festum seu convivium facient per se vel alium seu alias fieri permittent a quibuscumque aliis eorum consanguineis vel amicis. Statuimus etiam et ordinamus quod quicumque ipsius ordinis seu religionis, qui in dicto Parisiensi vel in aliquo alio generali studio per sex annos in sola sacra theologia studuerit, in aliis primitivis scientiis sufficienter instructi et ad hoc sufficientes et idonei fuerint, possint in ipso Parisiensi studio cursus consuetos Biblie facere. Qui vero per octo annos in sola theologia studuerint ut prefertur librum sententiarum legere valeant in Parisiensi studio prelibato, et quod in eodem Parisiensi et quocumque alio studio, in quo ad magisterium in theologia ipsa licentia dari consueverit, cum digni reperti ad hoc extiterint, ad magisterium et doctoratum in dicta theologia et nichilominus ad baccalaureatum licentiam magisterium seu doctoratum et lecturam iuris canonici sive decretorum in eodem Parisiensi et quolibet alio studio in cappa sue religioni congruenti, dummodo sufficientes et idonei fuerint, ac illi qui ad baccalaureatum et ad legendum decretales ibi assumi voluerint et in ipso Parisiensi vel quovis alio generali studio audiverint iura canonica per sex annos, de quibus per tres annos ad minus audiverint decretum, necnon illi qui ad magisterium in decretis vel ad lecturam decretorum assumi voluerint in prefato Parisiensi studio et ibi vel in alio generali studio audiverint iura canonica aut baccalaurei legerint per quinque annos, et de hoc primo fidem fecerint per eorum proprium et aliorum duorum iuramentum absque dilatione et difficultate malitiosa et impedimento quibuscumque libere admittantur, sicut ceteri clerici seculares ibidem consueverunt admitti. Non obstantibus quibuscumque statutis consuetudinibus monasteriorum et aliorum locorum eiusdem ordinis seu religionis Parisiensis et aliorum studiorum quorumcumque contrariis iuramentis confirmationibus apostolicis et quibusvis firmitatibus aliis roboratis et aliis presertim statutis, quibus in eodem Parisiensi studio caveri dicitur, quod nullus possit legere cursum Biblie, nisi studuerit inibi septem annis, nec permittatur sententias legere, nisi etiam inibi studuerit decem annis, quodque nullus monacus vel religiosus alius legat ibidem iura canonica vel ad baccalaureatus statum aut magisterii honorem in iure canonico permittatur assumi, seu quod nullus sine rubea cappa decretum legat seu legere permittatur ibidem aut quod nullus ibi legere valeat iura canonica vel ad baccalaureatum assumi seu ut baccalaureatus legere decretales aut ad magisterium ascendere in decretis sive doctor fieri decretorum aut ad lecturam decretorum in decretis assumi seu ipsum continuare, nisi ibidem vel

FUNDACIÓ NOGUERA

alio studio generali audiverit iura canonica per quinque et alibi iura civilia per tres annos, alibi iura civilia per quinque vel in alio generali studio iura canonica per tres annos, et prout sic vel aliter in statutis ipsius studii Parisiensis dicitur contineri, vel de consuetudine observari et aliis consuetudinibus vel statutis eiusdem Parisiensis studii quibuscumque seu quacumque forma vel expressione verborum in contrarium editis vel edendis, necnon quibuslibet privilegiis vel indulgentiis generalibus aut specialibus et litteris apostolicis contrariis ordinibus ecclesiis monasteriis locis ac studiis quibuscumque sine universitatibus magistrorum vel scholarium eorundem seu personis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis cuiuscumque sint preeminentie dignitatis conditionis aut status sub quavis forma vel expressione verborum concessis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi statutorum et ordinationum omniumque aliorum et singulorum contentorum in eisdem, presentibus impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam ac de verbo ad verbum oporteat in illis vel aliis nostris litteris fieri mentionem.

[c. 9] Profecto considerantes attentius nobis fuisse fida et concordi relatione monstratum, qualiter experientia docuerat cum iactura, quod ad desolationes ecclesiarum cathedralium monasteriorum prioratuum administrationum et aliorum locorum ordinis seu religionis eiusdem plurimum redundabant debita contrahendi effrenata potestas et plerumque innovatio eorundem ac obligationes et missiones, que sunt pro tempore super eis necnon arborum sylvarum non ceduarum et etiam ceduarum venditiones et iurium reddituum possessionum seu pensionum concessiones ad vitam et ad longi temporis spacium, nos ecclesiarum monasteriorum prioratuum administrationum et aliorum locorum prefatorum indempnitatibus occurrere desiderabiliter affectantes et super his intendentes opportune cautele profuturum remedium adhibere, statuimus et ordinamus ut salvis aliis iuris et ordinationum ac statutorum ecclesiarum cathedralium monacalium et monasteriorum prioratuum administrationum et aliorum locorum predictorum remediis talis in predictis et circa ea solennitas debeat observari. Videlicet quod cum per antistitem vel per abbatem seu priorem vel administratorem aut alium prelatum abbatem proprium non habentem seu per alium priorem vel administratorem quemcumque ipsis subiectum conventum non habentem suscipiendum vel innovandum fuerit mutuum vel facienda pro necessitate vel utilitate, cum non aliter fieri debeat, venditio arborum sylvarum non ceduarum vel ad magnam et notabilem quantitatem etiam ceduarum seu concessio iurium reddituum vel possessionum aut annuarum pensionum sive diminutio censuum pensionum seu canonum ad vitam

FUNDACIÓ NOGUERA

alicuius vel ad certum tempus etiam pecunia inde recepta, tractatus duorum dierum ad minus interpolatorum diligens et maturus precedere debeat, habendus per antistitem cum eius capitulo in dictis ecclesiis seu per abbatem vel alium prelatum abbatem proprium non habentem cum conventu cuiusque ipsorum. Et nichilominus de consensu ipsius capituli vel conventus aut maioris partis eiusdem fiant omnia supradicta. In prioratibus vero vel administrationibus aliis conventualibus antistitem aut abbatem vel alium superiorem immediatum habentibus tractatus habeatur huiusmodi per priorem seu alium administratorem ipsius cum proprio conventu eiusdem, et nichilominus postea per antistitem aut per abbatem vel alium prelatum superiorem immediatum cum capitulo seu conventu ecclesie vel monasterii tractatus etiam habeatur fiantque contractus huiusmodi de consensu sui ipsius capituli et huiusmodi subiecti conventus vel utriusque conventus, superioris scilicet et subiecti seu maioris partis eorum ac de ipsius antistitis seu abbatis vel alterius immediati superioris auctoritate expressa et licentia speciali. In tractatibus namque prefatis agatur, ut clare liqueat, ob quam causam quanta summa, a quibus creditoribus quibus conditionibus et obligationibus quibusque terminis solvendum suscipiatur mutuum prelibatum, et quare cui ad quantum tempus et sub quo pretio fiant venditio et concessio vel censuum seu canonum aut pensionum diminutio seu pensionum assignatio supradicta ac de ceteris omnibus, que in huiusmodi negocio fuerint opportuna et quod de causis tractatibus consensibus auctoritatibus licentiis et aliis predictis scripture conficiantur autentice, in quibus nomina et cognomina tractantium consentientium auctorizantium et licentie huiusmodi exprimantur et sigilla antistitis vel abbatis seu abbatum aut aliorum superiorum necnon capituli et conventuum predictorum apponantur in illis. Prohibemus autem ne virtute alicuius procuratorii generalis, etiam si contineatur eo quod procurator mutuum possit recipere aut obligare monasterium vel alium locum ipsius ordinis seu religionis aut pensionem assignare ad vitam vel ad tempus seu canonem censum seu pensionem diminuere, possit mutuum recipi vel ecclesia seu monasterium aliquod sive locus alius obligari aut pensio ad vitam vel alias dari seu census vel canon aut pensio diminui, nisi prius clare ac explicite omnia predicta fuerint observata. Et quod pecunia, que mutuo recepta fuerit vel ex aliis predictis habita, in solius antistitis vel abbatis seu prioris aut alterius administratorum huiusmodi contractum principaliter ineuntis non remaneat potestate, sed tradatur tribus viris providis et discretis eiusdem ordinis seu religionis, si commode fieri possit, qui eam ad illas dumtaxat necessitates vel utilitates convertant, propter quas receptum mutuum vel venditio aut concessio seu census vel canonis aut pensionis diminutio

FUNDACIÓ NOGUERA

seu pensionis assignatio et obligatio facte fuerint supradicte. Ad que fideliter exequenda et observanda ipsi tres viri iuramenti vinculo adstringantur, quanto tradetur eis pecunia prelibata. Volumus etiam quod eorum, que debentur ecclesiis vel monasteriis seu aliis locis ipsius ordinis seu religionis remissio fraudulosa et notabiliter dampnosa a quoquam nequeat attentari. Insuper volumus et ordinamus quod illa summa, que in capitulo generali cuiuslibet ecclesie vel monasterii seu alterius loci ipsius ordinis seu religionis eiusdem provincie annis singulis pro evidenti utilitate vel necessitate per antistitem seu abbatem vel alium superiorem et capitulum generale predictos seu maiorem eius partem vel per tres providos et discretos monacos iuratos super hoc per eos deputandos taxabitur, possit recipi mutuum sine predictis solennitatibus et penis infra proxime designatis. Et etiam si casus aliquis evidenter utilis seu necessarius occurreret, cui succurri non valeat nisi mutuum contrahatur, si abbas vel alii supradicti a locis, quibus prefuerint, sint multum remoti, licitum sit eisdem absque solennitatibus et penis huiusmodi, ut tali casui valeat provideri tantam absque fraude qualibet summam recipere mutuo, quanta necessaria fuerit pro supportando casu prefato, sive ut sibi provideant per eosdem. Quo videlicet casu abbates et priores ac ceteri abbates proprios non habentes infra octo dies postquam ad monasteria sua redierint, hec omnia conventibus propriis exponere teneantur. Priores vero et administratores ceteri suis superioribus et ipsorum conventibus similiter infra octo dies postquam ipsorum superiorum et conventuum eorum presentiam adire poterunt, facere teneantur, et quod fiat de his scriptura authentica, que in ecclesia vel monasterio principali fideliter conservetur, et que causas et omnia quare mutuum huiusmodi contractum fuerit debeant continere. Nec ante solutionem integram mutui sic contracti dicteque summe singulis annis ut prefertur taxande aliud debeat contrahi per abbates vel alios supradictos, nisi solennitates huiusmodi observentur. Nos insuper decernimus irritum et inane, si contra predicta extiterit attentatum. Volentes itaque ut statutum et ordinatio huiusmodi firmius observentur, ordinamus quod abbas seu prior aut quicumque alius proprium non habens abbatem, si omissis solennitatibus huiusmodi venditionem seu concessionem aut pensionis assignationem vel census seu canonis vel pensionis diminutionem aut remissionem debitorum huiusmodi et obligationes prefatas de predictis facere aut mutuum ultra vel alias quam supra proxime conceditur, recipere presumpserit, occasione ipsius ecclesiam monasterium prioratum administrationem seu locum alium aut iura redditus seu pensiones ipsius obligando seu submittendo aut instrumenta vel litteras concedendo, preter alias penas iuris tamdiu ingressum ecclesie sibi eo ipso noverit interdictum,

FUNDACIÓ NOGUERA

donec obligationes et submissiones venditiones et concessiones censuum seu canonum et pensionum diminutiones ac pensionum assignationes et illarum effectus necnon gravamen ecclesie monasterii prioratus seu alterius administrationis omnino cessent, et ecclesiam monasterium prioratum seu administrationem huiusmodi iuxta posse indempnia reddiderit seu reddi fecerit aut procuraverit in premissis. Quod si per sex menses huiusmodi sustinuerit interdictum, sit a divinis et a collatione beneficiorum eo ipso suspensus, et collatio beneficiorum huiusmodi ad priorem seu alium prelatum maiorem post abbatem seu prelatum monasterii seu alterius loci ordinis seu religionis huiusmodi abbatem proprium non habentem durante suspensione huiusmodi libere devolvatur. Nos autem omnibus presidentibus provincialibus capitulis provinciarum a nobis superius decretarum et visitatoribus in illis ordinatis et ordinandis in virtute obedientie districte precipiendo iniungimus, ut contra talem sic interdictum et suspensum super predictis ac de fama et de regimine ipsius simpliciter et de plano informationem recipiant, et si exemptus sedi apostolice immediate subiectus, ipsi sedi, si vero exemptus eidem sedi mediate subiectus, superiori suo immediato, si autem exemptus non fuerit, diocesano suo informationem huiusmodi sub eorum sigillis inclusam, quam cito commodius poterunt, destinare procurent et servent contra talem, que in supradicta constitutione sepe dicti Honorii predecessoris nostri instituta fore noscuntur. Ceteri vero priores et administratores quilibet ipsius ordinis seu religionis, nedum interdicti huiusmodi penam eo ipso incurrant, sed etiam ut de aliis est premissum infra sex menses a tempore, quo predicta commiserint, numerandos obligationes submissiones venditiones concessiones censuum seu canonum aut pensionum diminutiones et pensionum assignationes necnon illarum effectus et gravamina cessare non fecerint, et quatenus de facto processerint tolli, ac prioratus seu administrationes alias indempnes non reddiderint seu reddi non fecerint ac procuraverint, donec proxime dicta compleverint, sint a divinis eo ipso suspensi. Quod si suspensionem huiusmodi per alios sex menses proxime secuturos tolerare presumpserint, sint ipsis prioratibus et administrationibus ipso facto privati per illos ad quos eorum collatio pertinuerit, aliis idoneis et nullatenus eis illa vice libere conferendis.

[c. 10] Preterea quia plerumque contingit, quod quidam abbates et priores ac nonnulli alii administratores presidentes seu monaci et conversi eiusdem ordinis seu religionis pretextu administrationum vel aliorum negotiorum que gerunt multas fraudes adhibent et dolosos seu simulatos seu fictos contractus ineunt, mutua etiam per se et alios simulata et ficta suscipiunt, aliquando proprio et etiam fideiussorio et etiam diversimode nomine alieno et inter cetera quandoque

FUNDACIÓ NOGUERA

confitentur in instrumentis publicis seu authenticis et aliis scripturis se a patre fratre nepote vel consanguineo seu quolibet alio coniuncto, affine familiari servitore amico seu mercatore recepisse mutuo vel alias pecuniam pannos vinum bladum equos boves sive animalia alia vel res seu cetera bona, eaque in utilitatem locorum de quibus president vel administrationum quas gerunt fuisse conversa, cum tamen aliquando nec pro se seu eorum locis neque pro administrationibus suis receperint, sed esse finguntur et ponuntur ac scribuntur frequenter principales, et ut tales se obligant, cum revera fideiussores dumtaxat existant, et interdum pro aliis recipiuntur mutua prelibata, super his etiam frequenter se ac alios locaque ipsa possessiones redditus bona et iura ipsorum multipliciter obligando etiam et submittendo. Quidam insuper in fraudem seu dolose confitentur et alios presertim eorum debitores faciunt confiteri ac etiam obligari ac super his instrumenta et authenticas vel alias scripturas in fraudem confici, iura redditus possessiones animalia blada pecunie debita seu alia bona ad ipsos vel monasteria seu quevis alia loca ipsius ordinis seu religionis pertinentia seu debita fuerint sunt vel esse debent patris matris seu fratris eorum vel aliarum personarum predictarum et ad ipsas personas pertinere vel debita eis fore, aliosque multos contractus similes fingunt faciunt seu fieri procurant aut permittunt fraudulenter seu dolose, per quos ecclesie monasteria et alia loca ipsius ordinis seu religionis, quibus presunt, ac iura redditus et possessiones seu alia bona ipsorum dampnificari gravari obligari vel alias impediri seu deperire possunt. Nos super premissis ecclesiarum monasteriorum et aliorum locorum prefatorum indempnitatibus, prout tenemur obviare volentes, statuimus et ordinamus quod preter alias penas iuris talia committentes vel fieri facientes aut eis consentientes vel scientes et quam cito commode poterunt, quibuslibet fraude ac dolo exclusis, superioribus talium et eorum conventibus minime revelantes, si eiusdem ordinis seu religionis fuerint, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, a qua nequeant absolvi, scientes videlicet nisi ea revelaverint, ceteri vero nisi prius premissa omnia tolli fecerint et cessare, et ecclesias monasteria prioratus administrationes et loca, quantum eis possibile fuerit, reddiderint seu reddi fecerint indempnia seu procuraverint a talibus dispendiis relevari. Et tunc per presidentes provincialibus capitulis dumtaxat vel per aliquem ipsorum si fuerint abbates qui deliquerint in premissis, vel priores aut alii abbates priores non habentes, ceteri vero per proprios abbates vel alios superiores eorum a prefata excommunicationis sententia absolvantur. Interim vero cum summarie ac de plano constiterit aliquem huiusmodi sententiam incurrisse, si abbas fuerit vel prior seu alius proprium non habens abbatem, tunc quilibet presidentium capitulo provinciali ac visitator

FUNDACIÓ NOGUERA

illius ecclesie seu monasterii aut loci proprium abbatem non habentis, si vero alius prior aut administrator extiterit, abbas vel alius eius proprius et immediatus superior eum publicent et teneantur facere excommunicatum per loca ipsius ordinis seu religionis usque ad satisfactionem condignam publice nunciari.

[c. 11] Preterea ut predictis et aliis dampnis periculis et scandalis obvietur. Statuimus et ordinamus quod omnes et singuli abbates et alii prelati ordinis seu religionis huiusmodi abbates proprios non habentes, qui per sedem apostolicam promoti sunt vel promovebuntur in antea et eidem sedi non existunt immediate subiecti, suis immediatis superioribus iuramentum prestare ad sancta dei evangelia corporaliter teneantur, quod possessiones vel iura ad mensam sui monasterii sive loci spectantia non vendent nec alienabunt nec impignorabunt neque de novo infeudabunt nec per aliquem modum donabunt neque census diminuent, nisi quatenus a iure permittitur et servata solennitate superius denotata. Nec etiam obligabunt alias vel ultra quam in prescriptis statutis et ordinationibus continetur, et quod possessiones redditus et iura mense predicte indebite alienata distracta vel occupata, prout commode poterunt repetent, et ad ius et proprietatem ecclesie vel monasterii seu loci sui ordinis seu religionis huiusmodi procurabunt reduci. Non obstante si forte aliud vel simile Romane ecclesie prestiterint iuramentum, ad quod prestandum per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia per superiores predictos appellatione remota valeant coarctari. De prestatione vero huiusmodi iuramenti plena et sufficiens fides fiat conventibus eorundem. Et idem iuramentum prestare teneantur immediantibus abbatibus seu aliis prelatis suis in presentia capituliu vel conventus si commode fieri possit, omnes et singuli priores seu quicumque alii administratores et beneficiati monaci eiusdem ordinis seu religionis, quibus per dictam sedem vel eius legatos seu executores vel alios provisores a sede apostolica seu per ipsius vel dictorum legatorum litteras deputatos sive per abbates aut per quoscumque alios iure ordinario vel alias quomodolibet provisum est hactenus vel providebitur in futurum et ad prestandum huiusmodi iuramentum per ipsos abbates seu priores etiam auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alia remedia, si moniti prestare iuramentum huiusmodi recusarunt, remoto appellationis obice, cogi possint per predictos. Insuper quibuscumque formis aliis licitis iuramentum per que ad alia plura iurantes adstringuntur non intendimus derogare, sed si forsan in illis contineantur capitula et alia in premissa forma non expressa, illos ad ea obligati volumus et adstringi. Decernimus insuper quod cum civitas castrum villa vel iurisdictio alicuius eorum feudum solenne aut grangia seu magnum territorium vel magnus possessionum aut terrarum numerus

FUNDACIÓ NOGUERA

vendenda vel obliganda seu monasteria prioratus vel ecclesie aliquo a iure permisso alienationis titulo alienanda vel in alios transferenda extiterint, venditiones seu alienationes aut translationes huiusmodi fieri nequeant, nisi etiam prius consulto Romano pontifice ac eius super his petita licentia et obtenta. Aliter autem venditiones seu alienationes vel translationes prefate sint irrite ipso iure et quilibet presidentium ac visitatores contra exemptos sedi apostolice supradicte et contra non exemptos contrarium facientes, locorum ordinariis eorundem quamcito commode poterunt sub eorum sigillis intimare predicta nichilominus teneantur.

[c. 12] Ceterum antistitibus ordinariis abbatibus prioribus et aliis prelatis religionis eiusdem, qui bona mobilia prioratuum administrationum et beneficiorum quorumlibet sibi subiectorum vacantium in ipsis tempore huiusmodi vacationis inventa seu alia causa rationabili ad se afferunt oertinere, districtius inhibemus ne vasa vestimenta seu alia ornamenta quecumque divino cultui deputata, animalia etiam tam pro agricultura quam aliis ipsorum locorum necessitatibus teneri inibi consueta vasa insuper vinaria et coquine lectos et alia suppellectilia seu vasa, nisi forte aurea vel argentea fuerint, occupare vel exinde asportare aut sibi appropriare presumant. Quodque in apprehendendis bonis aliis formam constitutionis felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri[31] super hoc edite diligenter observent ac nichilominus de portione dictorum bonorum, que rationabiliter eos continget, quartam partem in augmentum ornamentorum ecclesiasticorum ecclesiarum seu monasteriorum suorum convertere integraliter teneantur. Qui vero secus fecerint iuxta qualitatem delinquentium personarum penas incurrant, que per constitutionem eandem eius transgressoribus infliguntur.

[c. 13] Statuimus insuper ac etiam ordinamus et districte precipiendo iniungimus quod deinceps in singulis ecclesiis cathedralibus monacalibus ac monasteriis et prioratibus necnon administrationibus aliis quibuscumque ipsius ordinis seu religionis per antistites ecclesiarum abbates priores et alios gerentes administrationes huiusmodi in eorum novitate coram uno vel duobus notariis publicis et aliquibus probis et senioribus ecclesiarum monasteriorum et aliorum locorum eorundem de omnibus bonis mobilibus et immobilibus seseque moventibus ad ipsorum administrationes dumtaxat spectantibus in quibuscumque locis consistant, fiant inventaria seu registra consimilia duplicata, in quibus scribatur quot monaci in quolibet loco ipsarum administrationum iuxta ipsius loci facultates possint et debeant commorari et in

31. VI 2.13.2, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 1006-1007.

FUNDACIÓ NOGUERA

quo statu quilibet recepit ecclesiam monasterium vel prioratum seu administrationem et inter alia quot extent vel deficiant animalia et qualia quanta blada vina et cetera victualia et moneta vasella aurea vel argentea et que et quot et quibus ecclesia monasterium prioratus administratio seu locus huiusmodi debent et que et quot et a quibus debentur eisdem et sub quibus obligationibus debent et debentur eisdem et que et quot alia bona mobilia vel vasa sive ornamenta vel suppellectilia et similia inibi fuerint. Et si quid ex predictis in bono statu receperit ipseque ad malum statum duxerit ecclesiam monasterium prioratum administrationem seu locum eius bona ipsius debitis obligando indebite ad vitam vel perpetuo concedendo seu alias alienando vel dilapidando, procedatur contra eum prout iura et statuta necnon ordinationes nostre superiores requirunt et presertim supradicta constitutio Honorii super hoc exacte servetur. Predicta vero inventaria seu registra clare ac integraliter legantur in capitulo cuiuslibet ecclesie cathedralis ac monasterii prioratus vel alterius loci huiusmodi, presentibus capitulo seu conventu ad hoc specialiter congregatis. Quibus lectis unum ponatur et servetur in arca communi, ubi commune sigillum est solitum custodiri seu loco alio congruenti et reliquum remaneat penes antistitem aut abbatem vel priorem seu administratorem alium a supradictis, ita quod si aliquem ex predictis ad ecclesiam monasterium prioratum administrationem seu locum alium transferri seu mutari contigerit, ipse translatus seu mutatus si antistes vel abbas aut prior seu alius superiorem eiusdem religionis non habens fuerit, capitulo seu conventui loci quod dimiserit seu deputatis ab eis infra sex menses ad tardius post adeptionem pacifice possessionis ecclesiarum monasteriorum prioratuum administrationum seu ipsorum locorum, vel si hoc ante non fecerint succedenti sibi in loco dimisso. Alii vero superioribus suis immediatis iuxta inventaria seu registra predicta rationem debitam, vocatis et presentibus aliquibus probis viris ecclesiarum monasteriorum prioratuum et aliorum locorum ipsorum reddere teneantur, dictaque inventaria seu registra transmittantur ad ecclesias monasteria vel alia loca principalia ut prefertur legenda et conservanda in illis.

[c. 14] Verum quia traditiones ad firmam facte de locis administrationum ipsius ordinis seu religionis aut proventuum ipsorum per antistites abbates priores et alios administratores eorum ipsis ecclesiis monasteriis prioratibus administrationibus de locis spiritualiter et temporaliter diversa preiudicia generant, prohibemus ne proventus seu loca predicta ad firmam de cetero concedantur, nisi ex causa et in casu necessario sive utili evidenter. Et tunc si antistes abbas vel prior seu alius proprium non habens abbatem vel administratorem

FUNDACIÓ NOGUERA

hoc facere voluerit, debeat deliberationem super hoc cum capitulo vel cum conventu premittere et diligentem tractatum cum illo habere de causa huiusmodi et de quantitate pretii ac de persona cui fuerit firma seu venditio huiusmodi facienda et de conditionibus pactis obligationibus solutionibus et similibus pertinentibus ad predicta et ipsius capituli vel conventus seu maioris partis eiusdem in hac parte consilium adhibere. Si vero prior seu administrator alius fuerit, conventum habens proprium et superiorem abbatem vel alium eiusdem religionis premittere debeat deliberationem et tractatum prefatos, nedum cum proprio suo conventu sed cum ipso abbate vel alio superiore predicto immediato et conventu superioris monasterii sui ac expressam auctoritatem et licentiam eiusdem abbatis vel alterius superioris cum consilio conventus ipsius abbatis vel alterius superioris primitus obtinere. Priores autem et administratores alii abbatem proprium vel alium superiorem eiusdem religionis non tamen conventum habentes teneantur deliberationem et tractatum iam dictos cum eorum abbate vel alio superiore premittere, necnon auctoritatem et licentiam specialem ab eo primitus obtinere. Quod si secus actum fuerit, firma seu venditio ipsa et contractus quilibet super premissis initus sint irriti eo ipso, ac instrumenta et quelibet alia documenta super eis confecta nullum obtineant firmitatem. Et nichilominus abbates et priores ceterique abbates proprios non habentes, qui contra fecerint per presidentes provincialibus capitulis, ceteri vero abbates vel alios superiores eorum argentur graviter et debite puniantur.

[c. 15] Preterea statuimus et ordinamus quod antistites abbates priores et ceteri administratores vel monaci et conversi eiusdem ordinis seu religionis privilegia litteras et instrumenta, quibus libertates possessiones res et iura locorum et administrationum suarum firmantur, vasa etiam aurea et argenta ornamenta ecclesiastica libros pecunias blada vina animalia et res alias notabiles seu preciosas ad ecclesias monasteria seu loca eorum spectantia extra ecclesias monasteria seu loca eadem apud consanguineos vel propinquos seu alios quoscumque fraudulenter aut dolose in dampnum ecclesiarum monasteriorum locorum seu administrationum huiusmodi nullatenus transportent seu tenere presumant, et quod antistites abbates vel priores ac ceteri superiorem eiusdem religionis non habentes, qui contra fecerint, sint eo ipso per mensem ingressu ecclesie interdicti et nichilominus ipsi huiusmodi transportata et detenta ad ecclesias monasteria loca et administrationes prefatas reducere teneantur. Et si abbatum priorum et aliorum administratorum superiores ut premittitur non habentium transgressio manifesta seu nota fuerit, per presidentes in provinciali capitulo seu visitatores oer idem capitulum deputandos censure graviori

FUNDACIÓ NOGUERA

ac debite satisfactioni subdantur. Alii vero inferiores administratores et transgressores ipso facto sint et permaneant per annum integrum ab eorum officiis et administrationibus suspensi. Et si eorum transgressio manifesta seu nota extiterit, per suos superiores amoveantur perpetuo ab administrationibus eorundem et administrationes huiusmodi per eosdem superiores, ad quos eorum collatio pertinuerit, aliis libere conferantur. Simplices autem monaci et conversi transgressores sint inhabiles ad obtinenda quelibet beneficia et officia ipsius ordinis seu religionis, usquequo per eorum superiores congrua satisfactione premissa cum eis extiterit misericorditer dispensarum.

[c. 16] Rursum licet contra monacos proprietarios sit plene provisum per canonicas sanctiones, tamen specialius providere volentes contra illos monacos et conversos ipsius ordinis seu religionis, qui sine salutis obliti contra regulares et canonicas institutiones pecuniam congregant, iura possessiones redditus seu census annuos et alia bona emunt seu emi faciunt aliquando proprio et sepe nomine alieno multis super his figmentis adhibitis, aliisque tradunt animalia nutrienda et cum augmento vel lucro sibi vel alteri reddenda eorum nomine seu pro ipsis et alios multos contractus diversimode tamquam negotiatores exercent, necnon appetentes et sectantes lucra turpa peculium occultant et illicite detinent in suarum periculum animarum, auctoritate apostolica predicta decernimus omnia premissa, que tamen non restitutioni subiaceant aliorum, nedum post obitum sed etiam in vita ipsorum monacorum et conversorum fore per antistites abbates seu alios prelatos eorum proprios cum consilio proborum monacorum seniorum ecclesie monasterii vel loci cuiuslibet eorum eiusmodi ecclesiis monasteriis seu locis propriis applicanda et in eorum utilitatem totaliter convertenda, usu immo potius abusu quocumque contrario non obstante. Quodque ipsi antistites abbates seu alii prelati proprii alicui monaco vel converso talia faciendi licentiam nequeant impartiri. Et quod tam prelati monaci et conversi predicta committentes quam alii quicumque ordinis seu religionis huiusmodi supredicta retinentes aut sibi ipsi appropriantes vel applicationi et conversioni huiusmodi resistentes vel impedimentum publice aut occulte prestantes seu prestari procurantes vel dictum peculium non revelantes antistitibus abbatibus seu prelatis propriis antedictis sint eo ipso inhabiles ad beneficium prioratum administrationem officium regimen et gubernationem quamlibet in ordine seu religione huiusmodi obtinenda. Permittimus tamen quod cum ipsis monacis et conversis possit antistes abbas vel alius eorum prelatus proprius dispensare super penis huiusmodi, quando ei videbitur expedire, dummodo premissa revelaverint et plene restituerint ut prefertur.

FUNDACIÓ NOGUERA

[c. 17] Nempe statuimus et ordinamus quod iuxta suppetentiam facultatum ecclesiarum cathedralium et seu capitulorum earum ac monasteriorum et aliorum locorum eiusdem ordinis seu religionis et singularum regionum etiam qualitates per antistites abbates et alios prelatos et quosvis alios administratores vel officia ad hec deputata vel deputanda tenentes et exercentes sufficienter victualia vestiaria omniaque alia necessaria monacis ministrentur, proviso attentius quod pro huiusmodi victualibus vestiariis aut aliis quibuslibet eisdem monacis necessariis pecunie simul aut per vices seu minutatim nullatenus eis dentur aut pensio vel redditus quomodolibet assignentur, sed in victualibus vestiariis et rebus aliis eis ipsorumque usui congruentibus provideatur eisdem, quemadmodum fuerit opportunum. Et ubi alius certus terminus super hoc non fuerit ordinatus singulis annis prima videlicet die mensis Octobris vestiaria prebeantur. Si qui autem redditus vel pensiones hactenus propter hoc seu alias extiterint assignati, nullatenus dimittantur eisdem, sed ex nunc pro revocatis ab ipsis totaliter habeantur. Et nichilominus illi qui pensionem redditus aut pecuniam pro predictis vel eorum aliquo cuiquam monaco ministrare vel assignare presumpserint, si antistites abbates vel priores seu ceteri superiores eiusdem ordinis seu religionis non habentes extiterint infra octo dies tantundem erogare pauperibus teneantur, hoc tamen adhibito moderamine circa idem, quod monacis de suorum superiorum licentia extra cathedrales ecclesias monacales monasteria prioratus et administrationes prefatas in scholis vel alibi pro utilitate ecclesiarum monasteriorum prioratuum et administrationum huiusmodi commorantibus possit pro victu et vestitu, sicut eorum superioribus videbitur, dari pecunia, non tamen pensio vel redditus assignari, salvis etiam statuto et ordinatione prescriptis, de monacis ad studia generalia transmittendis et de pensionibus eis ac de decem libris exhibendis dicto monaco, qui infra ecclesias monasteria et alia loca eiusdem ordinis seu religionis monacos dociles instruet, prout seriose superius est distinctum. Ad hec subiungimus quod illi qui predicta ministrare tenentur, ad ea omni excusatione cessante sufficienter ut premittitur ministranda per superiores suos aut in defectu eorum per visitatores vel presidentes prefatos irremisibiliter compellantur. Nec audiantur, si dicant se privilegium statutum ordinationem vel consuetudinem aliam se habere aut pro suis personis eorumque statu iuxta personarum vel officiorum decentiam sustinendis se asserant indigere, nulla quoque super hoc appellatio nullave supplicatio eis prosint. Sed si tertio moniti per aliquorum dierum competentia intervalla prelati eorum arbitrio relinquenda, premissis efficaciter parere administrationibus vel officiis ipsaque aliis idoneis predicta complere valentibus committantur. Quod si forte redditus officiorum seu administrationum huiusmodi

FUNDACIÓ NOGUERA

ad victum vestiarium seu alia necessaria monacis ministranda non sufficiant de communi contributione, ut de pensionibus studentium ut premissum est facienda, defectus huiusmodi suppleatur, donec pro aliis per deputandos a nobis redditus seu pensiones perpetui fuerint assignati, quos per eosdem deputandos assignari volumus eisdem modis et formis, quibus pro pensionibus dictorum studentium redditus seu pensiones perpetuas ordinavimus et statuimus assignari. Abbates vero ac priores et ceteri superiores ut prefertur non habentes, qui tenentur administrare predicta, a presidentibus aut visitatoribus per censuram ecclesiasticam modisque aliis congruentibus ad id omnino cogantur, ipsis nisi suos subditos et presidentibus ac visitatoribus nisi abbates priores et alios supradictos iuxta modum prefatum effectualiter ad premissa compulerint, in capitulis provincialibus graviter arguendis et taliter corrigendis, quod rubor et confusio de preteritis diligentiam efficiant ad futura.

[c. 18] Ceterum ut viam scandalis precludamus, prohibemus expresse, ne in ecclesiis vel monasteriis seu locis aliis conventualibus eiusdem ordinis seu religionis clerici seculares vel laici seu alterius monasterii monaci vel religiosi alterius religionis ad victum monacis ministrandum de cetero deputentur. Quicquid autem ad victum monacis ministrandum in cibo potu vel pitantia eisdem monacis ministrandum existit, singulis eorum die qualibet administretur ad congruentem mensuram, prout erit opus, iuxta ecclesiarum monasteriorum et locorum ipsorum exigentiam facultatem, et quicquid de administratis supererit, eleemosyne applicantur per illum, qui ad hoc fuerit deputatus. Nec aliquis alius per se vel per alium de refectorio seu infirmitorio vel alio loco, in quo monaci comedent, aliquid extrahere vel alibi deferre seu alteri usui applicare presumat, quod si fecerit pro qualibet vice per duos dies panis et aque solummodo penitentiarie subdatur.

[c. 19] Insuper statuimus et ordinamus quod antistites abbates priores ac ceteri administratores in ecclesiis vel monasteriis seu aliis locis eiusdem ordinis vel religionis huiusmodi aut infra septa ecclesiarum monasteriorum et locorum eorundem vel in domibus, in quibus monaci habitant, mulieres tenere, etiam si matres sorores fuerint, non presumant. Antistites vero abbates priores ac ceteri superiores religionis eiusdem non habentes, qui contra fecerint, a collatione beneficiorum sint per tres menses eo ipso suspensi, quibus durantibus ad priorem vel alium maiorem post antistitem seu abbatem cum consensu capituli seu conventus vel maioris et sanioris partis eiusdem beneficiorum ipsorum sit collatio devoluta. Alii vero priores et administratores quicumque fuerint per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum, que obtinuerint, sint suspensi, quibus duranti-

FUNDACIÓ NOGUERA

bus antistes abbas vel alius prelatus immediatus eorum superior ponat in eisdem providos et discretos ac fructus ex his dictis sex mensibus obvenientes, qui supererunt, debitis consuetis oneribus supputatis, convertantur in utilitatem ecclesie monasterii seu loci immediate superioris delinquentium predictorum. Et nichilominus dicti abbates et priores et alii non habentes superiores per presidentes seu visitantes, ceteri vero per suos superiores prout culpe aut delinquentium qualitas exegerit, alias puniantur.

[c. 20] Ceterum prohibemus ne aliqui monaci nutriant seu teneant equos vel alias evectiones aut servitores seu alias persones vel familiares in ecclesiis monasteriis seu locis aliis conventualibus ordinis seu religionis eiusdem, nisi eis ratione administrationum vel officiorum que gesserint id competere dignoscatur. In infirmitorio tamen pro necessitatibus infirmorum coquina capituli vel conventus aliisque officiis honesti servitores seu famuli seculares teneri poterunt necessarii in numero moderato, prout in aliquibus ecclesiis cathedralibus vel monasteriis seu locis aliis ipsius ordinis seu religionis fuerit rationabiliter observatum. Qui seculares quanto minus fieri poterit, cum monacis conversentur nec bibant nec comedant cum eisdem in capitulo vel conventu. Superiores quoque circa hec provideant, quod diligentius observentur, transgressores eorum arguendo et prout expediens fuerit puniendo. Prohibemus insuper ne superiores abbates priores et ceteri quicumque ipsius ordinis seu religionis lautis conviviis et comessationibus occupentur, nec in his sumptus immoderatos et alios excessus faciant, volentes quod a familiarium servitorum aut sequentium et robarum seu vestium multitudine indecenti et excessiva tam infra ecclesias monasteria prioratus administrationes et alia loca eorum, quam etiam extra illa diligenter studeant abstinere et honeste ac laudabiliter conversari. Inhibemus namque ne aliquis abbas vel prior seu administrator alius religionis eiusdem conventum habens, plures seculares personas equitantes quam [....] monacos eo pro uno monaco computato secum ducere presumat, nisi guerre discrimen vel personarum seu rerum periculum timeretur aut forsitan immineret fictione et fraude cessantibus quibuscumque. Ceteri vero conventum non habentes, si duos equitantes secum ducant, volumus quod unus illorum monacus existat, si autem plures ducat equitantes, circa hoc servetur quod superius de conventum habentibus est expressum, adiicentes quod abbas vel prior seu administrator vel monacus quicumque religionis eiusdem domicellum vel domicellos vestibus virgatis seu partitis aut curiosis vel quomodolibet inhonestis non induat vel indutos secum teneat sive ducat. Qui autem contrarium fecerit, si superiorem religionis eiusdem non habuerit, per presidentes dicti

FUNDACIÓ NOGUERA

capituli provincialibus, si autem superiorem huiusmodi habuerit, per ipsum superiorem immediatum videlicet puniatur.

[c. 21] Sane statuimus et ordinamus quod omnes abbates priores et administratores ceteri et clerici seculares et laici quicumque, qui census redditus pensiones seu quecumque alia similia debent vel debebunt in posterum, pro alimentis quotidianis vel pro necessariis ecclesiis cathedralibus monasteriis prioratibus administrationibus officiis seu locis capitulis vel conventibus ordinis seu religionis eiusdem sive in blado vino oleo piscibus pecunia seu rebus aliis quibuscumque consistant, illa eis solvere in terminis consuetis vel prefixis seu in antea prefigendis integre non ommittant. Et si ea in ipsis terminis vel saltem post eos infra quindecim dies non solverint, priores et administratores ceteri ordinis seu religionis ipsius totam quantitatem rei debite ac ultra ipsam quartam partem infra mensem dictos quindecim dies immediate sequentem solvere sint adstricti. Quas quidem quantitatem et quartam partem appositam ut predicitur loco pene, si solvere contempserint, infra mensem alium ex tunc primo secuturum a beneficiis que obtinuerint, donec predicta solverint, sint ipso facto suspensi. Et si suspensionem huiusmodi per alium mensem extunc futurum sustinuerint, donec de predictis integre satisfecerint, ab officio sint suspensi. Quod si per alium mensem proxime sequentem suspensionem huiusmodi ab officio sustinere presumpserint, incurrant excommunicationis sententiam ipso facto, quam si per sex menses ex tunc secuturos pertinaciter toleraverint, prioratibus administrationibus et quibusvis aliis beneficiis que obtinuerint, sint ipso facto privati per illos, ad quos eorum collatio seu quevis alia dispositio pertinuerit, aliis personis idoneis libere committendis seu etiam conferendis. Abbates vero qui infra prefatos quindecim dies predicta per eos debita non solverint ut prefertur totam debitam quantitatem et ultra illam loco pene tertiam partem illius, quod debuerint, persolvere teneantur. Et si per tres menses dictos quindecim dies immediate sequentes quantitatem quam debuerint ipsamque tertiam partem loco pene non solverint, sint eisdem abbatibus stallus chori et locus capituli abbatialia, donec super his integre satisfecerint, penitus interdicta. Quod si interdictum huiusmodi per alios tres menses proxime secuturos sustinere presumpserint, sit ipsis ecclesie interdictus ingressus, quousque satisfecerint competenter integre de principali et tertia parte prefatis. Et nichilominus dicti abbates ac omnes et singuli supradicti dampna et expensas ac interesse, que ecclesie monasteria prioratus administrationes officia et loca huiusmodi sustinuerint, fecerint et incurrerint occasione retardate solutionis huiusmodi vel ob defectum predictorum reficere et solvere teneantur. Pene autem predicte quarte et tertie

FUNDACIÓ NOGUERA

partium predictarum in eos usus convertantur, in quos principales quantitates fuerant convertene. Sententie vero premisse auctoritate apostolica, ubi expediens videbitur in ordine seu religione huiusmodi contra ipsos contemptores valeant publicari, et quoties contumacia non solventium exegerit, aggravari per superiores qui locis prefuerint, quorum extiterit solutio retardata. Nec in eis valeat remissio seu gratia cuiuscumque nec tempus lapsum vel per negligentiam non potentium intelligantur remitti, vel possit iuri petendi prescribi. Absolutio autem dictarum sententiarum conpetit abbatibus prelibatis. Per hec autem penis aliis si quas dicti non solventes iuxta statuta vel ordinationes sedis apostolice aut ordinis seu religionis eiusdem seu quovis modo alias existerent incursuri, non intendimus in aliquo derogari.

[c. 22] Ceterum quia multum ordini seu religioni prefatis hactenus obfuit indiscreta receptio monacorum, statuimus et ordinamus ut per illos ad quos in ecclesiis cathedralibus monasteriis prioratibus decanatibus seu aliis locis quibuscumque ipsius ordinis seu religionis spectat creatio monacorum, deinceps non recipiantur aut induantur in monacos vel conversos nisi persone idonee vel de quarum idoneitate verisimiliter spes existat, et tales per quos inibi deo in divinis officiis congrue deserviri seu impendi valeant obsequia opportuna, et quod per eosdem ad quos ut premittitur creatio ipsa spectat, infra ecclesias monasteria prioratus decanatus huiusmodi seu alia conventualia loca ipsis subiecta et non alibi cum proborum consilio ecclesie monasteria prioratus decanatus aut loci huiusmodi, cui hi ad quos dicta creatio pertinet, prefuerint induantur nec per eos huiusmodi creatio habitus traditio seu receptio, nisi personis ordinis seu religionis eiusdem de cetero committantur, et quod infra tempus probationis ad loca alia, nisi conventualia fuerint, non mittantur. Decernimus quoque quod cum imminebit huiusmodi receptio facienda, si ad antistites abbates vel prelatos alios una cum capitulis vel conventibus eorundem seu cum eorundem consensu pertineat et capitula seu conventus huiusmodi vel eorum maior pars ad eam pure procedere vel receptioni huiusmodi pro eorum libito renuant consentire antistites abbates seu alii prelati post ipsos, eos moneant in virtute obedientie ut pure ac secundum deum et iuxta eorum conscientiam infra decem dies huiusmodi creationi seu receptioni consensum prestare procurent. Quod si forte id facere negligant vel recusent ad eosdem antistites abbates vel prelatos alios creatio seu receptio ipsa libere devolvatur, dummodo nil fraudulenter per eos actum fuerit in premissis. qui quidem antistites abbates et prelati alii in locis in quibus sexaginta monaci vel pauciores fuerint, cum consilio seniorum proborum et discretorum suorum capitulorum vel conventuum eligendorum per eos tertiam partem numero facien-

FUNDACIÓ NOGUERA

tium, in aliis vero locis in quibus monaci numerum sexagenarium excesserint, cum consilio seniorum proborum et discretorum ex eis dumtaxat eandem creationem et receptionem cum dei timore ac observantia regule de personis ut predicitur idoneis facere non postponant, aliorum contradictione in aliquo non obstante. Prohibemus insuper ne aliquis recipiatur in monacum ordinis seu religionis eiusdem, nisi statim induatur habitu monacali nec littere seu instrumenta super futura receptione monacorum aliquibus concedantur aut promissiones seu obligationes alie inde fiant. Ut autem adversus eos, qui tempore probationis elapso volunt regularis professionis votum emittere, nullius difficultatis obstaculum ingeratur, universis et singulis prelatis, ad quos pertinet suos monacos ad huiusmodi professionem recipere, duximus iniungendum ut omnes illos qui dicto tempore probationis elapso expresse profiteri voluerint, iuxta regularia instituta sine dilatione ac difficultate quibuslibet ad huiusmodi professionem admittant. Quod si facere sine rationabili causa recusaverint, tamdiu sint stallus chori et locus capituli abbatialia vel prioralia, ubi per priorem monasterium gubernatur, interdicta eisdem, donec prefatos ad professionem receperint antedictam. Et nichilominus id per visitatores provinciali capitulo referatur, ut per presidentes eidem capitulo debite puniantur, proviso attentius quod in ecclesiis cathedralibus monasteriis et aliis locis ordinis seu religionis huiusmodi non recipiantur plures monaci vel conversi, quam tot potuerint de ipsorum proventibus congrue sustentati. Licet autem precipiatur in supradicta constitutione sepedicti Honorii predecessoris nostri, ut in nullo monasterio ad prebendas ex tunc recipiant abbates vel monaci clericos seculares. Nos tamen super hoc expressius providere volentes ipsorumque monasteriorum et aliorum locorum ipsius ordinis seu religionis indemnitatibus, que plerumque contigerunt, propterea precavere, huiusmodi preceptum innovamus et etiam approbamus, et adiicentes prohibemus ne in ecclesiis cathedralibus monasteriis prioratibus conventualibus sive locis aliis eiusdem ordinis seu religionis prelati priores seu administratores alii vel capitula seu conventus eorum clericos seculares vel laicos, nisi eisdem ecclesiis monasteriis seu locis dederint se et sua, ullo modo recipiant ad prebendas nec eas aliquibus ad vitam vel ad tempus vendere seu concedere vel dare presumant, volentes quod venditio concessio seu datio, quas deinceps contra premissa fieri contigerit, sint irrite et inanes, nec ex venditione concessione seu datione huiusmodi eis, quibus facte fuerint, ius aliquod acquiratur. Et nichilominus conta hoc dantes et concedentes per superiores suos vel, si superiores eiusdem religionis non habuerint, per presidentes provincialibus capitulis pro eorum arbitrio puniantur.

FUNDACIÓ NOGUERA

[c. 23] Quamvis autem in constitutione Viennensis Concilii scilicet "Ne in agro"[32] de vestibus caputiis et sotularibus monacorum eorumque formis provide sit statutum, nos tamen premissis adiicimus, quod altitudo sotularium ipsorum tanta ad minus esse debeat, ut quatuor transversalium de tibia super cavillam spacium comprehendat, quodque nulli monaco eiusdem ordinis seu religionis portare caputium etiam fissum super humeros sit licitum quoquomodo, nisi prius ipsius caputii fissura et honestas alia per abbatem seu presidentem alium, ubi preest alius, fuerint arbitrate. Horum namque transgressores penas eo ipso incurrant, que portantibus sotulares non corrigiatos et alios aut caputia non fissa inflicte noscuntur per dictam constitutionem ipsius Concilii Viennensis. Adiiciendo quoque interdicimus expresse universis et singulis ipsius ordinis seu religionis monacis, quod nullus eorum de cetero rotundellum clochiam cucullam manicatam vel tabardatam seu epithogiatam aut in veste superiori habitui proxima manicas ligatas consuticias seu quomodolibet botonatas portare presumat, sed quales portare statuit prefata constitutio eiusdem Concilii Viennensis. Qui vero interdicti huiusmodi transgressor extiterit, auferatur ab eo per suum superiorem vestis ipsa transgressionis pauperibus eroganda, et nichilominus transgressor ipse per eundem superiorem sic alias debite puniatur, quo ceteri a similibus arceantur. Abbates autem in monasteriis et in cathedralibus ecclesiis monacalibus priores seu alii maiores in illis post eorum antistites ac priores seu alii non habentes superiores religionis eiusdem sic formam honestam vestium ac calceamentorum ordinent et disponant, quod sit omnibus monacis tam intrinsecus quam extrinsecus uniformis, ipsamque tam abbates quam priores et administratores quam ceteri quicumque monaci, priores videlicet et alii per proprios eorum abbates seu prelatos alios, abbates vero et ceteri abbates proprios monacos non habentes per presidentes provincialibus capituli seu per quemlibet eorundem ac per visitatores in ipsis capitulis deputandis tenere ac servare cogantur. Per premissa vero vel per ea, que in dicta constitutione Viennensis Concilii statuuntur, non intendimus quod in religionibus sive locis, in quibus abbates vel alii prelati locorum seu monaci eiusdem ordinis seu religionis uti caputiis vel sotularibus non solebant, ipsis uti licitum sit eisdem.

[c. 24] Statuimus insuper et etiam ordinamus quod nullus monacus ordinis seu religionis eiusdem de ecclesia cenobio seu alio loco conventuali exire presumat, nisi petita et obtenta licentia primitus ab eius superiore, qui eam valeat indulgere, quavis consuetudine con-

32. Conc. de Viena, càn. 14, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 370-373; Clementines 3.10.1, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici,* II, col. 1166-1168.

FUNDACIÓ NOGUERA

traria non obstante. Ipseque causam exitus vel itineris omni fictione cessante superiori exponat, dictusque superior licentiam huiusmodi, nisi ex causa rationabili non concedat. Et eis quibus illa concesserit, certum ad redeundum terminum prefigat, ut convenienter poterit breviorum, ipsosque salubriter exhortetur, a quibus extra monasterium habeant abstinere. Si quis vero monacus contrarium fecerit, teneatur satisfactionem illam vel penam subire, cui sine licentia de monasteriis suis seu locis exeuntes conservantur seu debent subiici in ordine seu religione prefatis. Ad ecclesias etiam vel monasteria seu loca huiusmodi redeuntes ad communionem aliorum monacorum seu fratrum, donec satisfactionem huiusmodi fecerint, nullatenus admittantur, que subiicitur esse talis, videlicet quod a porta regulari parlatorio seu alio loco consueto per claustrum cum magistro novitiorum vel alio ad hoc deputato ad capitulum veniat in staminea vel nudus secundum quarundam ecclesiarum monasteriorum et locorum religiosorum morem femoralia et caligas sine pedalibus tantum habens, cucullam seu scapulare vel floccum in brachiis ac ferulum in manibus suis ferens, cum quibus ibi prius venia recepta et sua recognita culpa coram omnibus publice verberetur. Demum vero per abbatem vel alium prelatum principalem si sit ibi aut priorem vel alium post abbatem seu per principalem prelatum huiusmodi penitentia seu pena levis aut gravis culpe sibi pro qualitate demeriti imponatur, secundum morem cuiuslibet ecclesie monasterii seu loci laudabiliter observatum, proviso attentius quod modum peccati modus correctionis nequaquam excedat. Pena quoque simili puniantur monaci in prioratibus seu administrationibus aliis exterioribus deputati, qui de illis redierint ad ecclesias vel monasteria seu loca conventualia predicta sine vocatione antistitis abbatis vel alterius prelati seu sine licentia eiusdem a priore vel administratore alio loci, in quo ut prefertur fuerint deputati, per patentes litteras eisdem dandas iustam causam licentie huiusmodi continentes. Nullusque monacus pernoctaturus extra ecclesiam monasterium vel alium locum suum permittitur abire sine cuculla regulari clausa necnon breviario, in quo servitutis sue pensum possit exolvere creatori.

[c. 25] Ordinamus etiam et volumus Lateranensis Concilii[33] de monacis singulis per villas vel oppida et parochiales ecclesias non ponendis supradictam Clementis predecessoris editam in dicto Concilio Viennensi constitutiones, ne ipsi singuli monaci in singulis sibi commissis administrationibus vel prioratibus habitare presumant firmiter observari. Statuimus insuper quod absque personarum delectu

33. III Conc. del Laterà, càn. 10, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 217; X 3.35.2, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 596-597.

FUNDACIÓ NOGUERA

transmittantur, cum faciendum fuerit, monaci per superiores eorum, prout locis congruere noverint et personis, et non prout priores seu administratores alii eos duxerint eligendos vel sibi per antistites abbates aut alios, ad quos hoc pertinet, petierint assignari. Quod si per ignorantiam vel errorem aliqui ad huiusmodi prioratus et administrationes ultra numerum constitutum vel constituendum missi forsan extiterint, priores seu alii administratores locorum ipsorum eos cum litteris suis causam huiusmodi exprimentibus et expensis conventibus ad superiores remittant eorum. Verum si cessante causa huiusmodi priores seu alii administratores predicti recusarint admittere aliquem ad se missum vel eis sufficienter in necessariis providere, tamdiu iidem priores seu administratores in claustro principali ecclesie monasterii seu loci ad modum claustralium sequendo capitulum seu conventum residentiam facere teneantur, ad gubernationem locorum sibi commissorum per superiores predictos, monacis aliis idoneis uno vel pluribus, prout superioribus ipsis videbitur subrogatis, donec dicti priores seu administratores plene paruerint in premissis, salvis nichilominus aliis rationabilibus penis statutis et consuetudinibus tales vel alios inobedientes in quibuscumque monasteriis vel locis ipsius ordinis vel religionis hactenus observatis. Monaci autem in prioratibus seu administratoribus cum dictis prioribus seu administrationibus commorantes in ecclesia horis congruis et locis cum dictis prioribus seu administratoribus simul sint et canonicas horas dicunt. Et in missis celebrandis suas hebdomadas ordinare ac tractim non sincopando humiliter et devote et horis competentibus, et cum nota ubi fuerint tres vel quatuor seu plures facere teneantur et in talibus locis ubi tres sint aut supra sunt, una per eos missa ad minus cum nota die qualibet celebretur. In unaquaque domo communi regularibus iaceant, camerulis et cellulis eis penitus interdictis. In domo insuper una prior et monaci vescantur, nisi infirmitas aut alia evidens ratio aliud interdum suaserit faciendum. In vestitu lectisterniis et tonsura a communi ecclesie monasterii seu loci cuiuscumque alterius superioribus eorundem institutione vel debita observantia non recedant. Monaci quoque suo priori vel administratori iuxta ordinationem antistitis abbatis vel superioris alterius obediant humiliter et devote. Prior autem vel administrator ipsos tractet fraterna in domino caritate, nec ipsi priores seu administratores monacos vel eorum socios extra prioratus vel administrationes morari faciant vel permittant aut a se remittere valeant absque superiorum suorum licentia, nisi ad ipsos superiores vel ecclesias monasteria seu alia loca principalia ex causa legitima et cum eorum priorum seu administratorum patentibus litteris et prout superius est expressum, proviso diligentius quod dicti priores vel administratores soli non remaneant in eisdem prioratibus vel admi-

FUNDACIÓ NOGUERA

nistrationibus. Imo ad residendum ibi continue compellant monacos antedictos et si eis obedire noluerint, superioribus notificent indilate, idemque faciant quando mori vel fugitivos fieri continget monacos prelibatos, diem mortis eorum in suis litteris exprimendo, ut in ecclesiis monasteriis seu locis aliis principalibus pro anima monaci defuncti fiant suffragia consueta, ac diem etiam fuge seu recessus eorum, ut fugitivos valeant revocare seu loco ipsorum alias subrogare. Quod si dum primo id sciverint, superioribus prefatis significare distulerint, ipsi priores vel administratores duplum illorum, que monacos, si fuisset ibidem, expendisset pro pitantia capituli ecclesie vel conventus monasterii seu loci alterius principalis solvere teneantur. Certos autem limites a priore vel administratore predictis prefixos ipsi monaci habeant, quos etiam causa deductionis seu recreceat sine prioris vel administratoris licentia speciali. Soli quoque numquam incedant, sed semper cum alio monaco vel alia honesta persona. In villa vero in qua fuerint prioratus vel administrationes huiusmodi, comedere seu bibere vel domos ingredi non presumant, nisi cum honestis personis et hoc de sui prioris vel administratoris licentia speciali. Qui autem premissa minime observaverint, regulari subiaceant discipline. Ut autem hec efficacius observentur, antistites abbates et superiores necnon alii, qui ad visitandum per eos fuerint deputati, cum prioratus et administrationes huiusmodi visitabunt circa illa servanda et non servata etiam corrigenda curam adhibeant diligentem.

[c. 26] Verum quia ad salutis profectum tenditur, si moderationis sobrietas et modestia observentur, volentes ea que circa esum et abstinentiam carnium beati Benedicti regularis institutio[34] tradidit et in constitutione pie memorie Innocentii pape III predecessoris nostri sunt statuta, firmiter observari. Statuimus et ordinamus quod per totum annum feria quarta et die sabbati et a prima dominica de adventu usque ad diem natalis domini et a dominica septuagesime usque ad diem Pasche omnes gentes regulares eiusdem ordinis seu religionis ab esu carnium ubique abstineant, nisi necessitas infirmitatis non ficte per abbatem vel alium prelatum proprium forte suadeat cum aliquo dispensandum. Diebus autem quibus monaci in infirmitorio carnes edent, sic provideatur omnino, quod in refectorio remaneat ad minus medietas monacorum capituli vel conventus, et idem fiat ubi abbas seu alius prelatus principalis aliquos ad domum seu ad cameram suam vocabit ad melius et plenius exhibendum. Quoties vero plures simul carnes in infirmitorio comedent, versus et oratio in principio mense ac post refectionem hymnus et versus dicatur et

34. Regula Benedicti 36, 9.

FUNDACIÓ NOGUERA

continuum discumbendo silentium observetur. Ibique legatur sicut in refectorio continue aliquid, quod edificet audientes, nullaque persona secularis ad comedendum inibi aliquatenus invitetur. Caveant autem abbates et alii prelati aliorum locorum ipsius ordinis seu religionis, ne seculares personas ad eorum mensas convocent, quarum occasione ipsi vel ordo seu religio huiusmodi denigrari valeant vel notari. Omnes insuper monaci vel, si multitudo non sint eorum, saltem quando plures ex ipsis commode poterunt, in una domo dormiant et iaceant iuxta regularia et canonica instituta, non per separatas cameras vel per cellas, exceptis his quibus in cameris vel cellis infirmitorii permittetur propter senectutem vel invaletudines corporales vel ex aliis rationabilibus causis iuxta dispositionem abbatis seu alterius eorum prelati, vel nisi propter administrationes seu officia super hec aliqui excusentur. Vestiti autem iaceant abbates priores administratores et monaci universi tam infra quam ubicumque extra monasterium constituti, lineisque camisiis, cum sint eis expresse prohibite non utantur. Transgressores vero premissorum, si abbates seu alii prelati abbates proprios non habentes fuerint, per presidentes vel visitatores provincialis capituli, ceteri vero per suos superiores prout culpe ac delinquentium qualitas exegerit, debite puniantur. Ceterum quia celle in dormitoriis inhonestates inducunt, statuimus et ordinamus quod in ipsis dormitoriis celle de cetero nulle fiant, et iam facte nullatenus dimittantur, sed per antistites in cathedralibus ecclesiis monacalibus et per abbates vel alios prelatos principales in monasteriis ac prioratibus et locis aliis per illos, qui eis prefuerint infra quatuor menses a tempore, quo statutum seu ordinatio huiusmodi ad eos pervenerit seu ordinatio huiusmodi ad eos pervenerit, eisque negligentibus seu non valentibus per visitatores in prima visitatione, quam impendant, auctoritate apostolica destruantur, et quod super his resistentes eisdem vel impedimentum aliquod prestantes seu prestari procurantes et ad hoc dantes auxilium consilium vel favorem publice vel occulte excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, a qua nequeant nisi per predictos visitatores absolvi, quos ipsi visitatores ad hoc per alia iuris et ipsius ordinis seu religionis remedia valeant auctoritate apostolica coarctare. Ipsi etiam visitatores quod super his invenerint vel fecerint, referant plene ac fideliter in subsequenti cuiuslibet provincie, in quam visitatores deputati extiterint, capitulo provinciali. Pro studentibus tamen provideatur iuxta dormitorium de cella, in quibus ipsi studere valeant, non iacere.

[c. 27] Monemus insuper universos priores administratores et monacos ipsius ordinis seu religionis in sacerdotio constitutos intra ecclesias monasteria et alia loca eorum conventualia residentes, ut eorum quilibet bis vel ter, qui vero in prioratibus vel aliis locis non

FUNDACIÓ NOGUERA

conventualibus aut in scholis sive alibi fuerint, etsi non frequentius saltem semel in septimana salva honestate et debita devotione missas studeant celebrare. Et nichilominus qui locis conventualibus presidebunt, in festis solennibus missas maiores conventales celebrent in eisdem. Alii vero non sacerdotes, etsi non sepius saltem singulis septimanis confiteantur et singulis mensibus iuxta constitutionem sepe dicti Clementis predecessoris editam in prefato Concilio Viennensi ad communionem accedant. Illi videlicet qui infra ecclesias monasteria seu alia loca conventualia erunt, in altari maiori, qui vero extra illa fuerint, ubi magis visum fuerit honestum eisdem, nisi abstineant ex causa rationabili et de licentia superioris aut confessorum suorum. Quod si negligenter emiserint, per eosdem superiores suos graviter arguantur et nichilominus debite puniantur. Per hec autem statutis vel consuetudinibus ecclesiarum monasteriorum seu locorum predictorum, in quibus observaretur, ut confiteri vel celebrari seu communicare frequentius habeant, non intendimus in aliquo derogare. Abbates insuper ac priores et ceteri non habentes superiores eiusdem religionis, qui eo amplius debent forma vite pollere, quo magis status prefulgent honore die qualibet rationabili causa cessante, missam celebrent vel audiant et in solennibus festis in suis monasteriis sive locis missas solennes studeant celebrare. Quamvis autem satis sit tam in regula beati Benedicti, quam in iure provisum quomodo in ecclesiis monasteriis et locis aliis conventualibus supradictis monaci convenire debeant ad divina officia diurna videlicet et nocturna atque psallere in eisdem, quia tamen hec negligenter omittunt, ut in eisdem ecclesiis monasteriis sive locis cum gravitate ac modestia humiliter et devote horis debitis ad divina officia universi et singuli monaci debeant convenire, ipsasque cum devotione sincera tractim distincte convenienter et debite celebrent, non transcurrendo aut sincopando, et quo ad alia que his impedimentum asserrent servando silentium, quinimo ad divina ipsa intentis precordiis attendendo. Transgressores vero premissorum debite subiaceant discipline. Ceterum qui ad chorum vel ad ecclesiam accedere nequiverint, predicationi lectioni studio seu administrationibus vel officiis suis aut piis sive licitis operibus de licentia illius, ad quem eam dare pertinuerint, occupati in loco alio congruo et honesto debitis horis iuxta possibilitatem plures simul conveniant et debite dicant divinum officium et quotidianum pensum exolvant debite servitutis.

[c. 28] Sane universis et singulis antistitibus prioribus decanis prepositis sacristis et administratoribus aliis, quibus hoc competit, in virtute obedientie districte iniungimus, ut ecclesias oratoria altaria vasa corporalia vestimenta et alia ornamenta ecclesiastica munda et

FUNDACIÓ NOGUERA

nitida conservent et faciant ab aliis conservari, quodque de breviariis missalibus aliisque libris et vestimentis ac ornamentis quibuslibet necessariis omnino provideant seu faciant provideri.

[c. 29] Insuper cum caveatur in supradicta constitutione dicti Clementis predecessoris edita in eodem Concilio Viennensi,[35] quod prioratus conventuales alicui, nisi vigesimumquintum annum attigerit conferri nequeant vel committi, et quod qui tales prioratus habuerint, infra annum computandum a tempore collationis seu commissionis sibi facte de illis et possessionis eorum adepte, se faciant ad sacerdotium promoveri, quod si cessante rationabili causa non fecerint, eo ipso dictis prioratibus sint privati. Nos pari ratione inducti, quod super his in prenominata constitutione causam existit, ad decanos prepositos et quoscumque alios presidentes locis conventualibus ordinis seu religionis eiusdem duximus extendendum, et hoc idem statuimus et decernimus existere similiter observandum in assumendis ad officia seu administrationes claustrales, que beneficia censebuntur ipsius ordinis seu religionis, etiam si officia seu administrationes huiusmodi curam non habeant animarum et quod de prioratibus non conventualibus curam animarum habentibus, etsi cura ipsa per seculares presbyteros habeat exerceri et assumptis ad eos ad sacerdotium promovendis ac eorundem etate in dicta constitutione cavetur. In decanatibus preposituris et aliis quibuscumque administrationibus non conventualibus similem curam habentibus ordinis seu religionis huiusmodi et in assumendis ad eos idem per omnia volumus observari.

[c. 30] Sane cum prior claustralis esse debeat potens in opere ac sermone, volumus et in virtute sancte obedientie districte precipiendo mandamus, ut instituatur ipse prior provides et discretus, prout in congregatione cathedralis ecclesie vel monasteriis seu alterius loci eiusdem ordinis seu religionis aptior poterit inveniri, sitque talis qui continue in capitulo seu conventu resideat claustrique curam et regimen exercere assidue teneatur.

[c. 31] Attendentes preterea fore quam plurimos monacos ipsius ordinis seu religionis, qui licet in vel sub alienis ecclesiis vel monasteriis, quorum unum ab alio non dependet, ex dispensatione supradicte sedis beneficia sint adepti, remanent tamen in primis ecclesiis seu monasteriis monaci nec ad ecclesias seu monasteria in vel sub quibus beneficia obtinent, sunt translati, propter que opportune providere

35. Conc. de Viena, càn. 14, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* p. 372; Clementines 3.10.1 § 7, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 1168.

FUNDACIÓ NOGUERA

volentes. Auctoritate apostolica statuimus et etiam ordinamus quod quivis ex monacis supradictis infra mensem post publicationem presentis constitutionis in suo provinciali capitulo faciendam, dictarum ecclesiarum seu monasteriorum alterum eligere teneantur. Quod si secundum elegerit, in quo vel sub quo beneficiatus extiterit, statim eo ipso eius verus monacus censeatur et esse desinat in priori, nisi forsan in huiusmodi ecclesia vel monasterio sic electo certus esset monacorum numerus et de ipso aliquis non deesset. Quo casu translationem ad ecclesiam vel monasterium sic electum differri volumus, donec aliquis de numero predicto defuerit et tunc in eius locum eadem auctoritate eo ipso noverit se translatum. Quod si secundam ecclesiam vel monasterium omnino elegerit ut prefertur prioratu administratione officio seu beneficio huiusmodi eo ipso noverit se privatum, et in prioris ecclesia vel monasterio remaneat monacus sicut prius dispensatione predicta contra presens statutum in nullo sibi penitus suffragante. Volentes nichilominus quod de prioratu administratione officio seu beneficio huiusmodi per eos, ad quos alias eorum collatio concessio seu quevis dispositio pertinet, non obstante contradictione cuiuspiam, libere disponatur, eos nichilominus qui contra constitutionem presentem huiusmodi prioratus administrationes officia seu beneficia in alienis ecclesiis seu monasteriis retinere presumpserant, penis constitutionis Bonifaciane "Cum singula"[36] capitula volumus subiacere, et nichilominus per superiores eorum graviter decernimus puniendos.

[c. 32] Rursum declaramus quod omnes monaci beneficia obtinentes in ordine seu religione huiusmodi ex collatione provisione vel ordinatione sedis apostolice aut legatorum executorum vel provisorum eiusdem seu per ipsius sedis vel per predictorum littera et qui ea obtinuerint in futurum, teneantur obedire superioribus suis eiusdem religionis eorumque subesse correctionibus ordinationibus punitionibus et statutis, et prioratibus administrationibus officiis seu quibuscumque beneficiis, que obtinent ut prefertur, et obtinuerint in futurum, ex causis rationabilibus privari valeant et ab illis etiam amoveri, ac si per superiores suos de suis beneficiis eis foret provisum.

[c. 33] Ceterum cupientes cultum divini nominis non minus sed potius augeri, sitque rationabile, ut quicumque beneficia regularia obtinent, onera debita et confueta supportent. Statuimus et ordinamus quod in monasteriis prioratibus et aliis beneficiis monacalibus personis quibuslibet extra ordinem seu religionem huiusmodi cuiuscumque sint dignitatis gradus seu preeminentie collatis vel commendatis seu

36. VI 3.4.32, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 1030-1031.

FUNDACIÓ NOGUERA

de cetero commendandis vel conferendis tot monaci teneantur, quot in eis tenebantur, cum per monacos monasteria prioratus et beneficia huiusmodi regebantur. Et quod nichilominus monaco in eisdem monasteriis prioratibus et beneficiis committatur id quod supra vel circa alios monacos inibi residentes haberet exercere administrator monacus, si preesset eisdem, quantum ad ea que pertinent ad regulam seu disciplinam vel observantiam regularem, et quod quilibet huiusmodi monasteria prioratus et beneficia quomodolibet obtinentes ad procurationes et alia quelibet onera imminentia persolvenda reddenda et supportanda auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam et alias sic per omnia compelli valeat per capitulorum presidentes, sicut per superiores possent et deberent compelli monaci, si preessent monasteriis prioratibus et beneficiis memoratis, nisi fuerint sancte Romane ecclesie cardinales, quos non decet aliorum compulsionibus subiacere.

[c. 34] Statuimus quoque et ordinamus quod si aliquod monasterium ipsius ordinis seu religionis lapsum in religione vel regulari observantia patiatur, qui per abbatem seu alium administratorem vel monacos eiusdem monasterii verisimiliter reparari non possit, per presidentes provinciali capitulo vel quemlibet eorundem ad requisitionem seu relationem visitatorum, prout eidem capitulo super hoc consulendo videbitur expedire, vel sine consultatione huiusmodi, si ex dilatione consulendi dictum capitulum periculum immineret, auctoritate apostolica assumantur de alio monasterio in cultu eiusdem religionis vigente, monaci idonei et ad dictum monasterium lapsum patiens transmittantur, inibi quamdiu expediens fuerit moraturi, per quos lapsus huiusmodi reparetur. Illi autem monaci ob quorum culpam alii transmittentur ad locum seu monasterium sic collapsum in dicto monasterio, de quo alii ut prefertur assumpti fuerit vel in diversis aliis monasteriis religione vigentibus, ubi eorum conditio valeat reformari per presidentes eosdem, prout expediens fuerit, eadem auctoritate apostolica collocentur.

[c. 35] Statuimus insuper et ordinamus, ut si alicuius monasterii seu loci eiusdem ordinis seu religionis repentinus aut novus in facultatibus suis lapsus vel aliquorum ipsius monacorum excessus monacos sic excedentes aut alios ad monasteria mitti exegerit aliena, presidentes prefati et eorum quilibet ad requisitionem seu revelationem prefatorum visitatorum, ubi provinciali capitulo prius videbitur et dilatio consulendi prefatum capitulum periculum non inducet, alioquin sine consultatione dicti capituli huiusmodi monacorum auctoritate predicta faciant ad tempus, de quo eis videbitur, missionem ad receptionem ipsorum. Abbates et alios prelatos principales ipsius

FUNDACIÓ NOGUERA

ordinis seu religionis, qui eos aliter recipere forte noluerint, compellentes. Nisi fuerit talis huiusmodi missorum conditio, quod sine gravi scandalo in monasteriis seu locis aliis, ad que missi fuerint, admitti vel tolerari non possint, vel nisi alias evidens et incalumpniabilis ratio ipsos abbates vel prelatos ad receptionem talium suaserit non existere compellendos. Quo casu ad alia monasteria vel loca modo simili transmittantur, contraria super his consuetudine non obstante et manente nichilominus illa consuetudine, quam super libera missione et receptione monacorum huiusmodi, alia monasteria sive loca inter se hactenus abuisse noscuntur aut ecclesias cathedrales monacales quantum ad missionem et receptionem monacorum eorum sub statu et ordinatione presentibus inclusas fore intelligimus et iubemus.

[c. 36] Plerumque siquidem contingit, quod nonnulli professores ordinum medicantium extiterint, de suorum superiorum qui tunc erant vel apostolica licentia quam se habere pretendunt, se ad ordinem seu religionem huiusmodi transtulerint, qui asserunt quod ex dispensatione dicte sedis possint vocem aut locum in capitulo habere ac prioratus administrationes seu officia monacalia licite obtinere. Nos igitur providere volentes, quod unde veriatis claritas pateat in premissis, universis et singulis antistitibus dictarum ecclesiarum necnon abbatibus et prioribus aliisque loca conventualia ipsius ordinis vel religionis obtinentibus, a quibus predicti translati esse noscuntur, mandamus ut auctoritate apostolica tales compellantur, quod licentiam et dispensationem huiusmodi legitimas, si quas habent, necnon titulum prioratuum administrationum seu officiorum, si qua obtinent, omnino exhibere procurent infra certum tempus, antistitum vel abbatum aliorumque predictorum arbitrio rationabiliter moderandum. Quod si non fecerint vel sufficientem licentiam et dispensationes prefatas non habuerint, predicti antistites abbates et alii non differant ipsos, prout iustum fuerit, ab ecclesiis monasteriis prioratibus administrationibus seu officiis huiusmodi amovere eosque a voce et loco capituli repellere aliasque debite procedere contra eos.

[c. 37] Porro quia nonnulli monaci contra prelatos vel superiores suos multa frequenter proponunt, nos ut omnia probent, quia nec possent, sed ut diffament de omnibus et probatis forsan illorum aliquibus finem consequantur optatum. Statuimus et etiam ordinamus quod nullus omnino monacus contra suum prelatum vel superiorem super crimine vel criminibus deinceps quomodolibet audiatur, nisi se prius obligaverit ad penam congruam, si defecerit in probatione propositorum vel alicuius ex eis irremissibiliter subeundam. Volumus tamen quod prelatus vel alius, si de criminibus legitime convincatur, iudicium non effugiat debite ultionis.

FUNDACIÓ NOGUERA

[c. 38] Ceterum quia pro eo quod conspiratores et coniuratores illiciti ordinis et religionis eiusdem, interdum ut expediebat puniti hactenus non fuerunt, multa mala et scandala in eisdem ordine seu religione sunt secuta, statuimus et ordinamus quod ipsi conspiratores et coniuratores, cum de conspiratione et coniuratione huiusmodi legitime convicti fuerint vel confessi, preter alias penas talibus a iure vel alias quovis modo infflictas, sint prioratibus administrationibus et beneficiis quibuslibet, que obtinuerint, eo ipso privati [...]di vero simplices claustrales fuerint, eo ipso sedantur inhabiles ad prioratus administrationes seu quevis alia beneficia ecclesiastica quomodolibet obtinenda. Contra conspiratores autem et coniuratores occultos seu non convictos vel non confessos, ut prefertur, per superiorem aut visitatores etiam pene alie prout expedire videbitur generaliter statuantur. Statuta namque et ordinationes suprascripta necnon cuncta et singula in illis expressa quemadmodum designatur modificatur et perstringitur in eisdem, ubique terrarum et locorum infra et per ordinem seu religionem huiusmodi eadem auctoritate volumus perpetuis futuris temporibus firmiter observari. Non obstantibus quibuscumque privilegiis indulgentiis exemptionibus vel litteris quibusvis ordinibus religionibus ecclesiis cathedralibus monasteriis seu aliis locis sub quacumque forma vel expressione verborum ab apostolica sede concessis. Necnon quibuslibet statutis et consuetudinibus ordinum religionum ecclesiarum cathedralium monasteriorum et aliorum locorum eiusdem ordinis seu religionis monacorum nigrorum Parisiensium et aliorum studiorum quorumcumque contrariis iuramentis confirmationibus apostolicis aut quibusvis privilegiis vel indulgentiis et litteris apostolicis generalibus et specialibus contrariis ecclesiis monasteriis locis et studiis quibuscumque sive universitatibus magistorum vel scholarium eorundem seu personis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis, cuiuscumque sint vel fuerint preeminentie dignitatis conditionis aut status sub quibusvis formis vel expressionibus verborum, ut pretangitur, a dicta sede concessis et ordinationibus ab eis vel pro ipsis factis, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi statutorum et ordinationum omniumque aliarum et singularum contentarum in eiusdem presentibus impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus plenam et expressam oporteat in illis vel in aliis nostris litteris fieri mentionem, seu si aliquibus a prefata sede indultum existat communiter vel divisim, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

[c. 39] Postremo volumus et mandamus ut ordinationes et statuta nostra huiusmodi et omnia alia et singula suprascripta, per que aliis

FUNDACIÓ NOGUERA

iuris solempnitatibus non intendimus in aliquo derogare, in singulis ecclesiis cathedralibus ac monasteriis et locis aliis conventualibus ipsius ordinis seu religionis subscriptura authentica perpetuo habeantur et fideliter conserventur et quod in singulis provincialibus capitulis quarumlibet provinciarum superius distinctarum et nichilominus bis quolibet anno in antea in singulis ecclesiis monasteriis et aliis locis conventualibus supradictis integre et attente legantur et etiam auscultentur.

Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum ordinationum voluntatum constitutionum deputationis inhibitionum declarationum provisionis prohibitionis concessionis innovationis approbationis monitionis extensionis et mandatorum infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Secundo.

949

1336 novembre 2, Avinyó

Benet XII comunica al rei Pere III d'Aragó i Sardenya (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de vuit mil florins d'or, a través de Joan Rodrigo de Moros, cavaller i ambaixador seu, lliurats a favor del rei Pere, a compte dels dos mil marcs d'argent anuals que ha de pagar com a cens pel feu de Sardenya i Còrsega, diferència que ha d'abonar abans de la pròxima festa de Sant Pere i Sant Pau.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 4.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 288, doc. 575.
c VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, col. 310-311, doc. 1135.
d COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 82, doc. 48.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 244, doc. 5654.

BENEDICTUS XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum et Sardinie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pro parte tua fili carissime propositum extitit coram nobis, quod pro regno Sardinie et Corsice quod a nobis et ecclesia Romana sub certis vassallagio homagio ligio ac fidelitatis iuramento aliisque serviciis pactis conventionibus et conditionibus expressis in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis tenes in feu-

FUNDACIÓ NOGUERA

dum, ad solutionem census annui duarum milium Marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festivitate beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis Romano pontifici et ecclesie memorate sicut in eisdem litteris continetur plenius teneris astrictus. Cum autem pro termino festivitatis eorundem apostolorum proxime iam elapse de dicto censu duorum milium marcharum predictarum, que quidem duo milia marche singulis earum pro quatuor florenis auri sex denariis Turonensiun grossorum argenti et singulis florenis pro undecim denariis dictorum Turonensium grossorum et novem denariis monete Coronatorum, singulis vero Turonensibus grossis argenti pro tresdecim denariis dicte monete Coronatorum computatis, computationeque ac reductione facta legitima de monetis ad monetas huiusmodi ad summam novem milium vigintisex florenorum auri et quatuor solidorum dicte monete Coronatorum ascendunt, octo milia florenorum auri per manus dilecti filii nobilis viri Iohannis Roderici de Moros militis nuncii tui debito tempore iuxta prorogationes gratiose per nos inde tibi factas nostre camere duxeris die dat. presentium persolvenda. Nos volentes tuis ac heredum tuorum indempnitatibus super hiis providere, solutionem huiusmodi de dictis octo milibus florenorum auri eidem camere ut premittitur de censu factam predicto ratam habentes et gratam te ac heredes predictos necnon tua et eorum bona de dictis octo milibus florenorum prelibate camere ut prefertur solutis absolvimus tenore presentium et quitamus. Et nichilominus super solutione mille vigintisex florenorum auri quatuor solidorum dicte monete Coronatorum restantium de summa novem milium vigintisex florenorum auri quatuor solidorum dicte monete Coronatorum predicta pro complemento integre solutionis predictarum duarum milium Marcharum pro censu debitarum eodem et computatarum ut expressum est superius ad solvendum tibi usque ad primam dominicam instantis proximo Quadragesime terminum de spetiali gratia prorogamus, adiecto tamen specialiter et expresse, quod propter prorogationem huiusmodi pactis conventionibus et aliis contentis in supradictis litteris nullatenus derogetur, quodque si quod absit in solutione dictorum mille vigintisex florenorum auri quatuor solidorum dicte monete Coronatorum in prorogato tibi termino huiusmodi deficeres memorate camere facienda, extunc prout exnunc penis et sentenciis subiaceas in litteris supradictis contentis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis quitationis et prorogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, IIII Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Secundo.

FUNDACIÓ NOGUERA

950

1336 desembre 1, Avinyó

Benet XII mana a l'arquebisbe de Tolosa (Guillem de Laudun), al bisbe d'Elna (Guiu de Terrena) i a l'abat del monestir de Mas d'Azil d'Arieja, diòcesi de Rius (Alta Garona), que preservin i defensin el bisbe (Arnau de Llordat) i capítol d'Urgell, i no permetin que ningú no els molesti durant dos anys.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla amb fil de cànem.
b VIDAL, *Benoît XII*, *lettres communes*, I, p. 297, doc. 3271.

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Tholosano et .. episcopo Elnensi ac dilecto filio .. abbati monasterii Mansiasilis Rivensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie licet immeriti disponente domino presidentes circa curam omnium ecclesiarum et maxime cathedralium solertia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii earum occuramus dispendiis et profectibus divina cooperante clementia salubriter intendamus. Sane venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum capituli Urgellensium conquestione percepimus, quod nonnulli archiepiscopi et episcopi et alii ecclesiarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose quam etiam seculares exempte et non exempte necnon comites barones nobiles milites et laici communia civitatum universitates castrorum villarum et aliorum locorum et alie singulares persone civitatum et diocesium et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra villas et alia loca terras domos possessiones iura et iurisdiciones necnon fructus census redditus et proventus ecclesie Urgellensis et nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad episcopum et capitulum predictos communiter et divisim spectantia et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus prestant auxilium consilium vel favorem. Nonnulli etiam civitatum diocesium et partium predictarum, qui nomen domini recipere in vacuum non formidant, eisdem episcopo et capitulo super predictis castris villis et locis aliis terris domibus et possessionibus iuribus iurisdicionibus fructibus censibus redditibus et proventibus et aliis bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus et temporalibus ad eosdem episcopum et capitulum communiter vel divisim spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas. Quare dicti episcopus et capitulum nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem redatur valde difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes

FUNDACIÓ NOGUERA

eisdem episcopo et capitulo remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel per alium seu alios etiam si sint extra, loca in quibus deputati estis conservatores et iudices prefatis episcopo et capitulo efficacis defensionis presidio assistentes non permittatis eosdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad dictos episcopum et capitulum communiter et divisim spectantibus ab eisdem vel quibuscumque aliis indebite molestari vel eis gravamina seu dampna vel iniurias irrogari facturi dictis episcopo et capitulo, cum ab eis vel procuratoribus suis castrorum villarum terrarum et aliorum locorum iurisdicionum iurium et bonorum immobilium et mobilium reddituum quoque et proventuum et aliorum quoruncunque bonorum necnon de quibuslibet molestiis atque dampnis presentibus et futuris in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit iustitie complementum. Occupatores seu detentores presumptores et iniuriatores et molestatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles cuiuscunque dignitatis status ordinis vel condicionis extiterint quandocunque et quotienscunque expedierit auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri[37] in quibus cavetur, ne aliqui extra suam civitatem et diocesim, nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesium earundem trahere presumant seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et violentiis et aliis, que iudicialem indaginam exigunt penis in eos, si secus egerint et in id procurantes adiectis, conservatores se nullatenus intromittant dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, quam aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus quam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis que vestre possent in hac parte iurisdicioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede

37. IV Conc. del Laterà, càn. 37, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 251-252; X 1.3.28, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 31; VI 1.3.11, 1.14.15, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 941-942, 982-983.

FUNDACIÓ NOGUERA

indultum, quod excommunicari suspendi vel interdici seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis locis ordinibus et nominibus propriis mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdicionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus quod quolibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus quodque a datum presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdicio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et iurisdicio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset. Constitutione predicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Presentibus post biennium minime valituris.

Dat. Avinione, Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Secundo.

951

1337 març 19, Avinyó

Benet XII comunica al rei Pere III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de mil florins d'or i quatre sous coronats, a través de Bernat Massana, mercader de València, lliurats a favor del rei Pere. Aquesta quantitat és la diferència que li mancava satisfer de l'import anual del cens pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 5.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 289, doc. 577.
c VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, col. 363, doc. 1269.
d COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 86, doc. 69.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 246, doc. 5662.

FUNDACIÓ NOGUERA

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum Sardinie et Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum de summa duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum, ad quam solvendam nobis et ecclesie Romane in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli proximo preterito ratione census annui per te nobis et eidem ecclesie debiti pro regno Sardinie et Corcice quod a nobis et ipsa ecclesia sub certis vassalagio homagio ligio ac fidelitatis iuramento aliisque servitiis pactis conventionibus et conditionibus expressis in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis tenebaris astrictus, que quidem summa tunc in novem milibus vigintisex florenis auri et quatuor solidis monete Coronatorum, marcha qualibet pro quatuor florenis et sex denariis Turonensium grossorum argenti singulisque florenis pro undecim denariis dictorum Turonensium grossorum et novem denariis Coronatorum, dictis vero Turonensibus grossis singulis videlicet pro tresdecim denariis eiusdem monete Coronatorum computatis solvi debebat mille vigintisex floreni auri et quatuor solidi dicte monete Coronatorum solvendi super quibus tibi dilationes tam per litteras nostras usque ad primam dominicam presentis Quadragesime, quam etiam postmodum verbotenus usque ad diem dat. presentium gratiose duxerimus concedendas, restarent tuque fili carissime dictos mille vigintisex florenos et quatuor solidos Coronatorum ad solvendum de summa predicta, ut prefertur, restantes per manus dilecti filii Bernardi Massana mercatoris Valentini nostre camere duxeris eadem die dat. presentium persolvendos. Nos volentes tuis et heredum tuorum indempnitatibus super hiis providere te ac heredes predictos necnon tua et ipsorum bona de dictis mille vigintisex florenis auri et quatuor solidis Coronatorum, ut superius est expressum, camere memorate solutis absolvimus tenore presentium et quitamus, volentes nichilominus ac etiam decernentes cum sic nostre intentionis fuerit, quod propter prorogationes predictas pactis conventionibus et aliis contentis in supradictis litteris apostolicis super concessione regni eiusdem confectis nullatenus derogetur.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Tertio.

952

1337 març 21, Avinyó

Benet XII prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que deixi d'envoltar-se de servents sarraïns pel servei de taula i cambra, i com a instructors de tir, als quals admet en col·loquis íntims i familiars,

FUNDACIÓ NOGUERA

i, àdhuc, alguna vegada, en vesteix els vestits, en perjudici del seu bon nom; prengui, en canvi, servents cristians i, igualment que molts prínceps, tingui un devot capellà i resi amb devoció les hores canòniques.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 6.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, col. 365-367, doc. 1271.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 289, doc. 578.
d COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 86, doc. 70.

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Si recolende memorie progenitorum tuorum regum Aragonum, qui se divinis coaptantes beneplacitis ac virtuosis et strenuis actibus insudantes odore fame resplenduerunt celebris, laudabilia gesta diligenter attenderis et studiose revolveris intra precordia mentis tue, illa profecto te fili carissime invitabunt et instruent illis rebus intendere illisque studiis inherere, que tibi divinam graciam inpetrent et laudem apud homines titulis regie dignitatis acquirant. Ad hec igitur nos, qui paterne dilectionis affectu te domumque tuam regiam prosequentes, actus tuos per vias rectas declinatis et postpositis deviis quibuslibet dirigi cupimus, te libenter inducimus et paternis exhortationibus invitamus. Habet siquidem fame diffuse per orbem celebritas quod dicti progenitores inter cetera laudabilia facta sua erga deum et ecclesiam sanctam suam devotione sincera velut principes catholici prefulgentes et circa dilatationem fidei orthodoxe ferventes adversus hostes eiusdem fidei Sarracenos videlicet illius perfidi Machometi cultores qui aliqua regna et terras occupata detinebant in illis partibus arma sumpserunt strenue, ipsosque quos velut dei hostes et blasfemos christiani nominis detestabantur et aborrebant divina fulti potentia viriliter expugnarunt, ac regna et terras huiusmodi de dictorum infidelium eripiendo manibus ea gloriosis obtinuerunt triumphis, nec dubium creditur quin extunc Sarraceni quicumque posteris predecessorum tuorum predictorum et domui regie propterea specialiter et etiam generaliter cum christianorum sanguinem et exterminium ficiant, quicquid ostendant exterius, hostes existant invidi emuli et exosi. Cum autem tu fili dilectissime, sicut multorum fidedignorum relatio nostris auribus inculcata sepius ad nos usque perduxit, quanta tibi tuisque saluti honori et fame imineant et iminere possint pericula ex familiaritatibus Sarracenorum cum qua deberes diligentia consideranter attentis, que premisimus non advertens nonnullos Sarracenos etiam iuvenes agiles et effrenes tam in mensa, dum tibi cibus ministratur et potus, quam camera et

FUNDACIÓ NOGUERA

locis aliis tecum nimis familiariter sinas esse, ipsos admittendo ad tua obsequia et colloquia familiaria tam publice quam private, necnon et quod horendum auribus fidelium merito redditur, non erubescis gestare quandoque vestes ritui Sarracenorum similes, non sufficimus admirari, et utinam diligenter attendisses et attenderes quod talia, per que salvatorem nostrum graviter offendere nosceris, tecum in familiares tenendo persecutores sui nominis et blasphemos, nequaquam se gestis predecessorum tuorum predictorum conformant, attentaque meditatione intra pectoris claustra revolveres quantum ex hiis fama regii nominis et honoris, preter pericula persone tue proprie, que nomparum ex dicta Sarracenorum familiaritate, si considerentur circumstancie circa hec attendende formidanda sunt proculdubio laceratur, nec si tua dixerit excellentia quod Sarraceni predicti te in bellicis actibus et armorum exerciciis instruunt excusaris abinde, cum christianos fideles in eis partibus habeas circa talia ut intelleximus magis doctos, et si ab ipsis Sarracenis velles in talibus instrui eos tamen propter hoc ad secreta et familiaria colloquia et obsequia sic prope te admittere non deberes. Ideoque magnificentiam rogamus regiam et in domino attentius exhortamur eidem paterno sanoque consilio nichilominus suadentes, quatinus premissis in examine regie considerationis adductis quibusvis Sarracenis a tuis obsequiis et familiaritatibus ac secretis colloquiis elongatis penitus et ammotis ac abiectis perpetuo talibus vestibus que decori et pulcritudini christiane religionis obviant et claritatem regie dignitatis offuscant, catholicos viros tibi ac regnis et terris tuis fideles etatis provecte boni testimonii et consilii ac discretionis maturitate pollentes, qui te adulationibus non decipiant nec abire permittant in precipitium voluntatis, sed pocius salutem honorem et famam tuam diligant, tam in mensa quam camera et locis aliis ubi agetur de hiis que persone tue fuerint necessaria vel negocia secreta seu alia tractabuntur tecum habeas continue quorum consiliis utilibus et salubribus, postpositis puerilibus levitatibus que statum dedecent regium, ad dei honorem et tui dilatationem honoris et nominis dirigaris. Insuper erga deum per quem regnas et regeris te humilem exhibeas et devotum, capellam habendo et tenendo secundum statum regium iugiter congruam ac missas et horas canonicas cum mentis devotione sincera, sicut alii reges catholici deum timentes et diligentes faciunt, diebus singulis audiendo ut illum quem auferentem spiritum principum propheta dicit apud omnes reges terre terribilem habere semper tibi merearis propicium, qui te custodiat et dirigat, diesque tuos ad suum beneplacitum et rei utilitatem publice sua benignitate protrahat in longevum sicque te fili dilectissime in hiis et aliis virtuosis actibus dictorum tuorum predecessorum laudanda imitando super predictis et aliis vestigia exerceas tuamque solides iuventutem ut cum

FUNDACIÓ NOGUERA

ad etatem provectiorem dante domino perveneris et curis amplioribus fueris implicatus assueta portes suavius ac magnis in bonis operibus delecteris. Sic itaque nichil tui deperibit magnitudini, sed continue felicibus incrementis proficies rectiusque nomen regis et meritum divina tibi assistente gracia obtinebis.

Dat. Avinione, XII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Tercio.

953

1337 juny 22, Avinyó

Benet XII mana a l'ardiaca (de Santa Maria) del Mar, a Ferran Peiró, canonge de l'església de Barcelona, i al prior dels frares de l'orde dels predicadors de Barcelona decidir la qüestió entre el prior i el convent de Santa Anna del Sepulcre del Senyor de Jerusalem de Barcelona, orde de sant Agustí, i el vicari general de Barcelona, sobre una certa suma de diners; els anima a no dictar cap censura eclesiàstica sense manament de la Seu Apostòlica.

A Barcelona, Arxiu Diocesà, Col·legiata de Santa Anna, Pergamins, carpeta 4, núm. 8.

a Butlla amb fil de cànem.

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. archidiacono de Mari et Ferrario Peyroni canonico ecclesie ac .. priori fratrum ordinis Predicatorum Barchinonensis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii .. prior et conventus domus sancte Anne Barchinonensis ad Sepulcrum dominicum Ierosolimitanum spectantis ordinis sancti Augustini petitione monstrarunt, quod cum .. vicarius generalis venerabilis fratris nostri .. episcopi Barchinonensis asserens quod predictus episcopus dilectis filiis Bertramino electo Theatino et magistro Henrico de Ast canonico Ambianensi capellano nostro apostolice sedis nuntiis in partibus illis tunc in civitate Barchinonensi existentibus certam summam pecunie pro eorum necessariis exhibuerat et quod predicti nuntii prout ex potestate quam ipsos in hac parte a dicta sede per ipsius sedis litteras habere dicebat, eidem vicario commiserant ut taxaret et distribueret huiusmodi summam pecunie inter ecclesias et personas ecclesiasticas civitatis et diocesis Barchinonensis dictasque personas ad solvendum eidem episcopo predictam summam pecunie iuxta taxationem et distributionem huiusmodi per censuram ecclesiasticam coartaret et quod idem vicarius auctoritate litterarum et commissionis huiusmodi dictam summam pecunie inter ecclesias et personas predictas distribuerat et taxarat prefatos priorem et conventum auctoritate predictarum litterarum moneri fecisset et mandari

FUNDACIÓ NOGUERA

eisdem, ut quandam summam pecunie quam eos iuxta taxationem et distributionem huiusmodi contingere asserebat, eidem episcopo solvere procurarent pro parte dictorum prioris et conventus fuit coram eodem vicario excipiendo propositum, quod cum priori et fratribus ecclesie dicti Sepulcri Ierosolimitani dicti ordinis per speciale dicte sedis privilegium, cui non est in aliquo derogatum, esset indultum, ut ipsi seu priores aut rectores vel fratres prioratuum ecclesiarum domorum ad dictum Sepulcrum spectantium ad exhibitionem procurationum vel cuiuslibet subsidii faciendam archiepiscopis et episcopis aut quibuscunque ordinariis vel ecclesiarum prelatis seu etiam legatis et nuntiis dicte sedis minime teneantur nec ad id compelli possint sine speciali mandato sedis eiusdem faciente plenam et expressam de Sepulcro dominico et indulgentia huiusmodi mentionem dictaque domus sancte Anne tempore concessionis dicti privilegii ad dictum Sepulcrum spectaret, prout per exhibitionem dicti privilegii et alias erant legitime probare parati et in eisdem litteris de Sepulcro et indulgentia huiusmodi nulla mentio haberetur nec aliqua clausula in eis esset inserta, per quam huiusmodi privilegii obstaculum tolleretur sicut ex earum tenore liquido apparebit dictus vicarius ad monitionem et mandatum huiusmodi processerat minus iuste dictique prior et conventus sancte Anne eisdem monitioni et mandato parere minime tenebantur et ad id compelli de iure non poterant nec debebant. Et quia predictus vicarius eos super hoc audire contra iustitiam recusavit, pro parte dictorum prioris et conventus sancte Anne sentientium exinde indebite se gravari ad dictam sedem extitit appellatum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Non obstante indulgentia qua fili prior ordini tuo a sede apostolica dicitur esse concessum ut ipsius ordinis fratres non teneantur se intromittere de quibuscunque negotiis, que ipsis per eiusdem sedis litteras committuntur, nisi in eis de concessione huiusmodi plena et expressa mentio habeatur. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, x Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Tertio.

FUNDACIÓ NOGUERA

954

1338 agost 17, Avinyó

Benet XII prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que no doni crèdit a rumors tendenciosos, nats d'unes paraules imprudents de Berenguer de Volta, procurador de Violant d'Espina, vídua del dèspota de Grècia, proferides a la cúria reial de Robert de Sicília (Nàpols), amenaçant-lo amb represàlies en cas que no fes efectiu el dot a Violant. El papa li garanteix que aquest rei està disposat a restituir el que sigui de justícia, i ell, a influir perquè així sigui.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 8.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, col. 568-569, doc. 1956.
c RUBIÓ I LLUCH, *Diplomatari de l'Orient Català*, p. 221, doc. 169.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 290, doc. 579.
e COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 91, doc. 98.

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Litterarum carissimi in Christo filii nostri Roberti regis Sicilie illustris nobis per ipsum missarum serie percepimus hiis diebus, quod licet rex ipse dilecto filio Berengario de Voltarne procuratori dilecte in Christo filie nobilis mulieris Iolande Despine relicte quondam despoti Grecie super repetitione dotis eiusdem Despine pridem in eiusdem regis curia existenti se reddidisset et redderet in exhibenda iusticia super hoc seu amicabili compositione tractanda favorabilem et benignum, procurator tamen predictus minus prudenter in hac parte se gerens nec honori et dignitati regie deferens, ut debebat, tam in curia predicta quam per civitatem Neapolitanam ad verba indecentia et inordinata prorupit et inter cetera, que presumptione temeraria veritus non est loqui, asseruit comminando quod per gentes tuas fili carissime, cum sicut tua sublimitas ignorare non debet ex confederationibus olim inter tuam et eiusdem regis domos inclitas non sine variis laboribus et solicitudinibus studiosis initis ac affinitatibus et parentelis, ex quibus proles processerunt inclite, roboratis provenerint et proveniant provenireque sperentur imposterum largiente domino utrique domui multa bona, prefatusque rex sic inviolabiliter observaverit hactenus conventiones et pacta in confederationibus supradictis contenta, quod nunquam asseritur aliquid per quod infringi valerent quomodolibet attemptasse, regiam rogamus excellentiam et in domino attentius exhortamur, quatinus premissa et alia que circumspectioni regie circa hec possunt occurrere in examine regie considerationis

FUNDACIÓ NOGUERA

adducens dicto procuratori vel cuiquam alii, qui velut minister Sathane verba que dicte confederationes violari vel rancores odia inter te dictumque regem, qui te ac tuum honorem et commodum sincere diligit, suscitari valerent conaretur proferre, aures non accomodes credulas nec eius assertionibus, cum talis te ac tuam utilitatem non diligat, sed venetur potius lucra propria, nullatenus acquiescas. Super solutione autem dotis eidem Despine prestanda rex predictus paratus est et erit, ut pro certo percepimus, se quantum cum honestate iusticie poterit promptum propicium et favorabilem exhibere, ad quod nos eciam si necesse fuerit ipsum efficaciter inducemus. Porro cum memoratus rex .. exhibitorem presentium super predictis providerit specialiter destinandum precibus nostris adicimus, ut eum benivolentia regalis benigne recipiat favorabiliter, audiat et expediat gratiose.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Quarto.

955

1338 desembre 8, Avinyó

Benet XII comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que faculta el mestre Joan Bernardo, clergue de la diòcesi de Saragossa, procurador seu, per absoldre'l de l'excomunió en la qual ha incorregut per no fer efectius els dos mil marcs d'argent, pagadors anualment el dia de Sant Pere i Sant Pau, com a cens pel feu de Sardenya i Còrsega, i l'adverteix que, tanmateix, hi incorrerà de nou en cas que no els aboni abans de Nadal.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 9.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 290, doc. 580.
c VIDAL, *Benoît XII, lettres communes*, II, p. 79, doc. 6075.
d VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, col. 620, doc. 2134.
e COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 91, doc. 100.

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum ex eo quod de censu duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum ad quem solvendum nobis et ecclesie Romane in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis pro regno Sardinie et Corsice, quod a nobis et eadem ecclesia sub certo vassallagio homagio ac fidelitatis iura-

FUNDACIÓ NOGUERA

mento aliisque serviciis pactis conventionibus et conditionibus tenes in feudum, sicut in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis plenius continetur, teneris astrictus pro termino dicti festi proximo preteriti nec in eo nec etiam infra quatuor menses extunc subsequentes nobis et ecclesie memorate satisfactum extitit, esses excommunicationis sentencia innodatus. Nos attendentes quod ad solutionem dicti census nobis et eidem ecclesie infra instans festum Nativitatis dominice cum effectu pro termino dicti festi apostolorum eorundem proximo iam elapsi prestandam, te disponis et volentes te favore prosequi gracie specialis, te in personam dilecti filii magistri Iohannis Bernardi clerici Cesaraugustane diocesis procuratoris tui, qui super hoc mandato sufficienti suffultus absolutionis beneficium ab eadem excommunicationis sentencia pro te humiliter postulavit, duximus tenore presentium absolvendum. Adiecto tamen specialiter et expresse quod nisi de dicto censu infra instans festum Nativitatis dominice nobis et ecclesie memorate satisfactionem impenderes cum effectu in eandem excommunicationis sentenciam recidas ipso facto.

Dat. Avinione, VI Idus Decembris, pontificatus nostri anno Quarto.

956

1338 desembre 21, Avinyó

Benet XII prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que posposi la citació feta a Jaume III de Mallorca, per tractar del reconeixement de certs drets en litigi fins la festivitat de Sant Joan Baptista vinent o per quan s'entrevisti amb ell, ja que està molt ocupat a preparar la defensa dels seus regnes contra l'amenaça del rei Garporum (Abū-l-Hasan, soldà de Marroc), que intenta devastar Hispània.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 7.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, XVI, p. 73, cap. 49.
c VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, col. 626-627, doc. 2151.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 291, doc. 581.
e COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 92, doc. 101.

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Qualiter inmanis hostis ille catholice fidei rex Garporum videlicet ad regnorum Ispaniarum exterminium et confusionem aspirans, se ut habet rumor implacidus et infestus, ad invadendum

FUNDACIÓ NOGUERA

et occupandum regnum Maioricarum et insulas adiacentes, in quibus videt cultus eiusdem fidei, conflatis viribus disposuerit et disponat, excellentiam tuam fili carissime credimus non latere. Cum autem carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem ad resistendum hostis predicti malicie regnumque suum in manu forti, sicut opus fuerit, defendendum multos laboriosos et sumptuosos facere oporteat, ut intelleximus, apparatus, magnificentiam regiam attentius deprecamur, quatinus premissis que non solum te fili dilectissime regnaque tua, quin etiam reges alios Ispaniarum dinoscuntur contingere, consideranter attentis, a citatione seu vocatione dicti regis Maioricarum, quam ad certum terminum fecisse occasione quarundam recognitionum diceris, absque tui et sui iuris preiudicio usque ad instans festum Nativitatis beati Iohannis baptiste vel quousque ad nostram veniens presentiam nobiscum, qui super hoc ut inter te et ipsum unitatis et pacis federa, sicut exigunt iura sanguinis remaneant solida, partes nostras interponemus, libenter colloquium habueris et tractatum, sic prompte ac benivole velis pro nostra et apostolice sedis reverentia suspendere vel differre, quod dictus rex non impediatur super apparatu predicto nec scintilla discordie, que utrique periculosa esset presertim hiis temporibus, valeat quomodolibet suboriri.

Dat. Avinione, XII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

957

1339 març 22, Avinyó

Benet XII prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, per tal que davant l'amenaça d'una invasió a Hispània pel soldà del Marroc (Abū-l-Hasan), desisteixi de la declaració de guerra amb el seu parent Jaume III de Mallorca, secundat per Alfons XI de Castella, i posposi la seva entrevista amb aquell fins la festa de Sant Miquel (29 de setembre).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 41, núm. 10.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, XVI, p. 107, cap. 73.
c VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, col. 663-665, doc. 2286.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 291, doc. 582.
e COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 93-94, doc. 112.

FUNDACIÓ NOGUERA

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Tam litterali quam verbali relatione displicibili admodum et infesta percepimus, quod hostis antiquus humani generis emulus caritatis et pacis ibi sue virus nequicie diffundere satagens, ubi se amplius existimat obfuturum, inter te carissime fili et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem propinquis tibi sicut nosti nexibus sanguinis et affinitatis coniunctum, periculosa nimis dissidia nititur suscitare, sicque vos invicem periculosius commovere, ut pretextu illorum, que per te fili dilectissime petuntur ab eodem rege pro regno et terris suis, rege ipso dicente ut asseritur se credere modo quo petuntur ad ea non teneri, ad guerrarum deo displicibiles et utrique vestrum periculosissimos fremitus et congressus bellicos prorumpitis hinc inde. Nos igitur qui te prefatumque regem et domos vestras regias paterne dilectionis affectu prosequimur et gerimus in visceribus caritatis, innumera dispendiosa discrimina, que commotiones huiusmodi si quod absit procederent, secum trahunt, presertim hiis temporibus quibus ille profanus hostis et crudelis adversarius orthodoxe fidei, .. Marrochitanus rex scilicet ad christianorum exterminium ac invasiones offensiones et occupationes terrarum tuarum et ipsius regis Maioricarum, ut habet rumor vulgaris, aspirans multos ad hoc apparatus facere dicitur, attendentes diligentius et eis obviari salubriter cupientes, regiam rogamus excellenciam et in domino attentius exhortamur, quatinus ea que premisimus nec non quam graviter deum offenderes quantumque maculam in tui nominis gloria poneres, si regem eundem Maioricarum sic ut premittitur tibi coniunctum, cuius progenitores et predecessores de tua domo Aragonum inclita descenderunt, offerentes per invasiones hostiles quantaque gaudii et exultationis materia exinde prefato regi Marrochitano et Sarracenis aliis suis valitoribus et complicibus prestaretur, et insuper quanta expensarum et sumptuum profluvia bellicus unius regis adversus alium apparatus exposcit, quodque belli eventus existere dubius noscitur et incertus, in examine recte considerationis adducens, et advertens nichilominus diligenter quod nondum inter te ac carissimum in Christo filium nostrum .. regem Castelle illustrem, qui favere regi prelibato Maioricarum dicitur, nondum concordia plenarie solidata, ut fertur, maius posset ex premissis dispendiosum scandalum suboriri. Et demum hec et alia multa que tibi circa premissa possunt occurrere, ponens et statuens prudenter et provide ante oculos mentis tue, propositum tuum si forsan circa guerram faciendam contra regem Maioricarum predictum conceperis, omnino velit tua serenitas deserere et in melius commutare, ut videlicet per communes amicos, viros utique fideles et expertos in talibus, qui litigia

FUNDACIÓ NOGUERA

et iurgia odiant, pacem zelentur et concordiam ac tuum et memorati regis Maioricarum statum affectent pacificum ac honorem et commodum diligant, hinc inde communiter eligendos, exhorta dissensionis huiusmodi materia per viam pacis et tractatus amicabilis sopiatur. Hoc quidem deo qui pacem diligit et in viris delectatur pacificis gratum erit admodum, utrique vestrum honorabile et attentis omnibus circunstanciis multipliciter oportunum. Et ut hec perfici melius et utilius valeant, gracia suffragante divina precibus et exhortationibus nostris adicimus, ut terminum vocationis ipsius regis Maioricarum velit tua sublimitas usque ad instans festum beati Michaelis mensis Septembris seu saltem donec ad nos te venire continget favorabiliter et benigne sine omni iuris tui preiudicio suspendere vel etiam prorogare. Tunc enim cum in nostra fueris presentia, nos pro tua et eiusdem regis Maioricarum concordia, rege ipso si oportuerit ad eandem presenciam evocato, efficaciter interponere proponimus partes nostras. Et attende quesumus fili amantissime, quod rex ipse credere asserit litteras de quibus nobis pridem scripsisti destinare tue celsitudini absque suo magno preiudicio quousque aliter declaratum extiterit, se non posse. Quamobrem super concessione dilationis huiusmodi sicut expressum est superius iterum te rogamus.

Dat. Avinione, XI Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Quinto.

958

1339 juny 26, Avinyó

Benet XII comunica al rei Pere III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de dos mil marcs d'argent, a través d'Arnau Ombau i Ferrer de Manresa, ciutadans de Barcelona, procuradors reials, lliurats a favor del rei Pere, com a cens corresponent a l'any anterior pel feu de Sardenya i Còrsega. Al mateix temps, l'absol de les censures en les quals ha incorregut per la morositat en el pagament.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 11.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 292, doc. 583.
c VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres interessant les pays autres que la France*, I, col. 709, doc. 2425.
d COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 95, doc. 119.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 252, doc. 5682.

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum Sardinie et Corsice illustri salutem

FUNDACIÓ NOGUERA

et apostolicam benedictionem. Cum censum annuum duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festivitate beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis pro regno Sardinie et Corsice, quod a nobis et ecclesia Romana sub certis vassallagio homagio ligio et fidelitatis iuramento aliisque certis pactis conventionibus et conditionibus expressis plenius in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis tenes in feudum Romano pontifici et ecclesie memorate sub excommunicationis et aliis penis prout plenius continetur in eisdem litteris solvere tenearis, dictumque censum duarum milium marcharum argenti termino festivitatis eorundem apostolorum proxime preterito nobis et ecclesie prelibate debitum in novem milibus sexcentis decemseptem florenis auri minus quatuor denariis Coronatorum monete singulis marchis predictis pro quatuor florenis auri duodecim solidis octo denariis monete Avinionensis et singulis florenis eisdem pro quindecim solidis et octo denariis dicte monete computatis per manus dilectorum filiorum Arnaldi Umbaldi et Ferrarii de Minorissa civium Barchinonensium camere nostre die dat. presentium duxeris persolvendum. Nos tuis supplicationibus inclinati, solutionem huiusmodi factam ut premittitur, pro eodem termino proxime iam elapso ratam habentes et gratam de predictis duabus milibus marchis in novem milibus sexcentis decemseptem florenis auri minus quatuor denariis Coronatorum pro eodem festivitatis apostolorum ipsorum lapse proxime termino ratione census eiusdem solutis et computatis ut superius exprimitur, te ac heredes et successores tuos necnon tua et ipsorum bona imperpetuum absolvimus et quitamus. Et nichilominus tuis supplicationibus fili carissime gratiosius annuentes te ab excommunicationis sentencia et aliis penis spiritualibus, quas ratione solutionis dicti census in festivitate predicta proximo preterita vel extunc infra tempus in prefatis litteris comprehensum non prestite incurreras, duximus tenore presentium absolvendum. Non intendentes propter premissa vel aliqua eorundem sicut nec intelleximus hactenus contentis in supradictis litteris in aliquo derogare nec aliquid super eis immutare ymo ea volumus et intelligimus in sua persistere roboris firmitate.

Dat. Avinione, VI Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quinto.

959

1339 setembre 5, Avinyó

Benet XII concedeix al rei Pere III d'Aragó, Sardenya i Còrcega (el Cerimoniós) una nova pròrroga fins a la festa de Sant Andreu (30 de

FUNDACIÓ NOGUERA

novembre), per prestar-li el jurament de fidelitat i vassallatge pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 12.
a Butlla amb fil de seda.
b VIDAL, *Benoît XII*, *lettres communes*, II, p. 201, doc. 7359.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 292, doc. 584.

BENEDICTUS XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro Aragonum ac Sardinie et Corsice regi illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sublimitatis tue sincera devotio progenitorum tuorum immitata vestigia, qui erga obsequia sedis apostolice insignium exhibitione operum claruerunt, non immerito promeretur, ut personam tuam graciosis favoribus prosequamur. Sane dudum ex certis rationabilibus causis nobis pro parte tua propositis diversis vicibus per certos terminos successive terminum, infra quem iuramentum fidelitatis ac vassallagium et homagium ligium pro regno Sardinie et Corsice, in quo clare memorie Alfonso Aragonum ac Sardinie et Corsice regi genitori tuo legitime successisti, nobis et Romane ecclesie prestare et facere tenebaris, de fratrum nostrorum consilio usque ad proximum futurum festum beati Michaelis archangeli de speciali gracia duximus prorogandum. Volentes itaque adhuc ex rationabilibus causis nobis per nuncios tuos expositis super hoc tibi graciam facere ampliorem. Nos tuis supplicationibus inclinati, dictum terminum a prefato festo beati Michaelis usque ad proximum futurum festum beati Andree apostoli de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica tenore presentium duximus prorogandum. Ita tamen quod infra huiusmodi prorogationis terminum huiusmodi ligium homagium vassallagium plenum facere et iuramentum fidelitatis prestare nobis tenearis omnino sub debita forma comprehensa in apostolicis litteris felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri super concessione dicti regni inclite memorie Iacobo Aragonum Sardinie et Corsice regi avo tuo eiusque heredibus certis modis et conditionibus contentis in ea facta. Alioquin huiusmodi prorogationis gracia nullius penitus sit momenti. Salvis tamen predictis modis conventionibus et conditionibus in eisdem litteris eiusdem predecessoris Bonifacii comprehensis, quibus per hoc nullum volumus preiudicium generari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre prorogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Septembris, pontificatus nostri anno Quinto.

FUNDACIÓ NOGUERA

960

1339 novembre 12, Avinyó

Benet XII concedeix a la reina Maria d'Aragó, a petició pròpia, seixanta dies d'indulgència a aquells que, havent confessat, escoltin la paraula de Déu mentre ella hi és present.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 13.
a Butlla perduda.
b VIDAL, *Benoît XII, lettres communes*, II, p. 202, doc. 7374.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 292-293, doc. 585.

BENEDICTUS (XII) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Marie regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Eximie tue devotionis sinceritas exigit, ut petitiones tuas quantum cum deo possumus ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut quotienscunque per predicationis ministerium in tua presentia publice proponi contigerit verbum dei, proponens verbum huiusmodi possit auctoritate apostolica omnibus vere penitentibus et confessis ibidem presentibus si tamen ei officium predicandi competat, sexaginta dies de iniunctis eis penitentibus misericorditer relaxare devotioni tue tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Idus Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

961

1339 novembre 12, Avinyó

Benet XII concedeix a la reina Maria d'Aragó, a petició pròpia, el privilegi de l'altar portàtil.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 14.
a Butlla perduda.
b VIDAL, *Benoît XII, lettres communes*, II, p. 202, doc. 7375.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 293, doc. 586.

BENEDICTUS (XII) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Marie regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis tue sinceritas promeretur ut votis tuis in hiis presertim que ad tue salutem anime cedere valeant, quantum

FUNDACIÓ NOGUERA

cum deo possumus favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut tibi liceat habere altare portatile, super quo cum debita reverentia et honore in locis congruentibus et honestis possis missam et alia divina officia per proprium et alium sacerdotem ydoneum in tua presentia facere celebrari sine iuris preiudicio alieni devotioni tue tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Idus Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

962

1339 novembre 12, Avinyó

Benet XII concedeix a la reina Maria d'Aragó, a petició pròpia, indulgència plenària després de la seva mort.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 15.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 293, doc. 587.

BENEDICTUS (XII) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Marie regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis tue sinceritas promeretur ut votis tuis in hiis presertim que ad tue salutem anime cedere valeant, quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut confessor tuus quem duxeris eligendum, omnium peccatorum tuorum de quibus corde contrita et ore confessa fueris semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra et successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti auctoritate apostolica concedere valeat devotioni tue tenore presentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda eam tibi per te si supervixeris vel per heredes tuos si tunc forte transieris faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini ut prefertur, et ne quod absit propter huiusmodi gratiam reddans proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

FUNDACIÓ NOGUERA

Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Idus Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

963

1339 novembre 16, Avinyó

Benet XII concedeix al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) la facultat perquè el seu confessor pugui concedir-li la plena remissió a l'hora de la mort.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 16.
a Butlla amb fil de seda.
b VIDAL, *Benoît XII, lettres communes*, II, p. 183, doc. 7145.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 294, doc. 588.

BENEDICTUS XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex tue devotionis affectu quo nos et Romanam ecclesiam revereris, ut petitiones tuas illas presertim que anime tue salutem respiciunt ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus quem duxeris eligendum omnium peccatorum tuorum de quibus corde contritus et ore confessus fueris semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei et unitate sancte Romane ecclesie ac obediencia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti auctoritate apostolica concedere valeat devotioni tue tenore presentium indulgemus, sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te si supervixeris vel per heredes tuos si tunc forte transieris fatiendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur. Et ne quod absit propter huiusmodi graciam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Quinto.

FUNDACIÓ NOGUERA

964

1339 novembre 16, Avinyó

Benet XII concedeix al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), a petició pròpia, el privilegi de poder elegir confessor per absoldre'l dels pecats no reservats a la Seu Apostòlica.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 17.
a Butlla amb fil de seda.
b VIDAL, *Benoît XII, lettres communes*, II, p. 202, doc. 7377.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 294, doc. 589.

BENEDICTUS XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Benigno illa sunt tibi concedenda favore per que sicut pie desideras conscientie pacem ac salutem anime deo propitio consequaris. Hinc est quod nos tuis devotis postulationibus inclinati tibi auctoritate apostolica indulgemus, ut aliquem ydoneum et discretum presbiterum in tuum possis eligere confessorem, qui quotiens tibi fuerit oportunum, confessione tua diligenter audita pro commissis "tibi "debitam absolutionem impendat et iniungat penitentiam salutarem, nisi forte talia fuerint propter que sedes apostolica sit merito consulenda. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Quinto.

965

1340 maig 15, Avinyó

Benet XII prega i requereix al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), a precs de Sanç d'Aragó, castellà d'Amposta de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, que lliuri a aquest orde els llocs i castells que foren de l'orde del Temple, singularment el lloc d'Horta, en compensació dels seus del regne de València que li cediren per establir-hi l'orde de Santa Maria de Montesa, conforme fou convingut entre Climent V i el rei Jaume II d'Aragó.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 18.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 294-295, doc. 590.

FUNDACIÓ NOGUERA

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad illa te fili salubribus monitis et apostolicis precibus libenter inducimus, que mentem tuam a divine maiestatis offensa retrahant et ad perficiendum eius beneplacita te inducant. Sane dilecti filii Sanctii de Aragonia castellani Emposte fratris Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani relatione percepimus, quod dudum felicis recordationis Iohannes papa XXII predecessor noster in recompensationem bonorum que dictum hospitale habebat in regno Valentie, de quibus idem predecessor dotavit ordinem Militie sancte Marie de Montesia ad supplicationem clare memorie Iacobi regis Aragonum avi tui tunc viventis univit et applicavit omnia bona quondam ordinis Templi in regno Aragonum constituta eo modo quo ipse ordo Templi tenebat et possidebat hospitali prefato, quorum bonorum dispositionem felicis recordationis Clemens papa V predecessor noster in sublatione dicti quondam ordinis Templi ordinationi apostolice reservarat et quod nuper tu qui bona hospitalium et piorum locorum progenitorum tuorum imitando vestigia, a quibus xenodochia et hospitalia in dicto regno consistentia fuerunt piis liberalitatibus augmentata teneris pro posse defendere et tueri iurisdictiones et alia iura ratione unionis et applicationis predicte ad dictum hospitale spectantia in locis et castris, que quondam fuerunt eiusdem Templi et maxime in loco de Orta consistentia contra conventionem inter Romanam ecclesiam et prefatum Iacobum regem tunc viventem initam occupari fecisti et eisdem iurisdictionibus et iuribus taliter occupatis uteris tanquam tuis in divine maiestatis offensam et eiusdem hospitalis non modicum preiudicium et gravamen, propter quod idem castellanus cui administratio et regimen bonorum dicti hospitalis consistentium in regno Aragonum per dilectum filium .. magistrum eiusdem hospitalis generaliter sunt commissa, ad nos duxit humiliter recurrendum. Quocirca serenitatem regiam affectuose rogandam duximus et etiam requirendam, quatinus divini amoris intuitu et ob reverentiam sedis apostolice atque nostram prudenter attendens quod ea que sunt hospitalibus et aliis piis locis a Christi fidelibus dedicata ad prophanos usus transferri non debent quecunque super iurisdictionibus et iuribus prelibatis per officiales tuos vel alias de tuo mandato fuerint attemptata in pristinum statum reducas seu reduci facias et in possessione iurisdictionum et aliorum iurium locorum et castrorum predictorum dictum hospitale permittas consistere pacifice et quiete prout illa hactenus pacifice et quietius dictus quondam ordo Templi antequam esset cassatus seu sublatus noscitur possedisse, a quibuscunque aliis gravaminibus inferendis hospitali predicto penitus abstinendo ipsumque in suis iuribus et iurisdictionibus integre conservando nec factum

FUNDACIÓ NOGUERA

seu delictum alicuius fratris seu commendatoris hospitalis eiusdem ad lesionem seu dampnum hospitalis eiusdem aliquatenus te inducat, cum delictum persone in dampnum dicti hospitalis non debeat redundare, iuxta canonicas sanctiones. Preces autem huiusmodi tuam respicientes salutem pariter et honorem sic ad plene exauditionis deducas effectum, quod eidem hospitali fructuose reddantur nosque tue devotionis promptitudinem in hac parte dignis possimus in domino laudibus commendare.

Dat. Avinione, Idus Maii, pontificatus nostri anno Sexto.

966

1340 juny 9, Avinyó

Benet XII comunica al rei Pere III d'Aragó i Sardenya (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de dos mil marcs d'argent, a través dels procuradors reials Hug Desvilar, mercader de València, i Antoni de Colell, canonge de Sant Feliu de Girona, lliurats a favor del rei Pere com a cens corresponent a l'any anterior pel feu de Sardenya i Còrsega. Al mateix temps, l'absol de les censures en què ha incorregut per la morositat en el pagament.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 19.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 295, doc. 591.
c VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, II, col. 50, doc. 2788.
d COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 96-97, doc. 131.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 255, doc. 5691.

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum et Sardinie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro regno Sardinie et Corsice, quod a nobis et ecclesia Romana sub certis vassallagio homagio ligio et fidelitatis iuramento aliisque certis pactis conventionibus et conditionibus expressis plenius in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis tenes in feudum censum annuum duarum milium Marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festivitate beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis Romano pontifici et ecclesie memorate sub excommunicationis et aliis certis penis prout plenius continetur in eisdem litteris solvere tenearis, dictumque censum duarum milium Marcharum argenti pro termino festivitatis eorundem apostolorum proximo preterito nobis et ecclesie supradicte debitum in novem milibus florenorum auri, marcha qualibet pro quatuor florenis auri cum

FUNDACIÓ NOGUERA

dimidio computata, per manus dilecti filii Hugueti Desvilar mercatoris Valentini videlicet die secunda mensis Maii proximo preteriti septem milia quadringentos et die dat. presentium mille sexcentos florenos auri camere nostre duxeris persolvendum. Nos tuis supplicationibus inclinati, solutionem huiusmodi de dicto censu factam pro termino festi eorundem apostolorum proximo iam elapso sicut premittitur ratam habentes et gratam de predictis duabus milibus marcharum argenti in dictis novem milibus florenorum auri ratione census eiusdem solutis et computatis ut superius exprimitur te ac heredes et successores tuos necnon tua et ipsorum bona imperpetuum absolvimus et quitamus. Et insuper tuis devotis supplicationibus annuentes, te ab excommunicationis sentencia et aliis penis spiritualibus, quas ratione solutionis dicti census in termino tibi per nos graciose ultimo prorogato non prestite incurreras, in personam dilecti filii Antonii de Colello canonici ecclesie sancti Felicis Gerundensis procuratoris tui duximus tenore presentium absolvendum, non intendentes propter premissa vel aliqua eorundem aut quecunque alia sicut nec intelleximus hactenus contentis in predictis litteris in aliquo derogare nec aliquid super eis immutare, immo ea volumus et intelligimus in sua persistere roboris firmitate.

Dat. Avinione, V Idus Iunii, pontificatus nostri anno Sexto.

967

1340 octubre 31, Avinyó

Benet XII mana a l'abat del monestir d'Arle, diòcesi d'Elna, i a Ramon Florí, canonge d'Urgell, que s'informin sobre l'assumpte que alguns canonges d'Urgell van prendre durant sis anys la major part dels rèdits i aliments d'aquesta església i que l'en assabentin.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla perduda.
b VIDAL, *Benoît XII, lettres communes*, II, p. 291, doc. 8208.

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. abbati monasterii Arulensis Elnensis diocesis et Raymundo Flori canonico Urgellensi salutem et apostolicam benedictionem. Ad audientiam apostolatus nostri fidedigni [relatione pervenit quod nonnulli] canonici ecclesie Urgellensis in eadem ecclesia residentes propriis commodis inhiantes maiorem partem reddituum et proventuum eiusdem ecclesie ad eos et alios canonicos eiusdem ecclesie pertinentium usque ad sex annos sibi ipsis pro parvo longeque minori precio, quam arrendari consueverit arrendarunt in canonicorum aliorum eiusdem ecclesie

FUNDACIÓ NOGUERA

evidens preiudicium et gravamen quodque in eadem ecclesia cultus divinus negligitur et alias per canonicos et alios clericos servitores et ministros eiusdem ecclesie multi committuntur excessus plurimique in divinis officiis et aliis dicuntur esse defectus, qui celeris correctionis et reformationis noscuntur officio indigere. De vestre igitur circumspectionis industria specialem in domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus ad predictam ecclesiam vos personaliter conferentes presente vobiscum venerabili fratre nostro Arnaldo episcopo Urgellensi, si interesse voluerit de fructibus redditibus et proventibus capituli canonicorum dicte ecclesie quomodo videlicet dudum consueverint arrendari et quantum communibus annis valere possunt qualiaque sunt onera et expense ordinaria et extraordinaria eisdem canonicis incumbentia et que officia singuli canonici habentes prebendas seu dignitates in eadem ecclesia et quem cultum divinum "facere "inibi teneantur et quid fieri consuevit de fructibus prebendarum canonicorum absentium non privilegiatorum eiusdem ecclesie necnon et de statu dicte ecclesie et qualiter divinus cultus inibi celebretur et de aliis circumstantiis universis premissa contingentibus et respicientibus eiusdem ecclesie honestatem ac bonum statum et divini cultus augmentum diligentius inquiratis et quecunque super hiis inveneritis, fideliter per manum publicam in scriptis redacta sub sigillis vestris nobis destinare curetis, ut ea que in dicta ecclesia corrigenda reformanda et statuenda fuerint, possint in ea auctore domino corrigi statui et etiam reformari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gracia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum quod interdici suspendi et excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Volumus insuper quod ad pleniorem informationem nostram super premissis habendam unum vel duos ex canonicis eiusdem ecclesie de statu et conditionibus ipsius ecclesie plenam noticiam obtinentes post huiusmodi inquisitionem per vos prehabitam ex parte nostra peremptorie citare curetis eis certum competentem peremptorium terminum prefigentes, quo nostro conspectui personaliter se presentent, informaturi nos plenius de premissis et visuri quod pro bono statu ipsius ecclesie duxerimus ordinandum. Diem vero citationis et prefixionis huiusmodi et formam nobis per vestras litteras harum seriem continentes intimare curetis.

Dat. Avinione, II Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Sexto.

FUNDACIÓ NOGUERA

968

1341 abril 27, Avinyó

Benet XII mana al convent del monestir d'Àger de l'orde de sant Agustí, diòcesi d'Urgell, que el nou abat Guillem, prior de Montmagastre, nomenat amb el seu consentiment, rebi la fidelitat deguda pel seu servei.

A Àger, Arxiu Històric, núm. 1587.
a Butlla perduda.

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis conventui monasterii Agerensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Augustini Urgellensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Suscepti cura regiminis cor nostrum continua pulsat instantia, ut solicitudinis debitum ad quod universis orbis ecclesiis et monasteriis nos apostolice servitutis necessitas obligat eorum singulis prout nobis ex alto concorditur exolvamus in eo potissime, ut illorum regimina que viduitatis deplorat incommoda et que presertim ad Romanam ecclesiam nullo pertinent mediante personis talibus committamus per quarum solertiam circumspectam et solertem circumspectionem ecclesie ac monasteria supradicta in spiritualibus et temporalibus valeant adaugeri. Dudum siquidem monasterio vestro per obitum quondam Hugonis abbatis [dicti] monasterii, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris regimine destituto vos vocatis omnibus qui debuerunt voluerunt et potuerunt commode interesse die ad eligendum prefixa ut moris est convenientes in unum ac spiritus sancti gratia invocata deliberantes in ipsius electionis negotio per viam procedere compromissi in tres de vobis fidedignos videlicet dilectos filios Guilelmum Ferrarii prepositum, Iacobum Pictoris camerarium et Petrum Ferrandi precentorem dicti monasterii unanimiter et concorditer conpromittere curavistis concessa eis providendi de se vel aliis ea vice dicto monasterio de abbate plena et libera potestate usque ad certi temporis spatium duratura promittentes illum in vestrorum et dicti monasterii abbatem recipere et habere, in quem dicti compromissarii concorditer dirigerint vota sua, qui quidem compromissarii huiusmodi potestate recepta secedentur in partem post multos et diversos tractatus inter sese cum diligentia solerti habitos tandem in Guilelmum priorem prioratus Montmagustrensis vestro monasterio immediate subiecti ordinis et diocesis predictorum in sacerdotio constitutum vota sua unanimiter direxerunt dictusque Guilelmus Ferrarii ex potestate sibi a vobis tradita et de mandato collegorum ipsorum ac vice sua et eorundem collegorum ibidem presentium ac predictorum conventus nomine eum infra dicti temporis spatium in abbatem elegit monasterii vestri ac deinde electionem huiusmodi per vos concordi-

FUNDACIÓ NOGUERA

ter acceptatam solemniter publicavit eumque postmodum electioni huiusmodi de eo facte illius eidem presentato decreto ad instantiam vestram consentiens ad sedem apostolicam personaliter accessit tam idem per se ipsum quam vos per vestrorum certos procuratores et nuntios ydoneos ad nos propter hoc specialiter destinatos presentato nobis huiusmodi electionis decreto a nobis cum instantia humiliter petiistis, ut electionem ipsam confirmare de benignitate sedis eiusdem dignaremur in premissis omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos igitur electionem ipsam sueque persone merita per venerabilem fratrem Gaucelinum Albanensem episcopum et dilectos filios nostros Petrum tituli sancti Clementis presbiterum et Iohannem sancti Angeli diaconum cardinales examinari fecimus diligenter et facta nobis ab eisdem episcopo et cardinalibus super hoc relacione plenaria et fideli, quia predictam electionem invenimus de eo, viro vite laudabilis litterarum scientia predito religionis observantia morumque honestate decoro in spiritualibus provido et in temporalibus circumspecto et aliis virtutum meritis redimito canonice celebratam ipsam de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica confirmamus eumque vestro monasterio Agerensi preficimus in abbatem curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente domino actus suos vestrum monasterium Agerense per sue circumspectionis industria suumque ministerium studiosum regetur utiliter et prospere dirigetur. Quocirca universitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus predictum Guilelmum abbatem debita honorificentia prosequentes ei fidelitatem solitam necnon consueta servitia et iura sibi a vobis debita exhibere integre studeatis, alioquin sententiam sive penam quam idem abbas rite tulerit seu statuerit in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Dat. Avinione, v Kalendas Maii, pontificatus nostri Anno Septimo.

969

1341 abril 30, Avinyó

Benet XII confirma Jaume Sitjó, canonge de Lleida, com a bisbe electe d'aquesta diòcesi, per l'òbit del bisbe Ferrer (Colom).

A Lleida, Arxiu Capitular, Calaix 10, Pergamí núm. 22.
a Butlla amb fil de cànem.
b VIDAL, *Benoît XII*, *lettres communes,* II, p. 315, doc. 8412.
c ENJUANES i altres, *Catàleg de l'Arxiu Municipal de Lleida*, p. 89-90, doc. 135.

FUNDACIÓ NOGUERA

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Iacobo Ciionis electo Ilerdensi salutem et apostolicam benedictionem. In suppreme dignitatis fastigio licet immeriti presidentes super gregem dominicum, nostre vigilantie creditum vigilis speculatoris officium gerimus circa illa potissime intentum animum dirigendo curamque impendendo solicitam, per que comoda salutis proveniant animarum, que prout firma spes suggerit ex eo facilius et efficatius subsequi poterunt, si ecclesiis pastorum regimine destitutis, personas preficiamus ydoneas easque viris providis committamus, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam et providentiam circumspectam salubriter dirigant et informent ac bona ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter, sed etiam multimodis efferant incrementis. Olim siquidem bone memorie Ferrario episcopo Ilerdensi Ilerdensis ecclesie regimini presidente, nos cupientes ipsi ecclesie cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam, provisionem eiusdem ecclesie dispositioni nostre ac dicte sedis ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane si secus super hoc per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Ferrarii episcopi qui dudum in partibus illis debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari, te ipsius ecclesie canonicum et in presbiteratus ordine constitutum per formam compromissi in episcopum Ilerdensem licet de facto concorditer elegerunt tuque reservationis et decreti predictorum ut asseritur inscius electioni huiusmodi consensisti ac deinde reservatione et decreto prefatis ad tuam et ipsorum capituli deductis notitiam, ad sedem predictam personaliter accessisti, et tam tu quam prefati capitulum per eorum certos procuratores et nuntios ydoneos ad nos propter hoc specialiter destinatos exponi fecistis huiusmodi electionis negotium in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem ipsam utpote post et contra reservationem et decretum huiusmodi attemptatam, reputantes prout erat irritam et inanem ac ad provisionem ipsius ecclesie prosperam et felicem, de qua nullus preter nos se hac vice intromittere potest reservatione et decreto predictis obstantibus, ne longe vacationis deploraret incomoda paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem, quam ad preficiendum ipsi ecclesie personam utilem per quam posset preservari a noxiis et adversis ac in suis manuteneri iuribus et etiam adaugeri, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum considerantes dictorum capituli concordem te eligentium voluntatem ad te litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum aliisque multiplicium virtutum meritis,

FUNDACIÓ NOGUERA

sicut ex testimoniis fidedignis accepimus insignitum direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus paterna meditatione pensatis de persona tua nobis et eisdem fratribus consideratione premissorum accepta, eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus teque illi preficemus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque tenentes quod dirigente domino actus tuos prefata Ilerdensis ecclesia per tue circumspectionis industriam tuumque ministerium studiosum votivis proficiet prosperitatis commodis et honoris. Iugum igitur domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens, ipsius ecclesie commissum tibi regimen sic exercere studeas solicite fideliter et prudenter quod eadem ecclesia sponso utili et gubernatori provido gaudeat se commissam tuque provide premium retributionis eterne ac nostram et eiusdem sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis.

Dat. Avinione, II Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Septimo.

970

1341 juny 17, Avinyó

Benet XII comunica al rei Pere III d'Aragó i Sardenya (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de dos mil marcs d'argent, a través de Ferrer de Canet, cavaller, conseller i procurador reial, lliurats a favor del rei Pere com a cens corresponent a l'any anterior pel feu de Sardenya i Còrsega, els quals no es feren efectius el dia de Sant Pere perquè s'havien d'atendre altres necessitats.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 20.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 295-296, doc. 592.
c VIDAL - MOLLAT, *Benoît XII, lettres intéressant les pays autres que la France*, II, col. 165-166, doc. 3103.
d COSTA, *Documentos pontificios para la Corona de Aragón*, p. 100, doc. 155.

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Ferrario de Caneto militi consiliario carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum et Sardinie illustris salutem et apostolicam benedictionem. Tua coram nobis exhibita petitio continebat quod cum carissimus in Christo filius noster Petrus rex Aragonum et Sardinie illustris censum annuum duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum nobis et ecclesie Romane in festivitate beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis solvendarum in

FUNDACIÓ NOGUERA

Romana curia ubicunque fuerit debitum pro regno Sardinie et Corsice, quod a nobis et eadem ecclesia sub eodem censu ac certis vassallagio homagio ligio et fidelitatis iuramento aliisque pactis conventionibus et condicionibus expressis plenius in litteris apostolicis olim super concessione dicti regni confectis tenet in feudum persolvere in et pro termino festi eorundem apostolorum proximo preteriti nequiverit certis suis necessitatibus prepeditus. Tuque die dat. presentium dictum censum duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum pro dicto termino eiusdem festi apostolorum ipsorum proximo preteriti per manus tuas nomine dicti regis in novem milibus florenorum auri singulis marchis predictis pro quatuor florenis cum dimidio computatis nostre camere duxeris persolvendum, nobis humiliter supplicasti ut eiusdem regis et tuis providere indempnitatibus super hiis de benignitate solita dignaremur. Nos igitur supplicationi huiusmodi benignius inclinati eandem solutionem dicti census factam ut premittitur pro dicto termino festi eorundem apostolorum proxime iam elapsi in dictis novem milibus florenis auri ut superius exprimitur computatis ratam habentes et gratam prefatum regem ac heredes et successores suos in eodem regno teque ac sua et tua bona de dictis duabus milibus marchis debitis pro dicto termino et solutis prefate camere per manus tuas in predictis novem milibus florenis auri sicut superius est expressum, absolvimus tenore presentium et quitamus.

Dat. Avinione, XV Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Septimo.

971

1341 octubre 3, Avinyó

Benet XII anuncia al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que després de l'òbit de Berenguer (de Prat), bisbe de Tortosa, ha nomenat Arnau (de Llordat), bisbe d'Urgell, com a bisbe electe d'aquesta diòcesi. El papa desestimà l'elecció unànime dels capitulars d'aquesta a favor de Guillem de Sentmenat, ardiaca del mateix lloc, perquè s'ha reservat la provisió d'aquesta seu. Li prega que l'aculli favorablement, juntament amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 21.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 296, doc. 593.

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gratie divine premium et preconium humane laudis

FUNDACIÓ NOGUERA

acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim ecclesiarum cathedralium regimini presidentibus oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Olim siquidem ecclesia Dertusensis per obitum bone memorie Berengarii episcopi Dertusensis, qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie vocatis omnibus qui debuerunt voluerunt et potuerunt commode interesse, pro futuri substitutione pastoris inibi celebranda die ad hoc prefixa ut moris est convenientes in unum dilectum filium Guillermum de Sanctominiato ipsius ecclesie archidiaconum per viam compromissi in episcopum Dertusensem concorditer elegerunt ipseque Guill(ermu)s electioni huiusmodi de se facte consensit ut fertur. Postmodum vero nos electionis et consensus predictorum ignari vacatione ipsius ecclesie fidedignis relatibus intellecta cupientes eidem ecclesie nostre operationis ministerio ydoneam presidere personam provisionem ipsius ecclesie ea vice ordinationi et dispositioni nostre ac sedis apostolice duximus spetialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et licet subsequenter dictus Guill(ermu)s de huiusmodi reservatione ac decreto certificatus fuisset, ipse tamen non fuit electionem prefatam coram nobis prout tenebatur infra statuta a iure tempora prosecutus. Nos igitur de provisione ipsius ecclesie de qua nullus preter nos se ea vice post reservationem et decretum nostra huiusmodi intromittere poterat, celeri et felici ne diucius vacationis incommodis exposita subiaceret solicite cogitantes ac desiderantes talem ipsius ecclesie regimini preesse personam que sciret vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere post cogitationes multiplices, quas primo intra mentis nostre precordia et tractatus varios quos deinde ad preficiendum eidem ecclesie personam huiusmodi cum fratribus nostris habuimus diligentem. Demum ad venerabilem fratrem nostrum Arnaldum Dertusensem tunc Urgellensem episcopum consideratis grandium virtutum meritis quibus personam suam dominus insignivit et quod ipse qui eidem Urgellensi ecclesie hactenus laudabiliter prefuit, dictam Dertusensem ecclesiam sciet et poterit salubriter gubernare direximus oculos nostre mentis, intendentes itaque tam gregi dominico quam eidem Dertusensi ecclesie utiliter providere ipsum Arnaldum a vinculo quo tenebatur prefate ecclesie Urgellensi cui tunc preerat de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad predictam Dertusensem ecclesiam transtulimus eumque illi prefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius Dertusensis ecclesie sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque sibi dando licentiam ad prefatam Dertusensem ecclesiam transeundi,

FUNDACIÓ NOGUERA

firma spe fiduciaque conceptis quod dextera domini sibi assistente propitia prefata Dertusensis ecclesia per sue industrie ac circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur. Cum itaque fili carissime, sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem episcopum et prefatam ecclesiam Dertusensem sue cure commissam habens pro apostolice sedis et nostra reverentia propensius commendatos ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem episcopus tue celsitudinis fultus auxilio in commisso sibi cure pastoralis offitio possit deo propitio prosperari ac tibi exinde a deo peremnis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, v Nonas Octobris, pontificatus nostri anno Septimo.

972

1342 març 11, Avinyó

Benet XII comunica al rei Pere III d'Aragó, Sicília i Còrsega (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de dos mil marcs d'argent, a través de Ferrer de Canet, conseller i procurador reial, lliurats a favor del rei Pere com a cens corresponent a l'any anterior pel feu de Sardenya i Còrsega. Al mateix temps, l'absol de les censures en les quals incorregué per la seva morositat en el pagament.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 42, núm. 22.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 296-297, doc. 594.

Benedictus (XII) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum ac Sardinie et Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro regno Sardinie et Corsice quod tu fili carissime a nobis et ecclesia Romana sub certis vassallagio homagio ligio et fidelitatis iuramento aliisque pactis conventionibus et conditionibus expressis plenius in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis tenes in feudum censum annuum duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festivitate beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis Romano pontifici et ecclesie memorate sub excommunicationis et aliis penis prout seriosius continetur in predictis litteris solvere tenearis et censum eundem duarum milium marcharum argenti pro termino festivitatis eorundem apostolorum proximo iam elapso nobis et ipsi ecclesie debitum, in novem milibus centum sexagintasex florenis auri et duobus terciis

FUNDACIÓ NOGUERA

unius floreni singulis marchis predictis pro quatuor florenis auri et septem Turonensibus grossis argenti et singulis florenis pro duodecim Turonensibus grossis argenti computatis per manus dilecti filii nobilis viri Ferrarii de Caneto militis consiliarii et procuratoris tui duxeris die dat. presentium nostre camere persolvendum. Nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati, solutionem huiusmodi dicti census duarum milium marcharum argenti pro predicto termino festi eorundem apostolorum proximo preteriti factam ut premittitur in dictis novem milibus centum sexagintasex florenis et duobus terciis unius floreni auri sicut superius exprimitur computatis ratam habentes et gratam te ac heredes et successores tuos ac tua et eorum bona imperpetuum absolvimus et quitamus. Et nichilominus ab excommunicationis sentencia et aliis penis spiritualibus quas ex eo quod dictum censum debito tempore pro predicto termino non solvisti, nosceris incurrisse te in personam dicti procuratoris tui ad hoc speciale mandatum habentis duximus tenore presentium absolvendum, interdictum cui ex eadem causa dictum regnum Sardinie et Corsice subiacet nichilominus relaxantes. Propter premissa tamen vel quecunque alia non intendimus sicut nec intelleximus hactenus efficacia permanere.

Dat. Avinione, V Idus Martii, pontificatus nostri anno Octavo.

973

1342 març 14, Avinyó

Benet XII comunica que ha enviat els cardenals preveres Imbert de la basílica dels Dotze Apòstols i Guillem de Sant Esteve in Monte Celio per tractar entre Pere de Pinós, prior de l'església de Tortosa de l'orde de sant Agustí, d'una banda, i, en memòria del bisbe Berenguer (de Prat), el capítol d'aquesta mateixa església de Tortosa, d'una altra, sobre les qüestions de les possessions i l'administració del priorat de Tortosa i altres qüestions del capítol.

A Tortosa, Arxiu Capitular, Concessions Apostòliques 2, núm. 23.
a Butlla amb fil de seda.
b VIDAL, *Benoît XII, lettres communes*, II, p. 418, doc. 9349.

BENEDICTUS XII EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Meditantes assidue quot et quanta commoda producat concordia et nutriat bonum pacis quanta que animarum moriam et corporum ac rerum dispendia discordia pariat libenter inter omnes fideles pacis et concordie germina seminamus sed ad succidendum illos discordie fomites propensius laboramus qui in ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum grave noscuntur dispendium redundare.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dudum siquidem ad apostolatus nostri deducto notitiam quod olim inter Petrum de Pinosio priorem ecclesie Dertusensis ordinis sancti Augustini ex parte una et beate memorie Berengarium episcopum tunc Vicensem et capitulum Dertusenses super administratione prioratus eiusdem ecclesie et eius occasione ac super nonnullis aliis articulis ex altera gravis controversia fuerat suscitata et quod occasione huiusmodi controversie diutius inter dictas partes in Romana curia fuerat altercatum quodque propter huiusmodi controversiam prefata ecclesia passa fuerat et patiebatur nonmodica detrimenta. Nos intendentes huiusmodi controversie celerem finem poni, causam et negotium huiusmodi ad nos duximus spetialiter revocanda dictosque episcopum priorem et capitulum peremptorie citari fecimus ut infra unius mensis spatium post citationem huiusmodi cum omnibus actibus iuribus et munimentis eorum ac certis capitulis qui de novo facti dicebantur causam seu causas predictas contingentibus vel emergentibus ab eisdem se nostro et apostolice sedis conspectui legitime presentarent ut possemus utraque parte presente causas predictas iudicio vel concordia terminare. Postmodum vero dicto Petro necnon procuratoribus capituli predictorum eodem Berengario episcopo interim sublato de medio coram nobis in consistorio comparentibus dictus prior in ipso consistorio proposuit quod licet olim ipse qui super prioratu eiusdem ecclesie in ipsa Romana ecclesia diutius litigarat pro se certas diffinitivas sententias in palatio apostolico reportasset et super executione sententiarum huiusmodi nostras ad certos executores in consueta forma litteras impetrasset ac unus de dictis executoribus processus fecisset contra episcopum et capitulum predictos in talibus fieri consuetos tamen quia ipsi episcopus et capitulum archidiaconatum et succentoriam in dicta ecclesia lite predicta in eadem curia Romana pendente de bonis et redditibus ad dictum prioratum spectantibus de novo propria auctoritate crearant et alias impediverant contra sententias et processus predictos quominus ipse Petrus possessionem bonorum et iurium omnium prioratus eiusdem habere valeret. Idem prior per unum ex subdelegatis dicti executoris contra episcopum capitulum et singulares de ipso capitulo ac alias personas dicte ecclesie ipsamque ecclesiam certos alios processus fieri fecit excommunicationis suspensionis et interdicti sententias continentes quodque dicti episcopus et capitulum contra eum huiusmodi occasione commoti et pretendentes quod idem Petrus pacificam possessionem dicti prioratus et bonorum ipsius habuerat et quod ipse eisdem episcopo et capitulo computum de administratis et gestis per eum reddere denegarat et quod iuxta quoddam statutum huiusmodi ecclesie sententiam suspensionis incurrerat eundem Petrum a possessione prioratus et administrationis predictorum contra iusti-

FUNDACIÓ NOGUERA

tiam amoverant. Quare petebat se ad possessionem predictam restitui et fructus ex prioratu predicto post huiusmodi amotionem perceptos sibi reddi. Pro parte vero dictorum capituli replicatum extitit ex adverso quod dicti archidiaconatus et succentoria rite et canonice creati fuerant in ecclesia prelibata et quod quamvis memorati episcopus et capitulum obtenta notitia sententiarum diffinitivarum et processuum predictorum per dictum executorem habitorum eundem Petrum ad possessionem dicti prioratus ac iurium et pertinentiarum ipsius et administrationem eorundem libere admisissent, idemque Petrus prioratum ipsum tenuisset et possedisset necnon administrationem eandem per decem menses vel circa gessisset et gereret ipsumque prioratum possideret pacifice et quiete, ac prior eiusdem ecclesie qui est pro tempore ex spetiali et antiquo statuto ipsius ecclesie teneretur eisdem episcopo et capitulo bis in anno certis temporibus in statuto designatis eodem de administratis et gestis per eum reddere rationem, alioquin ipso facto sententiam suspensionis incurreret eodem modo capitulum si in exigendo rationem huiusmodi existerent, negligentes tamen dictus Petrus ab eisdem capitulo super huiusmodi ratione reddenda legitime requisitus rationem huiusmodi reddere contra iustitiam denegarat et propter hoc ipso facto dictam sententiam suspensionis incurrerat et iuste fuerat quousque ab ipsa sententia suspensionis absolutus existeret dicta administratione prioratus quodque idem Petrus in iniuriam et infamiam capituli canonicorum capellanorum clericorum et personarum eiusdem ecclesie per unum de subdelegatis executoris eiusdem quorum iurisdictio per possessionem pacificam dicti prioratus et bonorum ipsius ut premittitur ab eodem Petro habitam expirarat eisdem capitulo et singulis canonicis et personis eiusdem ecclesie ac certis aliis clericis et laicis sub excommunicationis in personas eorum et in capitulum suspensionis ac interdicti in ipsam ecclesiam penis et sententiis quas ex tunc proferebat in eos pretextu litterarum predictarum temere ac de facto mandari fecerat ut personas archidiaconatum et succentoriam predictos et certa alia beneficia in ipsa ecclesia obtinentes ab ipsis archdiaconatu succentoria et beneficiis penitus amoverent et quod propter hoc pro parte dictorum capituli fuerat ad nostram audientiam appellatum. Idem Petrus ante satisfactionem premissam occasione dicte sententie suspensionis et absolutionem ab ea non erat restituendus seu admittendus ad possessionem et fructus ut premittitur postulatos. Nos vero premissis et aliis que partes ipse coram nobis diversis vicibus allegare et proponere voluerunt diligentius intellectis cupientes huiusmodi sedari discordiam et partes ipsas ad concordiam reduci dilectis filiis nostris Imberto Basilice duodecim Apostolorum et Guilelmo tituli sancti Stephani in Celiomonte presbiteris cardinalibus pacem partis

FUNDACIÓ NOGUERA

utriusque zelantibus commisimus oraculo vive vocis, ut partes ipsas super premissis ad concordiam reducere procurarent ipsique velut pacis amici in hoc fideliter laborantes dictas partes ad concordiam reduxerunt et facta nobis super hiis per eosdem relatione fideli super premissis etiam de consensu predictarum partium et pro bono pacis et concordie ordinamus ipsarum quod tam dictus Petrus prior a dicta suspensionis quam canonici capellani et clerici dicte ecclesie ac alii quicunque contra quos ad instantiam dicti prioris est premissorum occasione processum ab omnibus sententiis contra eos dicta occasione prolatis si eas vel earum aliquam forsitan incurrerunt simpliciter vel ad cautelam prout petierint sine ipsorum preiudicio iuxta formam ecclesie absolvantur et interdicta quelibet simili occasione prolata tollantur et etiam relaxentur ac cum priore canonicis capellanis et clericis predictis super irregularitate siquam medio tempore celebrando divina vel se imiscendo eisdem forsitan contraxerunt, etiam dispensetur dictusque Petrus prior plene restituatur post absolutionem suam predictam ante omnia et admittatur per ipsos capitulum ad possessionem et administrationem liberam prioratus fructuum reddituum et proventuum iuriumque bonorum et pertinentiarum eiusdem et quod habeat et habere debeat fructus redditus et proventus ac bona ex dicto prioratu percepta que extant in presenti quodque prior camerarius hospitalarius et infirmarius eiusdem ecclesie qui sunt et erunt pro tempore teneantur sicut ceteri administratores ecclesiarum et monasteriorum canonicorum regularium ordinis sancti Augustini annis singulis in annali capitulo de officiis et administrationibus suis reddere rationem sicut in constitutionibus super statu et reformatione canonicorum regularium per nos editis continetur. Et nichilominus si ex statuto vel consuetudine ipsius ecclesie ipsi prior camerarius hospitalarius et infirmarius pluribus vicibus in anno vel magis specifice huiusmodi rationem reddere sint astricti, volumus quod statutum seu consuetudo huiusmodi observetur et quod dictus Petrus prior pro tempore quo possessionem dicti prioratus habuit et pacifice gessit administrationem eiusdem reddat de administratis per eum venerabili fratri nostro Arnaldo episcopo Dertusensi eiusdem Berengarii successori et prefatis capitulo semel dumtaxat qualem commode poterit rationem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ordinationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Idus Marcii, pontificatus nostri anno Octavo.

FUNDACIÓ NOGUERA

974

1342 març 14, Avinyó

Benet XII mana al bisbe de Tortosa (Arnau de Llordat) i al precentor de l'església de Tarragona que acatin la resolució presa pels cardenals preveres Imbert de la basílica dels Dotze Apòstols i Guillem de Sant Esteve in Monte Celio sobre les qüestions de les possessions i l'administració del priorat de Tortosa i altres coses del capítol entre Pere de Pinós, prior de l'església de Tortosa de l'orde de sant Agustí, d'una banda, i, en memòria del bisbe Berenguer (de Prat), el capítol d'aquesta església de Tortosa, de l'altra; els recomana que no dictin cap censura eclesiàstica sense manament de la Seu Apostòlica.

A Tortosa, Arxiu Capitular, Concessions Apostòliques 2, núm. 25.
a Butlla amb fil de cànem.
b VIDAL, *Benoît XII, lettres communes*, II, p. 418, doc. 9349.

Benedictus XII episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Dertusensi et dilecto filio .. precentori ecclesie Terraconensis salutem et apostolicam benedictionem. Meditantes assidue quot et quanta commoda producat concordia et nutriat bonum pacis quantaque animarum et corporum ac rerum dispendia discordia pariat libenter inter omnes fideles pacis et concordie germina seminamus sed ad succidendum illos discordie fomites propensius laboramus qui in ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum grave noscuntur dispendium redundare. Dudum siquidem ad apostolatus nostri deducto notitiam quod olim inter Petrum de Pinosio priorem ecclesie Dertusensis ordinis sancti Augustini ex parte una et bone memorie Berengarium episcopum tunc viventem et capitulum Dertusenses super administratione prioratus eiusdem ecclesie et eius occasione ac super nonnullis aliis articulis ex altera gravis controversia fuerat suscitata et quod occasione huiusmodi controversie diutius inter dictas partes in Romana curia fuerat altercatum quodque propter huiusmodi controversiam prefata ecclesia passa fuerat et patiebatur non modica detrimenta. Nos intendentes huiusmodi controversie celerem finem poni causam et negotium huiusmodi ad nos duximus spetialiter revocanda dictosque episcopum priorem et capitulum peremptorie citari fecimus ut infra unius mensis spatium post citationem huiusmodi cum omnibus actis iuribus et munimentis eorum ac certis capitulis qui de novo facti dicebantur causam seu causas predictas contingentibus vel emergentibus ab eisdem se nostro et apostolice sedis conspectui legitime presentarent ut possemus utraque parte presente causas predictas iudicio vel concordia terminare. Postmodum vero dicto priore necnon procuratoribus capituli predictorum eodem Be-

FUNDACIÓ NOGUERA

rengario episcopo interim sublato de medio coram nobis in consistorio comparentibus dictus prior in ipso consistorio proposuit quod licet olim ipse qui super prioratu eiusdem ecclesie in ipsa Romana curia diutius litigarat pro se certas diffinitivas sententias in palatio apostolico reportasset et super executione sententiarum huiusmodi nostras ad certos executores in consueta forma litteras impetrasset ac unus de dictis executoribus processus fecisset contra episcopum et capitulum predictos in talibus fieri consuetos tamen quia ipsi episcopus et capitulum archidiaconatum et succentoriam in dicta ecclesia lite predicta in eadem curia Romana pendente de bonis et redditibus ad dictum prioratum spectantibus de novo propria auctoritate crearant et alias impediverant contra sententias et processus predictos quominus ipse Petrus possessionem bonorum et iurium omnium prioratus eiusdem habere valeret. Idem prior per unum ex subdelegatis dicti executoris contra episcopum capitulum et singulares de ipso capitulo ac alias personas dicte ecclesie ipsamque ecclesiam certos alios processus fieri fecit excommunicationis suspensionis et interdicti sententias continentes quodque dicti episcopus et capitulum contra eum huiusmodi occasione commoti et pretendentes quod idem Petrus pacificam possessionem dicti prioratus et bonorum ipsius habuerat et quod ipse eisdem episcopo et capitulo computum de administratis et gestis per eum reddere denegarat et quod iuxta quoddam statutum huiusmodi ecclesie sententiam suspensionis incurrerat eundem Petrum a possessione prioratus et administrationis predictorum contra iustitiam amoverant. Quare petebat se ad possessionem predictam restitui et fructus ex prioratu predicto post huiusmodi amotionem perceptos sibi reddi. Pro parte vero dictorum capituli replicatum extitit ex adverso quod dicti archidiaconatus et succentoria rite et canonice creati fuerant in ecclesia prelibata et quod quamvis memorati episcopus et capitulum obtenta notitia sententiarum diffinitivarum et processuum predictorum per dictum executorem habitorum eundem Petrum ad possessionem dicti prioratus ac iurium et pertinentiarum ipsius et administrationem eorundem libere admisissent idemque Petrus prioratum ipsum tenuisset et possedisset necnon administrationem eandem per decem menses vel circa gessisset et gereret ipsumque prioratum possideret pacifice et quiete, ac prior eiusdem ecclesie qui est pro tempore ex spetiali et antiquo statuto ipsius ecclesie teneretur eisdem episcopo et capitulo bis in anno certis temporibus in statuto designatis eodem de administratis et gestis per eum reddere rationem, alioquin ipso facto sententiam suspensionis incurreret eodem modo capitulum si in exigendo rationem huiusmodi existerent negligentes, tamen dictus Petrus ab eisdem capitulo super huiusmodi ratione reddenda legitime requisitus rationem huiusmodi reddere contra ius-

FUNDACIÓ NOGUERA

titiam denegarat et propter hoc ipso facto dictam sententiam suspensionis incurrerat et iuste fuerat quousque ab ipsa sententia suspensionis absolutus existeret dicta administratione prioratus quodque idem Petrus in iniuriam et infamiam capituli canonicorum capellanorum clericorum et personarum eiusdem ecclesie per unum de subdelegatis executoris eiusdem quorum iurisdictio per possessionem pacificam dicti prioratus et bonorum ipsius ut premittitur ab eodem Petro habitam expirarat eisdem capitulo et singulis canonicis et personis eiusdem ecclesie ac certis aliis clericis et laicis sub excommunicationis in personas eorum et in capitulum suspensionis ac interdicti in ipsam ecclesiam penis et sententiis quas ex tunc proferebat in eos pretextu litterarum predictarum temere ac de facto mandari fecerat ut personas archidiaconatum et succentoriam predictos et certa alia beneficia in ipsa ecclesia obtinentes ab ipsis archdiaconatu succentoria et beneficiis penitus amoverent et quod propter hoc pro parte dictorum capituli fuerat ad nostram audientiam appellatum. Idem Petrus ante satisfactionem premissam occasione dicte sententie suspensionis et absolutionem ab ea non erat restituendus seu admittendus ad possessionem et fructus ut premittitur postulatos. Nos vero premissis et aliis que partes ipse coram nobis diversis vicibus allegare et proponere voluerunt diligentius intellectis cupientes huiusmodi sedari discordiam et partes ipsas ad concordiam reduci dilectis filiis nostris Imberto Basilice duodecim Apostolorum et Guilelmo tituli sancti Stephani in Celiomonte presbiteris cardinalibus pacem partis utriusque zelantibus commisimus oraculo vive vocis, ut partes ipsas super premissis ad concordiam reducere procurarent ipsique velut pacis amici in hoc fideliter laborantes dictas partes ad concordiam reduxerunt et facta nobis super hiis per eosdem relatione fideli super premissis etiam de consensu predictarum partium et pro bono pacis et concordie ordinamus ipsarum quod tam dictus Petrus prior simpliciter a dicta suspensionis quam canonici capellani et clerici dicte ecclesie ac alii quicunque contra quos ad instantiam dicti prioris est premissorum occasione processum ab omnibus sententiis contra eos dicta occasione prolatis si eas vel earum aliquam forsitan incurrerunt simpliciter vel ad cautelam prout petierint sine ipsorum preiudicio iuxta formam ecclesie absolvantur et interdicta quelibet simili occasione prolata tollantur et etiam relaxentur ac cum priore canonicis capellanis et clericis predictis super irregularitate siquam medio tempore celebrando divina vel se imiscendo eisdem forsitan contraxerunt, etiam dispensetur dictusque Petrus prior plene restituatur post absolutionem suam predictam ante omnia et admittatur per ipsos capitulum ad possessionem et administrationem liberam prioratus fructuum reddituum et proventuum iuriumque bonorum et pertinentiarum

FUNDACIÓ NOGUERA

eiusdem et quod habeat et habere debeat fructus redditus et proventus ac bona ex dicto prioratu percepta que extant in presenti quodque prior camerarius hospitalarius et infirmarius eiusdem ecclesie qui sunt et erunt pro tempore teneantur sicut ceteri administratores ecclesiarum et monasteriorum canonicorum regularium ordinis sancti Augustini annis singulis in annali capitulo de officiis et administrationibus suis reddere rationem sicut in constitutionibus super statu et reformatione canonicorum regularium per nos editis continetur. Et nichilominus si ex statuto vel consuetudine ipsius ecclesie ipsi prior camerarius hospitalarius et infirmarius pluribus vicibus in anno vel magis specifice huiusmodi rationem reddere sint astricti, volumus quod statutum seu consuetudo huiusmodi observetur et quod dictus Petrus prior pro tempore quo possessionem dicti prioratus habuit et pacifice gessit administrationem eiusdem redderet de administratis per eum tibi frater eiusdem Berengarii successori et prefatis capitulo semel dumtaxat qualem commode poterit rationem. Volentes igitur ut ordinatio nostra huiusmodi suum plenum et debitum sortiatur effectum, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus ordinationem ipsam ac omnia et singula in ea contenta studeatis auctoritate apostolica executio in debite demandare, ceterum quia commodum et honorem prefate et quarumlibet aliarum ecclesiarum appetimus et intendimus de conditione ipsius ecclesie informari voluimus quod de creatione ac statu archidiaconatus et succentorie predictorum et assignatione reddituum eis facta et an ecclesie predicte expediat eos in statu in quo nunc sunt remanere necnon de capellanis et aliis perpetuis beneficiatis in ipsa ecclesia existentibus qui perpetui non consueverunt existere sed mutari pro libito prioris et capituli predictorum quique lite prefata pendente per dictum Berengarium episcopum et capitulum sine dicti Petri prioris assensu perpetui constituti ac de causa modo et forma constitutionis huiusmodi et utrum ipsi ecclesie sit expediens illos prout constituti sunt remanere ac nichilominus de facultatibus et oneribus prioratus capituli dignitatum officiorum et administrationum ipsius ecclesie predictorum et etiam de statu moribus et vita canonicorum eiusdem ac de hiis que pro victu et vestitu ministrantur eisdem, nos diligenter et plenarie informare et capitulo predictis seu aliis qui a tempore dicte amotionis administrationem prioratus gesserunt eiusdem ac proventus et bona perceperunt ipsius de toto huiusmodi tempore vocato dicto priore computum et intimationem auctoritate predicta exigere ac recipere procuretis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Et quecumque super

FUNDACIÓ NOGUERA

hiis inveneritis fideliter in scriptis redacta, illa nobis per nostras litteras harum seriem continentes quantotius referre curetis, ut vestra super hiis relatione instructi que in hac parte bono statui et utilitati eiusdem ecclesie expedire viderimus ordinare consultius valeamus. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim a sede apostolica sit indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ordinationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Idus Martii, pontificatus nostri anno Octavo.

CLIMENT VI
(elecció 7 maig 1342; coronació 19 maig 1342;
† 6 desembre 1352)

975

1342 maig 21, Avinyó

Climent VI prega i implora al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que després de la seva elecció a la Seu Apostòlica, consagració i coronació, continuï la seva devoció a la santa Església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 1.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 5, doc. 18.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 297, doc. 595.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 262, doc. 5717.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. In precelso throno divini culminis sapientie altitudo, sublimitas potentie ac prudentie plenitudo consistunt et qualiter dispositione superna detur esse rebus, mutentur et varientur creaturarum conditiones et status aliasque gratiarum munera ineffabili providentia dispensentur, humani non capiunt intellectus. Supernus namque conditor in omnipotentia sua mirabilis dixit et facta sunt, et que ipse voluit sunt creata, et perfectam habens, tanquam ille qui cuncta palmo concludit, ad singula potestatem, quandoque facit fortem ex debili et nonnun-

FUNDACIÓ NOGUERA

quam ponit humiles in sublimi ac sacrosanctam ecclesiam catholicam, quam sibi caritatis inseparabilis dulcedine copulavit, salubriter dirigit et gubernat. Nuper siquidem felicis recordationis Benedicto papa XII predecessore nostro sicut domino placuit ab hac luce subtracto, venerabiles fratres nostri episcopi presbiteri et diaconi sancte Romane ecclesie cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri substitutione Romani pontificis conventientes in unum, sancti spiritus ut moris est gratia invocata quasi per inspirationem ipsius in nos, sicut divine clementie placuit, vota sua concorditer direxerunt, nos ad conscendendum speculam apostolici culminis et subeundam gravissimam totius orbis regiminis sarcinam eligentes. Verum cum ad tante dignitatis apicem ostuperemus assumi, eo quod impotentie nostre humeri ad tantum onus non sufficerent supportandum, tandem sperantes in illo qui reddit suave iugum suum et onus leve illa portantibus patienter, ad ipsorum fratrum instantiam votis acquievimus eorundem et colla nostra summisimus humiliter iugo apostolice servitutis et subsequenter benedictionis et coronationis nostre solennia iuxta morem in personis felicis memorie Romanorum pontificum predecessorum nostrorum hactenus observatum suscepimus, ad gratiarum fontem, de cuius accipiunt plenitudine universi pastoris videlicet eterni clementiam in humilitatis spiritu recurrentes, ut ipse non iuxta nostrorum meritorum exigentiam sed secundum sue superhabundantiam pietatis debilitati nostre sic tribuat roboris fulcimentum, quod susceptum onus ad laudem sui nominis, ecclesie universalis honorem et statum salutem et tranquillitatem fidelium ipso cooperante deferre ac in populis solicitudini nostre creditis quarumlibet disensionum ex eis amputata materia, ministrare bonum pacis, ad que nostra summe aspirat intentio, valeamus. Adicit quoque in hoc et aliis spei nostre suffragium tui spetialiter et aliorum catholicorum consideratio principum, quo speramus sic ab illo, per quem reges regnant et potentes in suis regiminibus exercent iustitiam, dirigi, quod ipsis per vias rectas nos iuvantibus grex dominicus cure nostre commissus committentis virtute preambula ad eterna gaudia perducatur. Quocirca rogamus celsitudinem regiam et obsecramus in domino Ihesu Christo, quatinus deum timens, in cuius manu cor tuum est et in eius arbitrio vita tua, ipsius studeas custodire mandata, iustitiam colere ac dirigere in omnibus equitatem, sciens quod ad hoc te hominibus nature tue participibus pretulit dominus deus tuus, et nichilominus in devotione sancte ecclesie matris tue, ad cuius defensionem accepisti a domino gladii potestatem, nec non exaltatione catholice fidei, ecclesiarum defensione ac conservatione ecclesiastice libertatis tua sublimitas semper crescat, ut ex hoc tibi augeatur in presenti gratia et gloria in futuro, illam de nobis spem certam et fidutiam habiturus, quod tuam et regni

FUNDACIÓ NOGUERA

tui prosperitatem paterno zelantes affectu regalem magnificentiam oportunis curabimus, quantum cum deo poterimus, fulcire favoribus et dignis gratiis et honoribus prevenire.

Dat. Avinione, XII Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Primo.

976

1342 juny 13, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que no prengui represàlies contra el seu cunyat el rei Jaume III de Mallorca per encunyar moneda falsa, prohibida segons pacte bilateral, i permetre'n el curs al comtat de Rosselló i voltants. El papa s'ofereix com a intermediari en aquesta qüestió, i amb aquesta finalitat li envia l'arquebisbe Armand (de Nansès) d'Ais de Provença amb instruccions sobre el cas.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 2.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 297, doc. 596.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 266, doc. 5725.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Decus tui nominis et honoris dilatari semper in divino beneplacito necnon pacem et concordiam ubique vigere totis desideriis affectantes illa tibi libenter paterne dilectionis plenitudine suademus, per que tibi et subditis tuis arrideat amica tranquillitas et pacis habundantia valeat resultare. Nuper siquidem ingrata relatio perduxit ad apostolatus nostri auditum, quod pacis emulo incentore malorum omnium procurante inter te et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem consanguineum tuum, pro eo quod idem rex Maioricarum ut asseris contra conventiones et pacta inter clare memorie Aragonum et Maioricarum reges progenitores vestros habita et inter te ac ipsum regem Maioricarum etiam innovata in comitatu Rossilionis et aliis terris suis comitatu predicto vicinis certam monetam permittit currere et expendi et eam idem rex cudi facit in comitatu ipso ac etiam fabricari gravis dissentionis materia est exorta, ex qua presumuntur gravia scandala verisimiliter provenire. Nos igitur vices illius licet immeriti gerentes in terris qui pacem in ortu suo per angelos nuntiavit, considerantes quod quamvis multum dispendiosum existat quibuscunque potentibus se turbinibus guerrarum exponere deo implacidum nobisque et sedi apostolice propter

FUNDACIÓ NOGUERA

animarum et corporum pericula gravia, que consueverunt discordie parere sit infestum, tamen tua et ipsius regis Maioricarum dissentio tanto periculosior et dampnosior esse posset quanto ex ea vestrorum animorum motus non attenta proximitate sanguinis, que inter te et ipsum existit forsan durius incitati pericula possent inducere graviora totis desideramus affectibus et ad hec intendimus interponere solicitudinis apostolice interventus, ut huiusmodi sublata discordia tu et ipse prout coniunctio tante consanguinitatis exposcit in fraterne caritatis sicut fecistis hactenus coniungamini unitate ac mutuis nos foveatis favoribus et oportunis presidiis fulciatis. Ideoque serenitatem regiam monemus rogamus et hortamur attente in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatinus prudenter advertens quod ipsa dissentio si quod absit procederet preter solita mala que provenirent ex ea tue ac ipsius regis Maioricarum fame multum detraheret et honori ac animum tuum qui contra dictum consanguineum tuum dispositus videtur ad iram ad mansuetudinem plene convertens omnem rancorem et iram, quos adversus dictum Maioricarum regem occasione premissa forsitan accepisti pro nostra et apostolice sedis reverentia et cumulo tue salutis benigne et gratiose remittas ipsumque regem more solito de bono in melius fraterna dilectione pertractes, ut inter te et ipsum plena concordia vigeat et dilectionis indissolubilis vinculum perseveret. Nos enim prefato regi Maioricarum scribimus, ut a cusione et usu dicte monete in dictis comitatu et aliis terris suis, si contra conventiones et pacta predicta fuerint decetero debeat abstinere seque in hiis et aliis tuis beneplacitis conformare. Quod si forsan super hiis inter vos aliqua dubitatio oriretur tuque volueris ad nos nuntium seu nuntios aliquos super hiis instructos plenarie destinare parati sumus pro unitate et concordia personaliter laborare et quod interim tua sublimitas cessare velit contra prefatum regem ab actibus bellicis et qualibet alia noxia novitate. Ceterum ut quod in hoc desideranter appetimus facilius et celerius valeat provenire venerabilem fratrem nostrum Armandum archiepiscopum Aquensem iurium probitatis experte ac meritis et fama pollentem et nobis ac fratribus nostris acceptum exhibitorem presentium propter hec ad presentiam regiam destinamus, quem celsitudo regia benigne recipiat ac eius imo nostris potius exhortationibus et inductionibus acquiescens que tibi pro parte nostra suggeret in premissis sic animo devoto suscipiat et etiam exequatur, quod nos devotionem tue celsitudinis erga nos et sedem predictam in hac parte dignis possimus in domino laudibus commendare.

Dat. Avinione, Idus Iunii, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

977

1342 juny 26, Avinyó

Climent VI mana al bisbe de Barcelona (Ferrer d'Abella) que procuri proveir amb un benefici el clergue pobre Bonanat Jové de la diòcesi de Barcelona, contemplat a la col·lació de Berenguer de Papido, ardiaca del Penedès d'aquesta diòcesi.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-217.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Bonenatus Ioverii pauper presbiter tue diocesis nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse sicut asserit beneficium aliquod ecclesiasticum non obtineat, provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Quia igitur illi sunt ad ecclesiastica beneficia promovendi, quibus mores et scientia suffragantur, cum idem presbiter quem per certos examinatores super hoc deputatos a nobis de litteratura examinari fecimus diligenter, inventus sit in illa convenienter ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum. Nos de vita et conversatione ipsius presbiteri notitiam non habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus de hiis solerter inquirens si eum vite laudabilis et honeste conversationis esse repereris et aliud ecclesiasticum beneficium non obtineat aliudque canonicatum non obsistat, ei de aliquo ecclesiastico beneficio secundum sue probitatis merita competenti cum cura vel sine cura consueto ab olim clericis secularibus assignari spectante ad collationem [vel] presentationem dilecti filii Berengarii de Papiolo archidiaconi Penitensis in ecclesia Barchinonensi ratione capellaniarum, quas obtinet in civitate et diocesi Barchinonensi et succ[ess]orum suorum in capellaniis predictis, siquod in dictis civitate et diocesi Barchinonensi vacat ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas per te vel alium seu alios providere procures, inducens eum in corporalem possessionem eiusdem beneficii et defendens inductum ac faciens ipsum ad illud si in ecclesia collegiata secundum distinctionem nostram inferius annotatam extiterit, postquam de ipso vacante sibi provisum fuerit in canonicum recipi et in fratrem. Non obstante si aliqui nostra vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum auctoritate huiusmodi beneficia ad dicti archidiaconi collationem vel presentationem spectantia tam in huiusmodi pauperum quam alia quacumque forma provisionis expectent, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus dictum presbiterum in assecutione huiusmodi beneficii volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo

FUNDACIÓ NOGUERA

ad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari, aut si aliquibus de beneficiis ecclesiasticis ad dictum archidiaconum spectantibus per nostras litteras sit provisum seu si eidem archidiacono vel personis ipsius ecclesie in qua sibi provideri contigerit, a sede apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur quodque ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint vel quod de beneficiis ad eorum collationem vel presentationem spectantibus non possit aliquibus provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem sive qualibet alia prefate sedis indulgentia cuiuscumque tenoris existat per quam effectus presentium impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris mencionem fieri oporteat specialem. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Ita tamen quod idem presbiter prout requiret onus beneficii de quo ei provisum fuerit personaliter resideat in eodem, mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus quod in eo impendisse lauderis misericordiam pauperi et obedientiam mandatori. Volumus autem quod omnes alie littere a sede predicta vel eius legatis seu quibuslibet aliis obtente necnon promissiones et obligationes a quibuscumque personis facte super ipsius presbiteri provisione sint invalide omnique careant firmitate. Ceterum districtius inhibemus ne prefato presbitero auctoritate presentium in cathedrali aliquatenus provideatur ecclesia vel de cuiuslibet ecclesie collegiate prebenda vel alio ecclesiastico beneficio sine cura, cuius redditus et proventus annui vigintiquinque librarum Turonensium parvorum summam sive de aliqua parrochiali ecclesia vel alio ecclesiastico beneficio curam animarum habente, cuius redditus et proventus quadraginta librarum eiusdem monete annuam quantitatem excedant. Valorem autem annuum huiusmodi reddituum et proventuum declaramus et haberi volumus extimatum prout de illis secundum taxationem vel alias pro decima est amplius persolutum. Nostre tamen intentionis existat quod de huiusmodi beneficio etiam si minoris quam predicitur valoris extiterit possit eidem presbitero si illud infra unius mensis spatium postquam sibi de ipsius beneficii vacatione constiterit acceptare voluerit provideri. Prefato enim archidiacono ne post insinuationem presentium et processuum per eas habitorum ei factam de ipso beneficio interim etiam ante acceptationem huiusmodi disponere quoquomodo presumat districtius inhibemus. Decernentes irritum et inane si secus super premissis a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari.

Dat. Avinione, VI Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

978

1342 juny 27, Avinyó

Climent VI mana al bisbe de Vic (Galceran Sacosta) que procuri proveir Berenguer de Saborit, clergue pobre d'aquesta diòcesi, amb un benefici contemplat a la col·lació de Bernat de Manresa, canonge de Vic.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-218.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Berengarius de Saborit pauper clericus tue diocesis nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse sicut asserit beneficium aliquod ecclesiasticum non obtineat, provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Quia igitur illi sunt ad ecclesiastica beneficia promovendi, quibus mores et scientia suffragantur, cum idem clericus quem per certos examinatores super hoc deputatos a nobis de litteratura examinari fecimus diligenter, inventus sit in illa convenienter ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum. Nos de vita et conversatione ipsius clerici notitiam non habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus de hiis solerter inquirens si eum vite laudabilis et honeste conversationis esse repereris et aliud ecclesiasticum beneficium non obtineat aliudque canonicum non obsistat, ei de aliquo ecclesiastico beneficio secundum sue probitatis merita competenti cum cura vel sine cura consueto abolim clericis secularibus assignari spectante ad collationem vel presentationem dilecti filii Bernardi de Minorissa canonici Vicensis ratione capellaniarum, quas obtinet in civitate vel diocesi Vicensi et successorum eius in eisdem capellaniis siquod in civitate vel diocesi Vicensi vacat adpresens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas per te vel alium seu alios providere procures, inducens eum in corporalem possessionem eiusdem beneficii et defendens inductum ac faciens ipsum ad illud si in ecclesia collegiata secundum distinctionem nostram inferius annotatam extiterit, postquam de ipso vacante sibi provisum fuerit in canonicum recipi et in fratrem. Non obstante si aliqui nostra vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum auctoritate huiusmodi beneficia ad dicti Bernardi et successorum eius in eisdem capellaniis collationem vel presentationem spectantia tam in huiusmodi pauperum quam alia quacumque forma provisionis expectent, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus dictum clericum in assecutione huiusmodi beneficii volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari, aut si aliquibus de

FUNDACIÓ NOGUERA

beneficiis ecclesiasticis ad dictos Bernardum et successores eiusdem collationem vel presentationem spectantibus per nostras litteras sit provisum seu si eidem Bernardo et successoribus suis vel personis ipsius ecclesie in qua sibi provideri contigerit, a sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, quodque ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint vel quod de beneficiis ad eorum collationem vel presentationem spectantibus non possit aliquibus provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem, sive qualibet alia prefate sedis indulgencia cuiuscunque tenoris existat, per quam effectus presentium impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris mentionem fieri oporteat specialem. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Ita tamen quod idem clericus prout requiret onus beneficii de quo ei provisum fuerit ad ordines se faciat statutis temporibus promoveri et personaliter resideat in eodem, mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus quod in eo impendisse lauderis misericordiam pauperi et obedientiam mandatori. Volumus autem quod omnes alie littere a sede predicta vel eius legatis seu quibuslibet aliis obtente necnon promissiones et obligationes a quibuscumque personis facte super ipsius clerici provisione sint invalide omnique careant firmitate. Ceterum districtius inhibemus ne prefato clerico auctoritate presentium in cathedrali aliquatenus provideatur ecclesia vel de cuiuslibet ecclesie collegiate prebenda vel alio ecclesiastico beneficio sine cura, cuius redditus et proventus annui vigintiquinque librarum Turonenensium parvorum summam sive de aliqua parrochiali ecclesia vel aliquo ecclesiastico beneficio curam animarum habente, cuius redditus et proventus quadraginta librarum eiusdem monete annuam quantitatem excedant. Valorem autem annuum huiusmodi reddituum et proventuum declaramus et haberi volumus extimatum, prout de illis secundum taxationem vel alias pro decima est amplius persolutum, nostre tamen intentionis existit, quod de huiusmodi beneficio etiam si minoris quam predicitur valoris extiterit, possit eidem clerico, si illud infra unius mensis spatium postquam sibi de ipsius beneficii vacatione constiterit, acceptare voluerit provideri, prefato enim Bernardo et successoribus eisdem, ne post insinuationem presentium et processuum per eas habitorum eis factam de ipso beneficio interim etiam ante acceptationem huiusmodi disponere quoquomodo presumant, districtius inhibemus, decernentes irritum et inane si secus super premissis a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari.

Dat. Avinione, v Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

979

1342 juliol 4, Avinyó

Climent VI mana als ardiaques de Santa Maria del Mar i del Penedès i al precentor de Barcelona que procurin proveir Bernat de Casals, clergue pobre de Barcelona, amb un benefici eclesiàstic, amb cura o sense cura d'ànimes, contemplat a la col·lació del bisbe de Barcelona (Ferrer d'Abella) a la mateixa ciutat o diòcesi.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-219.
a Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. sancte Marie de Mari et .. Penitensi archidiaconis ac .. precentori ecclesie Barchinonensis salutem et apostolicam benedictionem. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Bernardus de Casalibus pauper clericus Barchinonensis nobis humiliter supplicavit, ut cum ipse sicut asserit beneficium aliquod ecclesiasticum non obtineat, provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Quia igitur illi sunt ad ecclesiastica beneficia promovendi, quibus mores et scientia suffragantur, cum idem clericus quem per certos examinatores super hoc deputatos a nobis de litteratura examinari fecimus diligenter, inventus sit in illa convenienter ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum. Nos de vita et conversatione ipsius clerici notitiam non habentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus de hiis solerter inquirentes si eum vite laudabilis et honeste conversationis esse repereritis et aliud ecclesiasticum beneficium non obtineat aliudque canonicum non obsistat, ei de aliquo beneficio ecclesiastico secundum sue probitatis merita competenti cum cura vel sine cura consueto abolim clericis secularibus assignari spectante ad collationem vel provisionem venerabilis fratris nostri episcopi Barchinonensis, si quod in civitate vel diocesi Barchinonensi vacat adpresens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas providere curetis, inducentes eum in corporalem possessionem eiusdem beneficii et defendentes inductum ac facientes ipsum ad illud si in ecclesia collegiata secundum distinctionem nostram inferius annotatam extiterit, postquam de ipso vacante sibi provisum fuerit in canonicum recipi et in fratrem. Non obstante si aliqui nostra vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum auctoritate huiusmodi beneficia ad dicti episcopi collationem vel provisionem spectantia tam in huiusmodi pauperum quam alia quacunque forma provisionis expectent, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus dictum clericum in assecutione huiusmodi beneficii volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium

FUNDACIÓ NOGUERA

generari, aut si aliquibus de beneficiis ecclesiasticis ad dictum episcopum spectantibus per nostras litteras sit provisum seu si eidem episcopo vel personis ipsius ecclesie in qua sibi provideri contigerit, a sede apostolica sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur quodque ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint, vel quod de beneficiis ad eorum collationem vel provisionem spectantibus non possit aliquibus provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto huiusmodi mentionem sive qualibet alia prefate sedis indulgentia cuiuscunque tenoris existat per quam effectus presentium impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris mentionem fieri oporteat specialem. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Ita tamen quod idem clericus prout requiret omnis beneficii de quo ei provisum fuerit ad ordines se faciat statutis temporibus promoveri et personaliter resideat in eodem, mandatum nostrum in hac parte taliter impleturi quod in eo impendisse laudemini misericordiam pauperi et obedientiam mandatori. Volumus autem quod omnes alie littere a sede predicta vel eius legatis seu quibuslibet aliis obtente necnon promissiones et obligationes a quibuscunque personis facte super ipsius clerici provisione sint invalide omnique careant firmitate. Ceterum districtius inhibemus ne prefato clerico auctoritate presentium in cathedrali aliquatenus provideatur ecclesia vel de cuiuslibet ecclesie collegiate prebenda vel alio ecclesiastico beneficio sine cura, cuius redditus et proventus annui vigintiquinque librarum Turonensium parvorum summam sive de aliqua parrochiali ecclesia vel aliquo ecclesiastico beneficio curam animarum habente, cuius redditus et proventus quadraginta librarum eiusdem monete annuam quantitatem excedant. Valorem autem annuum huiusmodi reddituum et proventuum declaramus et haberi volumus extimatum, prout de illis secundum taxationem vel alias pro decima est amplius persolutum. Nostre tamen intentionis existit, quod de huiusmodi beneficio etiam si minoris quam predicitur valoris extiterit, possit eidem clerico, si illud infra unius mensis spacium postquam sibi de ipsius beneficii vacatione constiterit, acceptare voluerit provideri, prefato enim episcopo ne post insinuationem presentium et processuum per eas habitorum ei factam de ipso beneficio interim etiam ante acceptationem huiusmodi disponere quoquomodo presumat, districtius inhibemus, decernentes irritum et inane si secus super premissis a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, IIII Nonas Iulii, pontificatus nostri Anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

980

1342 agost 2, Vilanova d'Avinyó

Climent VI comunica a l'abat de Bellpuig de la diòcesi d'Urgell, a l'ardiaca de Sant Serni de Càors, a Hug de Fenollet de l'església d'Elna i al canonge de Lleida Ramon Guillem de Fàbrica que reservin una dignitat especial, amb cura o sense cura d'ànimes, a l'església de Lleida a dit Ramon quan aquesta estigui vacant.

A Lleida, Arxiu Capitular, Pergamins de Llibres, Calaix A48, ON-278.
a Plica parcialment cremada. Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. Abbati de Bellopodio Urgellen. dioc. et .. Archidiacono de Sancto Seroio Caturcensis ac Hugoni de Fenolheto Elnensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Laudabili a dilecti filii Ramundi Guillermi de Fabrica canonici Ilerdensis prelatis merita super quibus ipse apostolice apud nos volentes premiss[..] sibi reddamur ad graciam liberales. Hinc est quod Nos volentes premissorum multa cum in ecclesia Ilerdensi cuius existit canonicus amplius honoris ecclesie Ilerdensis die noctuque tam in divinis officiis quam in eius peragendis negociis vigintiduobus annis continuis diligenter et laudabiliter ut asserit deservivit raciam [.... ...]cere specialem dignitatem personatum vel officium cum cura vel sine cura siqua vel siquis seu siquod in eadem ecclesia tunc vacabat vel cum vacaret quam vel quem seu quod per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illius inotesceret duceret acceptandam vel acceptandum conferendam vel conferendum dicto Ramundo post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi] apostolice reservavimus. Districtius inhibentes venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo dicte ecclesie aut illi vel illis ad quem vel ad quos in ipsa ecclesia dignatum personatuum seu officiorum collatio provisio vel quevis alia dispositio pertineret communiter vel divisim, ne de illa vel illis eciam ante acceptationem huiusmodi nisi postquam eis constaret, quod Ramundus vel procurator predicti illam vel illum seu illud nollent acceptare, disponere presumerent quoquo modo ac decernentes extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus personatibus officiis in ipsa ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate

FUNDACIÓ NOGUERA

nostra in ecclesia ipsa dignitates personatus et officia et beneficia huiusmodi expectantibus dictum Ramundum in assecutione huiusmodi dignitatis personatus et officii voluimus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem dignitatuum personatuum seu officiorum vel beneficiorum aliorum preiudicium generari. Seu si eisdem episcopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de dignitatibus personatibus aut officiis et aliis beneficiis ecclesiasticis eiusdem ecclesie ad eorum collationem provisionem vel quamcunque aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nequeat alicui provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam et de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gracie impediri valeant quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in eisdem nostris litteris mentio specialis. Aut si dictus Ramundus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie racione dignitatis vel personatus aut officiis huiusmodi solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesserit corporaliter illud prestet. Seu quod ipse Ramundus in eadem ecclesia canonicatum et prebendam ac capellaniam parrochialem sancti Petri noscitur obtinere. Volumus autem quod postquam iugare huiusmodi nostre gracie prefatus Ramundus dignitatis personatus vel officii in dicta ecclesia fuerit possessionem pacificam assecutus dictam capellaniam quam obtinet ut prefertur quamque extunc vacare decrevimus prout eciam ad id se spontanee obtulit, omnino dimittere teneatur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium per Nos ut premittitur reservatam seu reservatum, si tempore huiusmodi reservationis nostre vacabat vel extunc vacavit aut cum vacaverit dicto Raymundo vel procuratori suo eius nomine auctoritate nostra post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis conferre et assignare curetis. Inducentes eum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem dignitatis personatus vel officii et iurium et pertinentiarum predictorum et defendentes inductum ac facientes ipsum vel dictum procuratorem eius nomine ad huiusmodi dignitatem personatum vel officium ut moris est admitti ipsique de ipsius dignitatis personatus seu officii fructibus redditibus proventibus iuribus et obentionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus si pradictis. Seu si eisdem Episcopo et Capitulo

FUNDACIÓ NOGUERA

vel quibusvis aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, IIII Nonas Augusti, pontificatus nostri anno Primo.

981

1342 agost 7, Vilanova d'Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que restableixi la pau amb el rei Jaume III de Mallorca, finalitat per a la qual li ha enviat Armand (de Nansès), arquebisbe d'Ais de Provença, legat seu.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 3.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 298, doc. 597.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum pulcritudo pacis unitatis et concordie inter te fili carissime ac carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem, quos ut novit tua serenitas nexus sanguinis et affinitatis coniungit, in conspectu dei et apostolice sedis redoleat ac vobis et utriusque vestrum regnis terris et subditis sit multipliciter oportuna. Nos qui licet insufficientibus meritis regis pacifici vices in terris gerimus pacem habundare inter cunctos christicolas presertim sublimes personas desideriis affectamus intensis, pridem percepto displicibiliter quod hostis pacis inter te dictumque regem iacere zizaniorum semina nitebatur, venerabilem fratrem nostrum Armandum archiepiscopum Aquensem apostolice sedis nuncium ad partes illas propterea providimus specialiter destinandum. Et licet alias tuam magnificentiam regiam ad reformanda cum eodem rege unitatis et pacis, que hostis ipse satagebat ledere federa rogandam duxerimus plenis affectibus et hortandam adhuc tamen non minus cordialiter iterantes excellentiam regiam rogamus et hortamur attentius, quatinus pacis et unitatis huiusmodi delectabilia commoda et dissensionis dispendiosa discrimina intra regii pectoris claustra diligenter premeditans et revolvens ad pacem amplexandam amabiliter et dissensionem prudenter vitandam

FUNDACIÓ NOGUERA

sic prompte ac benivole regium habilites animum et inclines quod a deo qui pacem diligit et delectatur in viris pacificis dirigi merearis et diligi ac a nobis et apostolica sede propterea titulis digne commendationis attolli. Porro fili dilectissime, quia noviter audivimus quod super prestatione certe cautionis inter te dictum regem altercatio est exorta precibus nostris adicimus, ut ad viam aliquam accommodatam per quam nec tibi nec regi prefato parari possit preiudicium imposterum prudenter benigne ac clementer ne scandalosa possit propterea oriri dissensio te inclines supradicti archiepiscopi acquiescendo salubribus monitis exhortationibus et consiliis in hac parte.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII Idus Augusti, pontificatus nostri anno Primo.

982

1342 octubre 16, Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Maria d'Aragó, a petició pròpia, el privilegi de poder visitar juntament amb dotze dones honestes qualsevol monestir de religioses, sense menjar-hi ni pernoctar-hi.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 4.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 298, doc. 598.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 268, doc. 5734.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Marie regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Excellentis devotionis tue quam ad nos et apostolicam sedem geris sinceritas promeretur, ut que a nobis suppliciter postulas, affectu tibi benivolo concedamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut cum duodecim honestis mulieribus sive matronis monasteria religiosarum inclusarum quorumcunque ordinum quibuscunque ipsorum monasteriorum ac ordinum statutis et consuetudinibus ac quibuslibet constitutionibus contrariis nequaquam obstantibus quociens volueris libere ingredi valeas, dummodo earum que monasteriis ipsis prefuerint ad id accedat assensus et tu dicteque mulieres seu matrone ibidem non comedatis vel etiam pernoctetis, tibi tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XVII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

983

1342 octubre 16, Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Maria d'Aragó la facultat perquè el seu confessor pugui concedir-li la remissió plenària a l'hora de la mort.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 5.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 298, doc. 599.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Marie regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex tue devotionis affectus quod nos et Romanam ecclesiam revereris ut petitiones tuas illas presertim que anime tue salutem respiciunt ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus quem duxeris eligendum omnium pecatorum tuorum de quibus corde contrita et ore confessa fueris, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei et unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti auctoritate apostolica concedere valeat devotioni tue tenore presentium indulgemus, sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te si supervixeris vel per heredes tuos si tunc forte transieris faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini, ut prefertur. Et ne quod absit propter huiusmodi gratiam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XVII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

984

1342 octubre 21, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que, mentre estudia la solució pacífica del seu plet amb el rei Jaume III de Mallorca proposada per Armand (de Nansès), arquebisbe d'Ais

FUNDACIÓ NOGUERA

de Provença, legat seu, s'abstingui de fer la guerra, i que ambdós es comprometin a observar una treva fins la festa de la Resurrecció del Senyor o una altra qualsevol. En aquest sentit, escriu al rei Jaume III de Mallorca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 6.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 299, doc. 600.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Rediens ad nos venerabilis frater noster Armandus archiepiscopus Aquensis de partibus Catalonie et Aragonie ad quas ipsum pro dissensione quam hostis humani generis cunctorum malorum incentor inter te fili carissime ac carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem nexu sanguinis et affinitatis coniunctos suscitare invicem studuerat viis pacificis et accommodis sopienda dudum destinavimus, nobis retulit viva voce qualiter post labores et discursus varios, quos pro premissis in eisdem partibus subierat ac vias multiplices tactas et prolocutas per eum ut inter vos invicem posset pacis et caritatis unitas reformari tam tu fili dilectissime quam rex Maioricarum predictus allegationes et rationes iuris et facti, quibus uterque vestrum intentionem vestram super hiis pro quibus est exorta discordia fulcire intenditis in eiusdem archiepiscopi proponi fecistis presentia easque per ipsum nobis et venerabilium fratrum nostrorum collegio sancte Romane ecclesie cardinalium transmisistis. Nos igitur qui more patris benivoli quem non pretereunt incommoda filiorum pacem inter vos invicem reformari desideriis optamus intensis, allegationes et rationes huiusmodi quas benigne recepimus, videri et examinari ad illum finem facimus diligenter, ut viso et intellecto quis vestrum super premissis potius ius habeat inde vobis cercius scribere valeamus ac illi parti, que forsan nullum vel debilius ius habebit, quod ad pacem se inclinet et reducat paterno consilio suadere. Cum autem guerre ac invasiones et commotiones hostiles si forte quod absit ingruerent inter vos interim non sine magnis personarum et rerum dispendiis et animarum plangendis amarius periculis huiusmodi exasperarent negocium vel procurande unitatis et pacis utrique vestrum honorabilis et accommode fructum totaliter impedirent. Magnificentiam rogamus regiam et in domino attentius exhortamur, quatinus interim vel saltem usque ad instans festum Resurrectionis dominice vel alium terminum competentem, infra quem predicte rationes et allegationes possint videri et examinari perfecte pro divina et nostra ac sedis apostolice reverentia velit ab eisdem penitus abstinere. Nos enim regi Maioricarum predicto similes super hiis litteris destinamus.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. Avinione, XII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

985

1342 octubre 21, Avinyó

Climent VI prega a l'infant Jaume, fill del rei Alfons III d'Aragó (el Benigne) i comte d'Urgell, que s'interessi per l'establiment d'una treva entre el seu germà, el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i el rei Jaume III de Mallorca, mentre estudia la solució pacífica del plet que sostenen.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 7.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 299, doc. 601.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Iacobo nato clare memorie Alfonsi regis Aragonum comiti Urgellensi salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes honoribus et commodis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Petri Aragonum et Iacobi Maioricarum regum illustrium quamplurimum expedire, quod inter eos sanguinis et affinitatis nexu de propinquo coniunctos pacis et caritatis unitas invicem vigeat unicorum et odiorum quomodolibet vepribus extirpatis rationes et allegationes iuris et facti quas super hiis ex quibus est inter eos procurante hoste humani generis dissensio suscitata coram venerabili fratre nostro Armando archiepiscopo Aquensi, quem propter ea destinaveramus ad partes illas proponi fecerunt reges predicti et nobis transmiserunt per ipsum videri et examinari ad illum finem facimus diligenter, ut viso et intellecto quis ipsorum aut nullum seu debilius ius habeat eis scribere super hoc ac suadere, quod ad pacem se inclinent et reducant super hoc cercius et utilius valeamus. Sed quia per guerrarum fremitus et invasiones et commotiones hostiles si quod absit inter dictos reges ingruerent turbari vel saltem impediri posset super hiis fructus pacis, ad quam desideriis optamus intensis eosdem reges per nostras rogamus litteras et hortamur, ut interim vel saltem usque ad instans festum Resurrectionis dominice vel alium terminum competentem, infra quem possint rationes et allegationes predicte videri et examinari perfecte ab eisdem guerris invasionibus et commotionibus cessent penitus et desistant. Quocirca nobilitatem tuam rogamus attente, quatinus quam sit accommoda honoribus ac utilis utrique regi ac eorum subditis concordia unitatis et pacis circa hoc ut ad effectum deduci auctore domino valeant felicem et votivum sic sedule tue partes solicitudinis interponas, quod tue devotionis prudentia inde possit et debeat merito commendari.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. Avinione, XII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

986

1342 desembre 30, Avinyó

Climent VI exhorta el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) a realitzar la concòrdia amb el rei Jaume III de Mallorca, i amb aquesta finalitat li envia el cardenal prevere Andreu (Ghini Malpigli) de Santa Susanna, legat seu.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 8.
a Butlla amb fil de cànem.
b RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, XVI, p. 176, cap. 26.
c DÉPREZ-GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 36-37, doc. 167.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 300, doc. 602.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 269, doc. 5737.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quamvis ad pacis tranquillitatem propagandam in omnes et inter singulos pro viribus procurandam nostrum ab annis teneris pacis actor affectum direxerit et affectione huiusmodi necessitatem adiciens debitum officii pastoralis ad horum prosecutionem nos cunctis astringat ad impendenda tamen tibi fili carissime pacis comoda et discordiarum impedimenta tollenda racio ac singularis benivolentia nos invitant et ut celsitudo tua per successus prosperos deo gratos ac tibi et subditis tuis utiles deo auspice sucessiva suscipiat incrementa futuris que verisimiliter suspicamus obstaculis solerter occurrimus et pericula que probabilis coniectura minatur paterna solicitudine prevenimus. Hinc fili benedictionis et gratie, considerantes attentius quanta ex discordia, quam inter te et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem consanguineum et cognatum tuum pacis emulus et zizanie seminator noviter suscitavit, tibi ac ipsi vestrisque posteris imminere dispendia, quantaque hominum strages facultatum lapsus incendia rapine spolia dampa incomoda plurima oppressio iustitie et ecclesiastice libertatis conculcatio lesio rei publice infiniti sumptus et gravamina subditorum necnon quod amarius est deflendum, animarum infinita pericula possunt ex ipsa discordia, siquod absit invalescat ulterius, provenire, ac diligentius attendentes, quam grandis ex vestra unanimitate utilitas sequeretur, intensis desideramus affectibus, ut radices zizaniarum inter vos extirpentur radicitus, fo-

FUNDACIÓ NOGUERA

mes cuiuslibet odii extinguatur et pacis integritas reformetur, vigeat fraternalis dilectio et integra caritatis sinceritas preserveret. Ut autem huiusmodi nostrum laudabile propositum optatum et celerem auctore domino sorciatur effectum, et predictis dissensionibus et scandalis, ne procedant ulterius et durius invalescant, salubriter obvietur, dilectum filium nostrum Andream tituli sancte Susanne presbiterum cardinalem apostolice sedis nuntium virum utique laudande virtutis scientia et innata prudentia preditum, cultorem iustitie, sedulum amicum pacis et concordie zelatorem, licet eius presentia nobis et ecclesie generali necessaria nimium careamus inviti, ad partes ipsas pro huiusmodi sedanda discordia necnon pace et discordia inter te et ipsum Maioricarum regem actore domino reformandis, providimus de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum destinandum. Ideoque serenitatem tuam requirimus monemus et hortamur attente ipsam per salvatoris nostri aspersionem preciosi sanguinis obsecrantes, quatinus diligenter considerans predicta et alia non facile numeranda dispendia, que discordia ipsa pareret, necnon detrimentum quod catholice fidei eiusque cultoribus et presertim in frontaria blasphemorum Agarenorum parcium Africe constitutis et vicinis eisdem, ex dissensione huiusmodi proveniret, quantaque etiam audacia agrediendi ipsos et terras eorum et adversus eos exercendi persecutiones hostiles attrocius solito preberetur, et prudenter commemorans tranquilitatem et infinita comoda, que tibi et tuis subditis ex sedatione huiusmodi discordie provenirent, quantumque indecens est nec minus periculosum, tam sublimes et tanta coniunctas consanguinitate ac affinitate personas, animorum contrarietate disiungi seu adinvicem dissidere, animum tuum ad pacis solide unitatem inter te et ipsum regem Maioricarum, summotis impedimentis quibuslibet actore domino reformandam sic habilites et coaptes, quod inter te et ipsum cuiuslibet odii et rancoris occasione sublata, concordia desiderata proveniat, comunibus occurratur periculis et comunibus utilitatibus consulatur, et nichilominus prefatum cardinalem ob nostram et apostolice sedis reverentiam et suorum excellentiam meritorum, immo nos in ipso pocius benigne recipiens ac debita honorificentia prosequens et pertractans, eius in premissis salubribus monitis et paternis exhortationibus effectualiter acquiescas, ac ea, que tibi super hiis ex nostra parte vive vocis ministerio suggeret, credas indubie illaque sic devote suscipias et effectualiter exequaris, quod nos tue bone intentionis propositum et devotionis sinceritatem erga nos et sedem eandem possimus per effectum operis dignis in domino laudibus comendare, nobisque propterea preter pacis bonum et comodum, quod omne bonum superat, tibi et regno ac terris tuis actore domino ex huiusmodi nostris exhortationis

FUNDACIÓ NOGUERA

proventurum, subministres materiam, te velut benedictionis filium in futurum oportunis gratiis et favoribus prosequendi.

Dat. Avinione, III Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Primo.

987

1343 gener 3, Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó i Sardenya (el Cerimoniós), a petició del seu procurador, el mestre Guillem Riquer, ardiaca de Santa Engràcia d'Osca i capellà seu, que accedeix a la pròrroga del pagament del cens pel feu de Sardenya i Còrsega, corresponent a l'any anterior, fins la pròxima festa de Pentecosta, i l'absol de les censures en què ha incorregut per la morositat a fer efectiu el pagament.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 9.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 300, doc. 603.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum et Sardinie illustri salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita coram nobis pro parte tue magnificencie petitio continebat, quod cum tu fili carissime pro regno Sardinie et Corsice quod a nobis et ecclesia Romana sub certis vassalagio homagio ligio et fidelitatis iuramenta aliisque certis serviciis pactis conventionibus et conditionibus expressis plenius in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis tenes in feudum censum annuum duorum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festivitate beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis Romano pontifici et ecclesie memorate sub excommunicationis et aliis certis penis prout plenius continetur in eisdem litteris solvere tenearis huiusmodi censum in termino festivitatis eorundem apostolorum proxime iam elapso debitum nobis et eidem ecclesie minime solveris nec adhuc possis comode solvere certis oppressus necessitatibus sicut eadem petitio subiungebat, fecisti nobis humiliter supplicari, ut super solutione census eiusdem per te pro dicto termino debiti tibi dilationem aliquam et absolutionis beneficium ab excommunicationis sentencia quam in predicto termino seu infra quatuor menses extunc continue subsecutos predictum censum non solvendo iuxta tenorem litterarum predictarum incurrisse nosceris, concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur volentes te favoribus prosequi graciosis tibi sub certis obligationibus per dilectum filium magistrum Guill(ermu)m Richerii archidiaconum Sancteengracie in ecclesia Oscensi capellanum

FUNDACIÓ NOGUERA

nostrum procuratorem tuum ad hoc a te legitime constitutum in camera nostra prout in instrumento publico inde sumpto continetur, factis solutionem dicti census pro dicto termino festi eorundem apostolorum proximo preteriti ut premissum est debiti usque ad instans proxime festum Penthecostes de speciali gracia prorogamus. Et nichilominus te in personam dicti procuratoris tui ad hoc speciale mandatum habentis ab eadem excommunicationis sentencia duximus iuxta formam ecclesie tenore presentium absolvendum. Adiecto tamen specialiter et expresse quod si forsan in predicto festo Penthecostes censum predictum non solveres ut teneris in eandem excommunicationis relabaris sentenciam eo ipso et nichilominus tu et regnum predictum subiaceatis penis aliis in litteris supradictis contentis nec propter premissa vel aliqua eorundem aut quecunque alia intendimus sicut nec intelleximus hactenus contentis in prelibatis litteris super concessione dicti regni ut prefertur confectis in aliquo derogare nec aliquid super eis immutare, immo ea volumus et intelligimus in sui roboris efficacia perdurare.

Dat. Avinione, III Nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno Primo.

988

1343 gener 27, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que concerti la pau amb el seu cunyat, el rei Jaume III de Mallorca, amb una treva prèvia per arribar-hi.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 10.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 300-301, doc. 604.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quamquam pia et paterna solicitudinis nostre studia, que circa reformandam inter te carissime fili et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem hoste procurante humani generis dissidentes invicem concordiam adhibere sicut tua novit excellentia curavimus, tam venerabilem fratrem nostrum Armandum archiepiscopum Aquensem quam diversas exhortatorias litteras ad te fili dilectissime dictumque regem sepius destinando effectum non habuerint, quem desideriis optabamus intensis. Nos tamen more patris benivoli quem incommoda filiorum non pretereunt, ab huiusmodi nolentes inceptis desistere, sed potius gravibus personarum et rerum

FUNDACIÓ NOGUERA

necnon et animarum amarius plangendis periculis que tibi dictoque regi ac utriusque vestrum terris utique contiguis ac subditis et valitoribus suscitata inter vos adinvicem comminatur dissensio salubribus obviare remediis cupientes deliberatione cum fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus diligenti prehabita et matura, dilectum filium nostrum Andream tituli sancte Susanne presbiterum cardinalem apostolice sedis nuncium virum utique scientie profunditate probitatis et discretionis maturitate conspicuum in magnis et arduis probatum negociis, pacis veritatis et iustitie fervidum zelatorem ad te dictumque regem et partes illas ut prescisis dissensionis eiusdem vepribus pacis et caritatis inter vos iaciat semina fructus honoris utilitatis et honestatis uberes productura providimus destinandum. Quocirca regiam rogamus excellentiam et in domino attentius exhortamur, quatinus quot et quanta bona tibi et eidem regi sic propinquo nexu sanguinis et affinitatis coniuncto, quod familiaribus et secretis colloquiis et consiliis vestra deberetis negocia ordinare pacis et concordie mutue initas afferre poterit ac quot et quanta preter offensam divinam dispendia produceret ceptum dissidium, si duraret quod absit intra regii claustra pectoris diligenter premeditans et attendens ad pacem et concordiam huiusmodi deo gratam necnon ineundas treugas interim si necesse fuerit, ut ad pacem ipsam cicius et melius attingi domino largiente valeat usque ad competentis temporis spacium duraturas regium habilitans animum et inclinans prefati cardinalis monitis consiliis et persuasionibus in hac parte salubribus sic promptis et benignis affectibus regia sublimitas acquiescat quod pacis et caritatis reintegrata dulcedine cuncta dante domino succedant prospere tueque devotionis prudentia propter hoc condignis laudibus et commendationis attolli titulis mereatur.

Dat. Avinione, VI Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Primo.

989

1343 abril 2, Avinyó

Climent VI confirma la lletra de Joan XXII datada a Avinyó l'11 de juny de 1333 i donada a la ciutat i diòcesi de Barcelona i als ciutadans i diòcesis dels regnes d'Aragó i Mallorca sobre els beneficis i capellanies perpètues.

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 37-5-1.
a Butlla perduda.

FUNDACIÓ NOGUERA

CLEMENS (VI) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Tenorem quarundam litterarum felicis recordationis Iohannis pape XXII predecessoris nostri universis presbiteris in ecclesia ac civitate et diocesi Barchinonensi et aliis in aliis ecclesiis civitatibus et diocesibus existentibus in Aragonie et Maioricarum regnis eorumque dominiis et districtibus capellanias et perpetua beneficia ecclesiastica pro animarum instituentum ea salute admissas et alia divina officia celebranda instituta obtinentibus concessarum in eiusdem predecessoris regestro repertum ad dilectorum filiorum universorum presbiterum similia beneficia in ecclesia civitate ac diocesi Vicensi obtinentium supplicationis instantiam de verbo ad verbum presentibus annotari fecimus, qui talis est:

Iohannes episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Sancta Romana ecclesia que super omnes alias ecclesias orbis obtinet ex institutione superna primatum et in eas cunctosque dei ministros ordinarie iurisdictionis principatum exercet circa divini cultus, per quem etiam bravium eterne felicitatis acquiritur, ampliationem et continuationem ipsius diligenter intenta de statu prospero et salubri ministrorum eorundem ac beneficiorum ecclesiasticorum, quorum ipsi stipendiis sustentantur pro temporum varietate diversitate locorum ministrorum et beneficiorum qualitatibus prefatorum salubriter ac utiliter ordinat et disponit prout suadentibus causarum rationibus rationabiliter expedire conspicit, ut pro vivis atque defunctis devotis laudibus iugiter excolatur ac etiam exoretur altissimi excellencia maiestatis. Ex conquestione siquidem dilectorum filiorum universorum presbiterorum in ecclesia civitate et diocesi Barchinonensi et aliorum in aliis ecclesiis civitatibus et diocesibus existentibus in Aragonie et Maioricarum regnis eorumque dominiis et districtibus perpetuorum beneficiorum capellanias et beneficia ecclesiastica perpetua pro animarum instituentium ea salute admissas et alia divina officia celebranda instituta obtinentium ad apostolatus nostri pervenit auditum, quod licet capellanie ac beneficia huiusmodi a fidelibus, ut premittitur, instituta existere dinoscantur et successive instituantur quemadmodum procedit ex devotione fidelium predictorum ac proventus capellaniarum et beneficiorum ipsorum singulorum viginti librarum Barchinonensium valorem annuum communiter non excedant, tamen collectores deputati pro tempore ad colligendum decimas proventuum ecclesiasticorum et exigendum alia onera et subsidia, que ecclesiis et beneficiis ecclesiasticis civitatum et diocesium regnorum dominiorum et districtuum predictorum apostolica vel metropolitica seu ordinaria vel quavis alia auctoritate pro tempore imponuntur extorquere satagunt, minus pie decimas et subsidia eadem a presbiteris prelibatis

FUNDACIÓ NOGUERA

ratione capellaniarum et beneficiorum perpetuorum, que ut prefertur obtinent eosque compellere ad ipsa onera pro capellanis et beneficiis huiusmodi supportanda et inde contingit, quod ipsi presbiteri qui nulla alia beneficia ecclesiastica obtinent, preinopia languere coguntur, et ex necessitatis tedio provenit, quod ob defectum vite necessariorum dictorum presbiterorum in capellaniis et beneficiis eisdem debita et consueta intermittuntur obsequia in diminutionem eiusdem divini cultus et fraudationem piarum intentionum fidelium instituentium capellanias et beneficia memorata. Nos igitur super premissis oportunis apostolice provisionis remediis providere volentes, ne derogetur cultui antedicto neve ipsorum instituentium devota et pia super hiis intentio defraudetur et ne collangueant egestatis pressura depressi presbiteri supradicti de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica ordinamus et volumus, quod predicti presbiteri presentes et posteri pro capellaniis et beneficiis iamdictis institutis et instituendis in antea tam pro fidelium defunctorum quam vivorum salute dummodo singuli eorundem presbiterorum singulas capellanias vel singula beneficia huiusmodi dumtaxat obtineant et personaliter resideant ac deserviant in eisdem necnon earundem capellaniarum singule seu beneficiorum ipsorum singula communi extimatione viginti librarum dicte monete valorem annuum non excedant decimam et alia subsidia solvere necnon alia extraordinaria onera imposita et imponenda supportare nullatenus teneantur, decernentes fore irritum et inane si secus extiterit attemptatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre ordinationis voluntatis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Avinione, III Idus Iunii, pontificatus nostri anno Decimoseptimo.[38]

Decernimus itaque tenorem eundem taliter annotatum illam fidem ubique tam in iudicio quam extra iudicium posse facere et habere ac eandem cum eundem vigorem ubique per omnia obtinere, quas et quem originales littere dicti predecessoris exinde confecte possent facere et haberent et etiam obtinerent, si forent exhibite vel ostense ac eidem tenori stetur firmiter in omnibus sicut staretur eisdem originalibus litteris ubicunque fuerit exhibitus vel ostensus. Per hoc autem nolumus ius novum acquiri alicui sed antiquum tantummodo conservari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

38. MOLLAT, *Jean XXII, lettres communes*, XII, p. 165, doc. 60523.

FUNDACIÓ NOGUERA

Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, IIII Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno Primo.

990

1343 juny 9, Avinyó

Climent VI exhorta el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que després d'enviar-li Armand (de Nansès), arquebisbe d'Ais de Provença, i Andreu (Ghini Malplighi) de Santa Susanna, per la reforma de pau amb el rei Jaume III de Mallorca, li dispensi bona acollida i segueixi els consells del cardenal prevere Bernat (d'Albia) de Sant Ciríac in Termes, legat seu, enviat especial per concertar la pau amb el rei Jaume III de Mallorca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 12.

a Butlla amb fil de cànem.

b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 71-72, doc. 220.

c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 301, doc. 605.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Fili carissime licet pro reformanda pace et concordia inter te et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem, quos pacis emulus zizanie seminator ab unitate seiunxit, nostra studia impenderimus ac venerabilem fratrem nostrum Armandum archiepiscopum Aquensem primo et deinde bone memorie Andream tituli sancte Susanne presbiterum cardinalem apostolice sedis nuntium ad partes ipsas duxerimus destinandos ac eorum operationis ministerium impediente satore discordie non fuerit iuxta nostrum desiderium sortitum effectum, sed dictus cardinalis imperfecto negotio extiterit sicut domino placuit in prosecutione negotiorum huiusmodi vita functus, quia tamen sicut displicenter referimus, et evidentia facti notoriat, huiusmodi discordia non diminuta sed potius aucta videtur et diutius aggravata. Nos prout ex debito pastoralis nobis iniuncti tenemur officii, volentes tot et tantis malis periculis et scandalis, que premissa dissentio paritura minatur occurrere, ne invalescant ulterius et fortius coalescant, salubriter obviare, presertim propter singularis et paterne dilectionis affectum, quem ad te ipsumque Maioricarum regem habuimus et habemus, et vitanda dispendia, que tuis et eiusdem subditis ac toti rei publice provenerunt hactenus et dinoscuntur assidue

FUNDACIÓ NOGUERA

provenire, ac diligentius attendentes, quam grandis ex tua et ipsius regis Maioricarum unanimitate utilitas sequeretur, non intendimus ab inchoatis per nos desistere, sed eis insistere non solum oportune sed etiam importune nostrique officii adimplere debitum, ut zizaniarum radices inter te et ipsum totaliter extirpentur, fomes cuiuslibet odii extinguatur, ab hostilibus hincinde cessetur insultibus et pacis integritas reformetur. Ut autem huiusmodi nostrum desiderium sicut appetimus optatum et celerem auctore domino sortiatur effectum, dilectum filium nostrum Bernardum tituli sancti Ciriaci in Termis presbiterum cardinalem apostolice sedis nuntium virum utique laudande virtutis et in arduis agendis expertum scientia et innata prudentia preditum cultorem iustitie pacis amicum et tui honoris precipue ac concordie zelatorem, licet eius presentia nobis et ecclesie generali necessaria careamus, inviti ad partes ipsas pro huiusmodi sedanda discordia necnon pace et concordia inter te et ipsum Maioricarum regem actore domino reformandis providimus de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum destinandum. Ideoque serenitatem tuam requirimus monemus et hortamur attente ipsam per salvatoris nostri aspersionem preciosi sanguinis obsecrantes, quatinus diligenter considerans predicta et alia non facile numeranda dispendia, que discordia ipsa parit necnon detrimentum quod catholice fidei eiusque cultoribus et presertim in fronteria blasphemorum Agarenorum partium Affrice constitutis et vicinis eisdem ex dissensione huiusmodi provenit, quantaque etiam audatia agrediendi christianos ipsos et terras eorum et adversus eos exercendi persecutiones hostiles atrocius solite exhibetur et prudenter commemorans tranquilitatem et infinita commoda, que tibi et tuis subditis ex sedatione huiusmodi discordie provenirent, quantumque indecens est nec minus periculosum tam sublimes et tanta coniunctas consanguinitate et affinitate personas animorum contrarietate disiungi seu invicem dissidere animum tuum ad pacis solicide unitatem inter te et ipsum regem Maioricarum summotis impedimentis quibuslibet actore domino reformandam sic habilites et coaptes, quod inter te et ipsum cuiuslibet odii et rancoris occasione sublata concordia desiderata proveniat, comunibus occurratur periculis et communibus utilitatibus consulatur, et nichilominus prefatum cardinalem ob nostram et apostolice sedis reverentiam et suorum excellentiam meritorum, immo nos in ipso potius benigne recipiens ac debita honorificentia prosequens et pertractans eius in premissis salubribus monitis et paternis exhortationibus effectualiter acquiescas, ac ea que tibi super hiis ex nostra parte vive vocis ministerio suggeret credens indubie illa sic devote suscipias et effectualiter exequaris, quod nos tue bone intentionis propositum et devotionis sinceritatem erga nos et sedem eandem possimus per effectum operis dignis in domino laudibus

FUNDACIÓ NOGUERA

commendare, nobisque propterea preter pacis bonum et commodum, quod omne bonum superat tibi et regno ac terris tuis auctore domino ex huiusmodi nostris exhortationibus proventurum subministres materiam te velut benedictionis filium infuturum oportunis gratiis et favoribus uberius prosequendi.

Dat. Avinione, V Idus Iunii, pontificatus nostri anno Secundo.

991

1343 juny 19, Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de mil marcs d'argent, a través de Bernat de Puig, escrivà i procurador reial, lliurats a favor del rei Pere com a cens corresponents a l'any anterior pel feu de Sardenya i Còrsega. Al mateix temps, l'absol de les censures en les quals ha incorregut per la morositat en el pagament, malgrat la pròrroga atorgada al seu procurador Guillem Riquer, ardiaca de Santa Engràcia d'Osca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 13.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 78, doc. 233.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 301-302, doc. 606.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum et Sardinie ac Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte celsitudinis tue propositum dudum extitit coram nobis, quod tu, fili carissime, qui pro regno Sardinie et Corsice quod a nobis et ecclesia Romana sub certis vassallagio homagio ligio et fidelitatis iuramento aliisque serviciis pactis conventionibus et conditionibus expressis plenius in litteris apostolicis super concessione ipsius regni confectis tenes in feudum, censum annuum duarum milium Marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis Romano pontifici et eidem Romane ecclesie sub excommunicationis et aliis certis penis in eisdem litteris contentis et expressis plenius teneris solvere solutionem eiusdem census pro termino festi eorundem apostolorum proxime preterito exhibere comode aliis pressus necessitatibus non valeres. Nos te volentes favorabiliter prosequi, tuis supplicationibus inclinati III Nonas Ianuarii proximo iam elapsi tibi sub certis obligationibus per dilectum filium magistrum Guillermum Richerii archidiaconum sancte Engracie in ecclesia Oscensi capellanum nostrum procurato-

FUNDACIÓ NOGUERA

remque tuum ad hoc legitime constitutum in camera nostra factis, solutionem dicti census pro dicto termino festi eorundem apostolorum tunc et nunc proximo preteriti ut prefertur debiti usque ad instans tunc, nunc vero elapsum festum Penthecostes duximus per nostras litteras prorogandum, te nichilominus ab excommunicationis sentencia quam dictum censum pro eodem termino debito tempore non solvendo incurreras, absolventes, adiecto tamen specialiter et expresse quod si forsan in predicto festo Penthecostes censum predictum non solveres, in eandem excommunicationis relabereris sentenciam ipso facto, et nichilominus tu et regnum predictum subiaceretis penis aliis in prefatis litteris dicte concessionis contentis, sicut in prefatis litteris super huiusmodi prorogatione ac absolutione confectis plenius continetur. Cum autem censum predictum duarum milium Marcharum argenti pro dicto termino festi dictorum apostolorum proximo preteriti debitum, quem in predicto festo Penthecostes certis impedimentis detentus nequivisti solvere, die dat. presentium in novem milibus octogintatribus Florenis et tercia parte unius Floreni auri, marcha qualibet pro quatuor Florenis auri et sex Turonensibus grossis argenti cum dimidio ac quolibet Floreno pro duodecim Turonensibus grossis argenti computatis, per manum dilecti filii Bernardi de Podio scriptoris tui duxeris nostre camere persolvendum, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi de cautele sufficientis super solutione huiusmodi ac absolutionis et relaxationis ab eisdem penis remedio de benignitate sedis apostolice dignaremur. Nos igitur supplicationi huiusmodi benignius inclinati, solutionem huiusmodi de dicto censu pro prefato termino festi eorundem apostolorum elapsi proximo factam predicte camere ut prefertur ratam habentes et gratam te tuosque successores ac tua et eorum bona de dictis duabus milibus Marchis pro dicto censu ut superius est expressum solutis absolvimus tenore presentium et quitamus, et nichilominus te fili dilectissime volentes amplius prosequi graciose te absolvimus ab eadem excommunicationis sentencia et penis aliis, quas racione solutionis dicti census pro dicto termino non facte tempore debito incurristi. Non intendentes nec volentes propter premissa vel aliquod premissorum super aliquibus contentis in litteris concessionis dicti regni predictis aliquid immutare nec eis in aliquo quomodolibet derogare.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Secundo.

FUNDACIÓ NOGUERA

992

1343 juliol 1, Vilanova d'Avinyó

Climent VI prega i implora al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que concerti la pau amb el rei Jaume III de Mallorca en atenció a la seva germana, la reina Constança, i al seu nebot, hereu del regne; amb aquesta finalitat li envia el cardenal prevere Bernat (d'Albia) de Sant Ciríac in Termes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 14.
a Butlla amb fil de cànem.
b BALUZE - MOLLAT, *Vitae paparum Avenionensium*, IV, p. 16-17, doc. 96.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 85, doc. 254.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 302, doc. 607.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Regalis excellentie litteras quas ad iustificationem processuum et aliorum, que per te fili carissime facta fuerunt, hiis diebus preteritis contra carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem nostro apostolatui noviter destinasti,[39] solita benignitate recepimus et que continebantur in eis pleno collegimus intellectu. Sane fili dilectissime quamvis premissa tam gestis diversis inter clare memorie reges Aragonum et Maioricarum olim habitis quam efficacium rationum eloquiis elegantibus iustificare fortiter per illa que describuntur in predictis litteris videaris, pro parte tamen regis predicti excusationes et rationes allegantur, que iustificare videntur non parum econtrario factum suum. Verum quia rex ipse de domo et prosapia tua regia processisse noscitur et tibi nexu sanguinis et affinitatis de propinquo non modicum, cum sororem tuam germanam in uxorem habeat, ex qua prolem utriusque sexus suscepit, proculdubio est coniunctus si laudabilia progenitorum tuorum vestigia imitari sicut te decet curaveris tuis convenire honoribus non videtur, ut ad regis prefati suique primogeniti nepotis tui qui ei de iure debet succedere aspires exterminium quomodolibet vel intendas. Nam rex ipse nequiret sic confundi te predictoque nepote tuo ipsius regis primogenito ac carissima in Christo filia nostra Constantia regina Maioricarum illustri germana tua ipsiusque regis coniuge remanentibus inconfusis. Quocirca regalem tuam rogamus excellentiam attentius et per dei misericordiam obsecramus, quatinus hec et alia que regie considerationi possunt super

39. 13 de juny de 1343; BALUZE - MOLLAT, *Vitae paparum Avenionensium*, IV, p. 11-16, doc. 95.

FUNDACIÓ NOGUERA

hiis occurrere, intra pectoris regii claustra revolvens et considerans nichilominus diligenter, quod postquam super cepto negotio contra regem eundem honorem recepisti votivum, regius debet animus ad pacem et misericordiam inclinari, cum sacra teste scriptura firmiter clementia thronus regis erga regem prefatum domumque suam quam velut propriam ex premissis causis et multis aliis teneris prosequi gratiis ac favoribus oportunis, non solum iustitia sed etiam gratia velis uti. Porro quia didicimus ab experto quod dilectus filius noster Bernardus tituli sancti Ciriaci in Termis presbiter cardinalis apostolice sedis nuntius tui honoris et comodi fervidus zelator existit, ipsum ad te fili amantissime partesque illas propter premissa spetialiter providimus destinandum, cuius monitis consiliis et exhortationibus in hac parte salubribus sic benigne clementer et pie quesumus acquiescas, quod tali et tante tamque honorabili victorie clementia succedente fama tui nominis et honoris exinde felicia per orbem incrementa suscipiat et apud deum, qui pios et misericordes sic diligit, quod ipse pater misericordiarum eis misericordiam repromittit uberiorem in presenti gratiam et in futuro beatitudinis gloriam consequaris.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Secundo.

993

1343 juliol 10, Avinyó

Climent VI mana a l'ardiaca d'Empúries, diòcesi de Girona, decidir el procés entre l'abadessa i el convent del monestir de Sant Daniel, prop de Girona, de l'orde de sant Benet, i Dalmau del Mont, canonge de Girona, sobre la recepció de la nena Francesca Auger en el monestir, després de l'apel·lació a la Seu Apostòlica feta per l'abadessa i el convent.

A Girona, Arxiu Conventual de Sant Daniel, núm. 775.
a Butlla amb fil de cànem.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. archidiacono Impuritanensi in ecclesia Gerundensi salutem et apostolicem benedictionem. Sua nobis dilecte in Christo filie .. abbatissa et conventus monasterii sancti Danielis prope Gerundam ordinis sancti Benedicti petitione monstrarunt, quod cum Dalmathius de Monte canonicus Gerundensis asserens quod nos sibi et duobus aliis eius in hac parte collegis nostris dederamus sub ea forma litteris in mandatis, ut ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios Franciscam Augerie puellam Gerundensis diocesis cupientem una cum dictis .. abbatissa et conventu in eodem monasterio sub regulari habitu domino famulari

FUNDACIÓ NOGUERA

in eodem monasterio auctoritate nostra recipi facerent in monacham et sororem sibique iuxta consuetudinem dicti monasterii regularem habitum exhiberi et de communibus eiusdem monasterii proventibus sicut uni ex aliis dicti monasterii monialibus integre provideri, et eam sincera ibidem in domino caritate tractari, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, et solus in hac parte procedens auctoritate dictarum litterarum easdem .. abbatissam et conventum monuisset et mandasset eisdem ut infra certum terminum prefatam Franciscam in eodem monasterio reciperent in monacham et sororem sibique regularem habitum iuxta consuetudinem dicti monasterii exhiberent et de communibus eiusdem monasterii proventibus sicut uni ex aliis dicti monasterii monialibus integre providerent et eam sincera ibidem in domino caritate tractarent, in eas si monitioni et mandato huiusmodi non parerent excommunicationis suspensionis et interdicti sententias promulgando, ex parte predictarum .. abbatisse et conventus fuit coram eodem canonico excipiendo propositum quod cum facultates eiusdem monasterii adeo essent tenues et exiles quod ipse .. abbatissa et conventus non poterant ex eis comodo sustentari sicut erant legitime probare parate, prefatus canonicus ad monitionem et mandatum huiusmodi processerat minus iuste dicteque abbatissa et conventus eisdem monitioni et mandato parere minime tenebantur et ad id compelli de iure non poterant nec debebant. Et quia predictus canonicus eas super hoc audire contra iusticiam recusavit, pro parte dictarum abbatisse et conventus exinde sentientium indebite se gravari infra dictum terminum et tempus legitimum fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quod canonicum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, VI Idus Iulii, pontificatus nostri anno Secundo.

994

1343 juliol 28, Vilanova d'Avinyó

Climent VI mana al prior del monestir de Sant Pau (del Camp) de Barcelona i als canonges Miquel Ricomà de l'església de València i a Pere Rigau de l'església d'Urgell tenir cura a assignar a Jaume de la Serra, clergue d'Urgell, un benefici eclesiàstic, amb cura o sense cura d'ànimes, contemplat en la col·lació del capítol de Barcelona.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-220.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. priori monasterii sancti Pauli Barchinonensis per priorem soliti gubernari et Michaeli Ricommani Valentine ac Petro Rigaudi Urgellensis ecclesiarum canonicis salutem et apostolicam benedictionem. Suffragantia dilecto filio Iacobo dela Serra clerico Urgellensis diocesis merita probitatis, super quibus apud nos laudabile sibi testimonium perhibetur, rationabiliter nos inducunt, ut ad personam suam apostolice provisionis dexteram extendamus. Hinc est quod nos volentes sibi premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus redditus et proventus si cum cura sexaginta si vero sine cura foret quadraginta librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime valorem annuum non excederent, ad dilectorum filiorum capituli ecclesie Barchinonensis collationem provisionem seu quamvis aliam dispositionem pertinens communiter vel divisim, siquod tunc vacabit vel cum vacaret, quod ipse per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spatium postquam sibi vel eidem procuratori de ipsius beneficii vacatione constaret duceret acceptandum, conferendum sibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservavimus, districtius inhibentes eisdem capitulo, ne de huiusmodi beneficio interim etiam ante acceptationem predictam nisi postquam eis constaret, quod Iacobus vel procurator predicti illud nollent acceptare, disponere quoquo modo presumerent, ac decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales sedis apostolice vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per e[as ad] inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus dictum Iacobum in assecutione [dicti ...] voluimus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari, seu si eisdem capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a [dict]a sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem seu qu[amv]is aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qu[a]-

FUNDACIÓ NOGUERA

libet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in dictis nostris litteris mentio specialis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios beneficium huiusmodi per nos ut premittitur reservatum, si huiusmodi nostre reservationis tempore vacabat vel extunc vacavit aut cum illud vacare contigerit, eidem Iacobo post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem beneficii iurium et pertinentiarum predictorum et defendentes inductum ac facientes sibi de ipsius beneficii fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis seu si eisdem capitulo et singularibus personis vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V Kalendas Augusti, pontificatus nostri Anno Secundo.

995

1343 setembre 12, Vilanova d'Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que ha fet el trasllat de l'abat Guiu del monestir de Sant Llorenç del Munt de l'orde de sant Benet, diòcesi de Girona, com a electe de Santa Maria d'Amer del mateix orde i de la mateixa diòcesi. La vacant es produí per l'òbit de l'abat Ferrer.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 15.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 302-303, doc. 608.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Divine gratia maiestatis acquiritur si ministris eius et hiis precipue, qui sunt dignitatis titulo insigniti pro ipsius reverentia honor condignus impenditur et favor necessarius exhibetur. Nuper siquidem quondam

FUNDACIÓ NOGUERA

Ferrerio abbate monasterii sancte Marie de Ameriis ordinis sancti Benedicti Gerundensis diocesis in humanis agente, nos cupientes eidem monasterio cum vacaret per apostolice sedis providentiam utilem et ydoneam iuxta cor nostrum presidere personam, provisionem ipsius monasterii cum ipsum per eiusdem Ferrerii obitum vel alio quovis modo vacare contingeret, dispositioni nostre et sedis apostolice ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac deinde predicto monasterio per ipsius Ferrerii obitum qui in partibus illis diem clausit extremum, abbatis regimine destituto. Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta considerantes, quod nullus preter nos ea vice de provisione ipsius monasterii se intromittere potuerit neque poterat reservatione et decreto obstantibus supradictis ac nolentes periculis que dictum monasterium ex diutina vacatione incurrere possit paternis et solicitis studiis obviare post deliberationem quam ad preficiendum eidem monasterio personam utilem ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Guidonem dicti sancte Marie tunc sancti Laurentii de Monte ordinis et diocesis predictorum monasteriorum abbatem consideratis suarum virtutum meritis, quibus personam suam sicut ex fidedignis testimoniis dominus insignivit convertimus oculos nostre mentis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis de persona dicti Guidonis prefato monasterio sancte Marie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus ipsumque illi prefecimus in abbatem curam et administrationem eiusdem monasterii sancte Marie eidem Guidoni tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod prefatum monasterium sancte Marie sub suo felici regimine gratia sibi suffragante divina grata suscipiet incrementa. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem abbatem quem ob suorum exigentiam meritorum benivolentia prosequimur speciali et commissum sibi monasterium habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendata, sic te illi benivolum exhibeas sic favorabilem largiaris ipsum et idem monasterium regalis benivolentie gratia prosequendo, quod idem abbas tuis presidiis circumfultus commissum sibi regimen facilius et efficatius cooperante domino prosequatur, nosque proinde benivolentiam regiam dignis in domino laudibus attollamus.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Idus Septembris, pontificatus nostri anno Secundo.

FUNDACIÓ NOGUERA

996

1343 octubre 23, Avinyó

Climent VI exhorta tots els ciutadans de Tarragona per tal que es dediquin a induir el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) a fer el tractat de pau i de concòrdia amb el rei Jaume III de Mallorca.

A Tarragona, Arxiu Municipal, calaix 22, núm. 4.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis universitati civitatis Terraconensis salutem et apostolicam benedictionem. Reformationem pacis et concordie federa inter carissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum et Iacobum Maioricarum reges illustres, quos prochdolor dissensio periculosa pariter et dampnosa seiungit, paternis affectibus et intensis desideriis affectantes a principio suborte dissensionis huiusmodi apostolice solicitudinis partes adhibere curavimus ac vias et modos exquisivimus et etiam nonnullos ex fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus ad dictorum regum regna et terras eorum subiectas dominio duximus destinandos, ut inter eos posset pacis et unitatis vinculum reformari quodque licet huiusmodi nostrum desiderium nequiverit totaliter adimpleri. Tamen operante ministerio dilecti filii nostri Bernardi tituli sancti Ciriaci in Termis presbiteri cardinalis sufferencie ab illatione cuiuslibet nominatis noxie hinc et inde usque ad certi temporis spacium durature inter reges ipsos etiam de ipsorum assensu inite extiterunt. Ex quibus verisimiliter presumimus guerrarum et congressionum hostilium quiescente procella debere firmam pacem subsequi et motus dictorum regum discordias ad concordiam inclinari. Et quia huiusmodi discordia nobis molesta est plurimum et infesta et regum ipsorum velut nostrorum et ecclesie Romane filiorum specialium incomoda nos contingunt ac totis desideramus viribus, ut pax et concordia huiusmodi celeriter compleantur, nos velut pater de statu et salute filiorum soliciti venerabilem fratrem nostrum Armandum archiepiscopum Aquensem apostolice sedis nuncium pro tractatu pacis et concordie huiusmodi ad partes ipsas providimus destinandum. Ideoque universitatem vestram rogamus in domino et hortamur, quatinus cum credamus firmiter quod vestra filialis devocio potest ad bonum pacis huiusmodi bona plurima operari, pro nostra et apostolice sedis reverencia et bono publico prefatum regem Aragonum viis et modis de quibus expedire videritis ad pacem et concordiam totis viribus hortari et inducere studeatis ac eiusdem archiepiscopi salubribus monitis et exhortationibus circa ista studeatis intendere cum effectu. Ita quod vestro coadiuvante operationis ministerio huiusmodi pax et concordia sicut appetimus

FUNDACIÓ NOGUERA

perpetuo reformentur. Vosque propterea preter eterne retributionis premium nostram et sedis eiusdem benedictionem et graciam possitis uberius promereri.

Dat. Avinione, x Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Secundo.

997

1344 març 29, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, a concertar una treva amb el rei Jaume III de Mallorca fins a la festa de Sant Miquel arcàngel, amb motiu de preparar la pau definitiva, i per a aquesta finalitat li ha enviat el seu legat, l'arquebisbe Armand (de Nansès) d'Ais de Provença.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 16.
a Butlla amb fil de cànem.
b BALUZE - MOLLAT, *Vitae paparum Avenionensium*, IV, p. 45-46, doc. 110.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 391, doc. 744.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 303, doc. 609.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Paternis desiderantes affectibus te fili carissime domumque tuam regiam intra nostra et apostolice sedis precordia recumbentes pacis salutis et honoris habundare comodis et ad hec reformationem unitatis et concordie mutue inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem tanto tibi tamque propinquo vinculo sanguinis et affinitatis coniuncto, quod confundi nequiret te domoque predicta remanentibus inconfusis oportunam immo necessariam multipliciter extimantes te ad ipsam concordiam per nostros solennes nuntios et litteras ad te missos sepius sicut novit regalis circunspectio duximus exhortandum. Et licet hostis antiqui humani generis pacis et caritatis emuli ac odiorum et dissensionum nutritoris nequissimi malicia prevalente nondum satisfactum in hac parte fuerit, votis nostris adhuc tamen circa cepta per nos huiusmodi de radice caritatis utique prodeuntia tanto ferventius providimus insistendum quanto sincerius et affectuosius tua et eiusdem regis spiritualia et temporalia comoda affectione paterna zelamus. Quocirca tuam regalem magnificentiam rogamus et hortamur attentius ac per dei misericordiam obsecramus, quatinus premissa et alia que sepe

FUNDACIÓ NOGUERA

super hiis scripsimus, intra pectoris claustra regii matura et diligenti consideratione revolvens et attendens nichilominus, quod nobilis valde reputatur illa victoria et magnis laudibus extollenda, que per clementiam consummatur quodque predicta concordia, si eam dederit pacis auctor tibi honoris augmentum non modicum quietem animi et alia innumerabilia deo placabilia commoda non solum tibi fili dilectissime, sed etiam tuis et regis predicti devotis et subditis fideique catholice proculdubio ministrabit, ad eam cor inclines regium et coaptes, et ut tractari per vias tibi honorabiles et alias oportunas et iustas utilius et liberius quiescentibus guerrarum discriminibus, quibus deus pacis offenditur, valeat ad treugas inter te dictumque regem ac utriusque valitores adherentes et subditos ineundas vel indicendas usque ad instans festum beati Michaelis archangeli duraturas consensum benignum et favorabilem prebeat obnixe quesumus regia celsitudo venerabili fratri nostro Armando archiepiscopo Aquensi apostolice sedis nuncio, quem ad partes illas propterea destinavimus clementer et benigne super premissis nichilominus intendendo.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Secundo.

998

1344 abril 12, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, a petició del bisbe Pere (Seguer) d'Elna, que consideri la ciutat, els castells i llocs de la seva església neutrals en la lluita que sostè contra el rei Jaume III de Mallorca, segons l'ús de Catalunya, perquè si bé els seus homes han jurat fidelitat al rei Jaume III de Mallorca, ha estat sota amenaces i coaccions.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 17.
a Lletra tancada. Marge inferior retallat. Butlla perduda.
b MONTSALVATGE Y FOSSAS, *El obispado de Elna*, I, p. 396-397.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 408-409, doc. 773.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 303-304, doc. 610.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper venerabilis frater noster Petrus episcopus Elnensis nobis exponere procuravit, quod quamvis secundum usus Catalonie sua ecclesia Elnensis cum civitate castris villis et hominibus suis sit et esse debeat in treuga et pace, ita quod a nullo etiam guerris inter principes ingru-

FUNDACIÓ NOGUERA

entibus debet, nisi se constitueret in guerra, offendi, tamen carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Maioricarum illustris, qui contra civitatem predictam iandiu est, quibusdam occasionibus rancores dicitur concepisse, in civitate ipsa, in qua non ad ipsum regem, sed ad eandem ecclesiam solam et insolidum omnimoda temporalis iurisdictio cum mero et mixto imperio dinoscitur pertinere, capitaneum pro eiusdem civitatis custodia de facto constituens, ab hominibus ipsius civitatis ad hoc per vim et metum coactis iuramentum fidelitatis et homagium osculo mediante recepit, in quo quidem iuramento poni fecit expresse, quod ipsi homines civitatem et locum Elnenses defendent contra te fili carissime teque aut tuos non recipient nec tibi aut tuis adversus regem Maioricarum predictum prestabunt auxilium vel iuvamen. Cum autem premissa per violentiam ac contradicentibus et renitentibus eodem episcopo ac dilectis filiis capitulo ecclesie predicte ipsorumque officialibus ab hominibus supradictis extorta et in ipsorum episcopi capituli et ecclesie manifestum preiudicium redundantia, te fili dilectissime nequaquam movere debeant contra ipsos, excellentiam regiam rogamus et attentius in domino exhortamur, quatinus predicta et eorum circumstantias intra regii pectoris claustra pia consideratione discutiens et attendens, eorum occasione violenter et preiudicialiter sicut intelleximus extortorum, civitatem predictam aut alias terras episcopi capituli et ecclesie predictorum circumspectio regalis non extimet constitutas in guerra, sed eas habens potius pro divina et nostra sedisque apostolice reverentia favore regio commendatas, gentes regias armigeras ab eorum invasionibus et offensionibus iubeat et faciat effectualiter prohiberi.

Dat. Avinione, II Idus Aprilis, pontificatus nostri anno Secundo.

999

1344 maig 5, Avinyó

Climent VI prega i implora al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), a precs de l'arquebisbe Gausbert de Narbona, cambrer seu, que reiteri als seus oficials i soldats (en la lluita contra el rei Jaume III de Mallorca) la prohibició de molestar els habitants del castell d'Apiano, al comtat de Rosselló, pertanyent a l'església de Mallorca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 18.
a Butlla perduda.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 427-428, doc. 810.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 304, doc. 611.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper venerabilis frater Gasbertus archiepiscopus Narbonensis camerarius noster nobis exponere procuravit, quod tu fili carissime ipsius precibus favorabiliter annuens et benigne, per litteras mandasti et inhibuisti regias, ne gentes et subditi tui castrum de Apiano infra comitatum Rossilionis consistens ac ad eundem archiepiscopum et suam Narbonensem ecclesiam pertinens pleno iure aut habitatores et incolas castri eiusdem, quos volebas sub tua protectione manere, molestarent, aut impedimenta vel dampna quecumque inferre presumerent quoquomodo, super hiis multipliciter regiam benivolenciam commendando. Cumque sicut eiusdem archiepiscopi habet assertio, officiales et gentes predicti plene mandatum regium huiusmodi non observent, excellenciam regiam deprecamur, quatinus mandatum iterando huiusmodi iubere velit districtius excellencia regia, ut tenaciter observetur, ita quod eundem archiepiscopum tui honoris et commodi zelatorem ad hec tibi non immerito efficias promptiorem.

Dat. Avinione, III Nonas Maii, pontificatus nostri anno Secundo.

1000

1344 maig 5, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, a precs de l'abat i del convent del monestir (de Santa Maria) de la Grassa de l'orde de sant Benet, diòcesi de Carcassona, nebot seu, que prohibeixi als seus oficials i soldats envair o perjudicar els castells i llocs sagrats que posseeix al comtat de Rosselló d'aquest monestir perquè són neutrals en la lluita que sosté amb el rei Jaume III de Mallorca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 19.
a Butlla perduda.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 427, doc. 809.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 304-305, doc. 612.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper dilecti filii .. abbas et conventus alieque persone monasterii Crassensis ordinis sancti Benedicti Carcassonensis diocesis nobis fecerunt exponi, quod ipsi communiter vel divisim infra comitatum Rossilionis habent et habuerunt ab antiquo nonnulla castra et loca, que cum districtibus et pertinenciis necnon habitatoribus et incolis

FUNDACIÓ NOGUERA

eorundem in francum alodium tenuerunt. Cum autem prefatus abbas, qui nepos noster existit, conventus et persone ac habitatores et incole supradicti cupientes sicut hactenus in treuga et pace manere, se in tuis fili carissime ac carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris guerris hiis temporibus prodolor ingruentibus non intendant, sicut ex parte ipsorum asseritur, quantum cavere commode poterunt, quomodolibet inmiscere, excellenciam regiam rogandam duximus et attentius in domino exhortandam, quatinus officialibus gentibus et subditis regiis tam armigeris quam aliis districtius tua celsitudo regia faciat prohiberi, ne castra et loca predicta invadant occupent destruant vel dampnificare presumant nec habitatoribus et incolis predictis molestationes noxias inferant vel alias indebitas novitates.

Dat. Avinione, III Nonas Maii, pontificatus nostri anno Secundo.

1001

1344 maig 12, Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que li envia el cardenal prevere Bertran (de Deucio) de Sant Marc, per a la negociació de la pau tan desitjada amb el rei Jaume III de Mallorca, malgrat el poc èxit obtingut anteriorment per l'arquebisbe Armant (de Nansès) d'Ais de Provença, Andreu (Ghini Malpigli), cardenal prevere de Santa Susanna, i Bernat (d'Albia), cardenal prevere de Sant Ciríac in Termes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 43, núm. 11.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 305, doc. 613.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 281, doc. 5780.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Fili carissime licet pro reformanda pace et concordia inter te et carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem, quos pacis emulus zizanie seminator ab unitate seiunxit impenderimus nostra studia toto posse ac venerabilem fratrem nostrum Armandum archiepiscopum Aquensem primo et deinde bone memorie Andream tituli sancte Susanne ac ipso huiusmodi negocium prosequendo sublato de medio dilectum filium nostrum Bernardum tituli sancti Ciriaci in Thermis presbiteros cardinales et postmodum dictum archiepiscopum iterato successive ad partes ipsas duxerimus destinandos ac eorum operationis ministerium impediente satore

FUNDACIÓ NOGUERA

discordie non fuerit sortitum effectum, quia tamen sicut displicenter referimus et evidentia facti notoriat huiusmodi discordia non diminuta, sed potius aucta videtur et durius aggravata. Nos volentes tot et tantis malis periculis et scandalis que premissa dissensio paritura minatur occurrere, ne invalescant ulterius et fortius calescant salubriter obviare presertim propter singularis et paterne dilectionis affectum, quem ad te ipsumque Maioricarum regem habuimus et habemus et vitanda dispendia que propterea tuis et eiusdem subditis ac toti rei publice provenerunt hactenus et dinoscuntur assidue provenire ac diligentius attendentes quam grandis ex tua et ipsius regis Maioricarum unanimitate utilitas sequeretur non intendimus ab inchoatis per nos desistere, sed eis insistere nostrique officii debitum adimplere, ut zizaniarum radices inter te et ipsum totaliter extirpentur, fomes cuiuslibet odii extinguatur ab hostilibus hincinde cessetur insultibus et pacis integritas reformetur. Veruntamen quia ad huiusmodi nostrum exequendum desiderium non possumus sicut vellemus nostram personalem presentiam exhibere, dilectum filium nostrum Bertrandum tituli sancti Marci presbiterum cardinalem apostolice sedis nuncium virum utique laudande virtutis et in arduis experientie comprobate scientia et innata prudentia preditum cultorem iusticie pacis et utriusque partis amicum et concordie zelatorem licet eius presentia nobis et ecclesie generali necessaria nimium careamus inviti ad partes ipsas pro huiusmodi sedanda discordia necnon pace et concordia inter te et ipsum Maioricarum regem actore domino reformandis providimus de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum destinandum. Ideoque serenitatem tuam requirimus monemus et hortamur attente per salvatoris nostri aspersionem preciosi sanguinis obsecrantes, quatinus diligenter considerans predicta et alia non facile numeranda dispendia que discordia ipsa parit animum tuum ad pacis solide unitatem inter te et ipsum regem Maioricarum summotis impedimentis quibuslibet actore domino reformandam sic habilites et coaptes, quod inter te et ipsum cuiuslibet odii et rancoris occasione sublata concordia desiderata proveniat communibus occurratur periculis et communibus utilitatibus consulatur et nichilominus prefatum cardinalem ob nostram et apostolice sedis reverentiam et suorum meritorum excellentiam immo nos in ipso potius benigne recipiens ac debita honorificentia prosequens et pertractans eius in premissis salubribus monitis et paternis exhortationibus effectualiter acquiescas ac ea que tibi super hiis ex nostra parte vive vocis ministerio suggeret credas indubie illaque sic devote suscipias et efficaciter exequaris, quod nos tue bone intentionis propositum et devotionis sinceritatem erga nos et sedem eandem possimus per effectum operis dignis in domino laudibus commendare.

Dat. Avinione, IIII Idus Maii, pontificatus nostri anno Secundo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1002

1344 juny 9, Avinyó

Climent VI prega a l'infant Pere, fill del rei Jaume II d'Aragó i comte de Ribagorça, i l'exhorta, perquè procuri atreure el seu nebot Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) a cercar la pau amb el rei Jaume III de Mallorca, la qual honraria molt el rei d'Aragó després de la gloriosa victòria obtinguda, i a ell, per la seva mediació eficaç.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 20.
a Butlla amb fil de cànem.
b BALUZE - MOLLAT, *Vitae paparum Avenionensium*, IV, p. 41-42, doc. 107.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, col. 39-41, doc. 892.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 305-306, doc. 614.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Petro infanti nato clare memorie Iacobi regis Aragonum comiti Ripacurcie salutem et apostolicam benedictionem. Attentis pacis commodis et guerrarum periculosis discriminibus diligenti meditatione pensatis et nichilominus, quantum deceret deoque gratum et rei utilitati publice accommodum existeret, si caritatis pacis et unitatis vinculum inter carissimos in Christo filios nostros Petrum Aragonum nepotem tuum et Iacobum Maioricarum reges illustres, quos de eadem regali prosapia descendentes, nexus sanguinis et affinitatis coniungit, vigeret indissolubiliter, odiorum et dissensionum, quibus eos invicem disiungi procuravit hostis humani generis, vepribus extirpatis, sepius in nostre considerationis examine non sine mentis anxietate deducto pro reformanda inter reges ipsos sic periculose dissidentes concordia non parum hactenus, sicut tue nobilitatis novit prudentia, laboravimus, propterea diversas et varias apostolicas litteras et solennes nuntios tam sancte Romane ecclesie cardinales quam alios destinando. Sane quia hostis ipse sator discordie cunctorumque malorum incentor pro flatu venenoso sic ignem dissensionum ipsarum in flammas nocivas et perniciosas non modicum accendere procuravit, quod labores huiusmodi nequaquam fructum, quem expectabamus desiderabiliter, produxerunt, nos more patris benivoli, quem non pretereunt incomoda filiorum, verentes regum ipsorum discriminosa dispendia oppressiones innocentum et pauperum ac ipsorum et aliorum lapsus rerum, personarum excidia et animarum amarius deploranda pericula innumeraque alia mala et scandala ex guerris, quibus divina maiestas graviter provocatur et offenditur provenientia, et eis quantum possumus salubribus occurrere remediis cupientes, non desistendo quomodolibet ab inceptis, dilectum filium nostrum Bertrandum tituli sancti Marchi presbiterum

FUNDACIÓ NOGUERA

cardinalem apostolice sedis nuncium virum utique profundi pectoris litterarum scientia circunspectionis et probitatis maturitate conspicuum, zelatorem pacis veritatis et iusticie ac in magnis et arduis expertum negociis, ad eosdem reges et partes illas pro premissis de fratrum nostrorum consilio providimus destinandum. Cum autem inter ceteros de domo regali Aragonum descendentes, te fili multum ut extimamus deceat circa reformandam huiusmodi pacis et unitatis concordiam et extirpandam discordiam, studiosis et benivolis solicitudinibus laborare, nobilitatem eandem rogamus et attentius in domino exhortamur, quatinus ea que premisimus necnon quantum ex tuis huiusmodi laboribus mereri preter laudis humane preconium poteris apud deum, quantumque honoris accrescet regi predicto Aragonum, si postquam deus sibi contra dictum regem Maioricarum gloriosam dedit victoriam, clementer erga eum rigore temperato mansuetudine se gesserit, in examine recte considerationis adducens, prefatum regem Aragonum ad viam admittendam et prosequendam pacificam et guerrarum fremitus, quibus deus pacis graviter, sicut premissum est, offenditur, declinandos inducere, tueque cooperationis ministerium efficaciter exhibere circa hoc tam pie quam benivole non postponas prefato cardinali operosis assistendo nichilominus studiis in hac parte.

Dat. Avinione, V Idus Iunii, pontificatus nostri anno Tercio.

1003

1344 juny 11, Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de dos mil marcs d'argent, a través de Llorenç Taisson de la diòcesi de Penne (Pescara), procurador del noble Nicolau de Joinville, comte de Terranova, que lliurà dos mil florins d'or el dia 4 de maig, i del noble Joan de Boil, que abonà els restants en nom del rei Pere com a cens corresponent a l'any anterior pel feu de Sardenya i Còrsega. Al mateix temps, l'absol de les censures en les quals ha incorregut per la seva morositat en el pagament.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 21.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, col. 41-42, doc. 895.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 306, doc. 615.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum ac Sardinie et Corsice illustri salutem et

FUNDACIÓ NOGUERA

apostolicam benedictionem. Cum pro regno Sardinie et Corsice, quod a nobis et ecclesia Romana sub certis vassallagio homagio ligio et fidelitatis iuramento et aliis serviciis ac pactis conventionibus et conditionibus in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis contentis plenius et expressis, tenes in feudum, censum duarum milium Marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis solvere Romano pontifici et eidem Romane ecclesie sis astrictus, tuque fili carissime censum huiusmodi duarum milium Marcharum pro termino festi eorundem apostolorum proximo preteriti in novem milibus trecentis trigintatribus florenis et tercia parte unius floreni auri, Marcha qualibet pro quatuor florenis et octo Turonensibus grossis argenti computatis, duxeris ut sequitur, videlicet IIII Nonas Maii proximo iam elapsi duo milia florenorum auri per manus dilecti filii Laurentii Tayssonis laici Pennensis diocesis procuratoris dilecti filii nobilis viri Nicolai de Iamvilla comitis Terrenove, ac residua septem milia trecentos trigintatres florenos et terciam partem unius floreni auri die dat. presentium per manus dilecti filii nobilis viri Iohannis de Boyl nuncii tui nostre camere persolvendum, nos volentes tuis indempnitatibus super hiis paterna diligencia precavere, te de dictis duobus milibus Marcharum in predictis novem milibus trecentis trigintatribus florenis et tercia parte unius floreni, sicut superius exprimitur, computatis camere supradicte ratione dicti census et pro eodem termino festi apostolorum ipsorum proximo preteriti persolutis, te ac heredes et successores tuos in eodem regno absolvimus tenore presentium et quitamus. Et nichilominus quia non solvendo debito tempore dictum censum tu excommunicationis sententie dictumque regnum Sardinie et Corsice interdicto ecclesiastico noscimini iuxta predictarum litterarum seriem subiacere, nos te fili dilectissime tuis devotis supplicationibus inclinati, ab eadem sentencia excommunicationis absolvimus et interdictum huiusmodi relaxamus. Non intendentes aliquid super contentis in predictis litteris innovare vel etiam immutare, sed ea potius volumus et decernimus in sui roboris efficacia perdurare.

Dat. Avinione, III Idus Iunii, pontificatus nostri anno Tercio.

1004

1344 juliol 26, Vilanova d'Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que mani restituir a l'església d'Elna, en la persona del seu bisbe Pere (Seguer), la ciutat, els castells i els llocs ocupats per les seves tropes, i

FUNDACIÓ NOGUERA

que no permeti que els seus habitants siguin oprimits ni se'ls gravin els béns.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 22.
a Butlla perduda.
b MONTSALVATGE Y FOSSAS, *Los monasterios de la diócesis gerundense*, I, p. 398-399.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, col. 110, doc. 992.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 306-307, doc. 616.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Non sine compassionis affectu sepius audivimus oppressiones et dispendia multa, que venerabilis frater noster Petrus episcopus et ecclesia Elnenses eorumque subditi tam in Elnensi civitate quam aliis suis castris et locis propter turbationem status illarum partium occupatis et pro parte destructis, ut asseritur, hiis temporibus preteritis sunt perpessi. Cum autem sub tuo fili carissime favore regio quiescere in pacis et iusticie pulcritudine ac prosperari confidant, excellenciam regiam rogamus attentius in domino et hortamur, quatinus civitatem castra et loca huiusmodi ad eosdem episcopum et ecclesiam spectancia que occupata, ut premittitur, tenebantur cum aliis bonis et iuribus suis eis libere restitui faciat ac ipsos et eorum subditos indebite gravari vel opprimi non permittat de cetero regia celsitudo, sed potius tam ipsos quam alias ecclesias et personas ecclesiasticas partium earundem in suis iuribus et libertatibus oportunis graciis et favoribus pro divina et apostolice sedis reverencia prosequatur, ita quod apud deum exinde perennis mercedis acquirat premium ac a nobis et sede predicta digne laudis et commendationis titulis attollatur.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Tercio.

1005

1344 desembre 11, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, a precs de fra Joan de Molins de l'orde dels predicadors, inquisidor de Tolosa, que prengui els heretges d'aquesta regió, refugiats en el seu regne.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 25.
a Butlla perduda.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, col. 308-309, doc. 1311.

FUNDACIÓ NOGUERA

c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 307, doc. 617.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Habet memoria celebris et laudabilia progenitorum tuorum gesta testantur, qualiter ipsi erga deum et ecclesiam sanctam suam claritate devotionis et fidei tanquam principes catholici prefulgentes ad defendendam et dilatandam fidem catholicam velut zelatores fervidi et pugiles ipsius strenui, spretis personarum periculis et expensarum profluviis non vitatis, dum in humanis agerent, insudarunt, ex quibus de te fili carissime fiduciam gerimus pleniorem, quod salubria ipsorum in hac parte immitando vestigia, circa illa que ipsius fidei tuicionem et favorem concernunt, sinceris et devotis studiis te impendes. Sane nuper dilectus filius Iohannes de Melendino ordinis fratrum Predicatorum inquisitor heretice pravitatis in partibus Tholosanis auctoritate apostolica deputatus nobis insinuare curavit, quod nonnulli pessimi heretici eorumque fautores credentes et sequaces de predictis partibus Tholosanis, ubi suos dampnatos errores et hereses disseminare non sine magnis ipsius fidei et fidelium periculis moliuntur, ut manus inquisitoris predicti effugere valeant, ad terras tue dicioni subiectas se sepe transferunt et latitant in eisdem. Cum autem expediat purgare terras eisdem hereticis et fautoribus credentibus et sequacibus eorundem, ne per ipsos mentes fidelium corrumpantur, excellentiam regiam requirimus rogamus et in domino attentius exhortamur, quatinus mandare ac iubere districte officialibus et subditis suis procuret pro divina et apostolice sedis reverentia zeloque ipsius fidei regia celsitudo, ut hereticos fautores credentes et adherentes qui fuerint in terris predictis reperti et nominati per litteras inquisitoris predicti, ad requisitionem gentium inquisitoris eiusdem celeriter fideliter et prompte capiant et capi per gentes ipsas permittant, eis super hiis et ea tangentibus assistendo consiliis auxiliis et favoribus oportunis, te taliter super premissis fili dilectissime habiturus quod a deo consequaris perennis mercedis premium et clara tue devotionis sinceritas digne commendationis laudibus attollatur.

Dat. Avinione, III Idus Decembris, pontificatus nostri anno Tercio.

1006

1344 desembre 11, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que presti el seu ajut a l'expedició projectada per Lluís d'Hispània (infant Lluís de la Cerda), príncep de les Illes Afortunades, per a la conquesta

FUNDACIÓ NOGUERA

d'aquest arxipèlag i portar-hi la fe; en cas contrari, que com a mínim li permeti treure dels seus regnes les naus, queviures i la gent que necessiti.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 24.
a Butlla perduda.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, col. 310-311, doc. 1314.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 307-308, doc. 618.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Vinee domini Sabahot cuius non divina miseratio cultores constituit et custodes, non solum custodire, sed etiam cultum ampliare ipsius, ut fructus uberiores extensis propaginibus afferat, cupientes illos qui cultum ampliandum ipsius vinee, videlicet ecclesie sancte dei, se operatores exhibent fervidos et devotos libenter, quantum cum deo possumus, favoribus et honoribus congruis provenimus. Sane pridem dilectus filius nobilis vir Ludovicus de Ispania princeps Fortunie consanguineus tuus nobis et fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus tam devote quam humiliter exponere procuravit, quod ipse ad acquirendas Fortunie ac quasdam alias insulas in partibus Africe consistentes et eidem adiacentes, ut ex illis eliminata paganei erroris spurcicia divini nominis ibidem laudetur gloria et catholice fidei vigeat pulcritudo, exercere vices sue potentie assistente sibi divina gratia, si de nostro et apostolice sedis beneplacito procederet, intendebat. Nos igitur attendentes huiusmodi suum laudabile propositum et illud promovere in domino affectantes considerantesque quod ipse, qui de stirpe ac domibus processit regalibus, que circa cultum et dilatationem eiusdem fidei orthodoxe se devotis et fructuosis operibus consueverunt impendere, personarum spretis periculis et expensarum profluviis non vitatis et sperantes in eo, qui devotorum vota benigno favore prosequitur, per ipsius principis progenitorum suorum inherentis vestigiis in hac parte strenuum ministerium posse christianitatis decorem et gloriam super hiis adaugeri, deliberatione cum eisdem fratribus previa provida et matura et de ipsorum consilio eundem Ludovicum predictarum insularum principem cum concessione temporalis proprietatis et dominii earundem sibi pro se suisque heredibus et successoribus facta sub certis modis formis et conditionibus constituimus et deputavimus cumque insigniis dignitatis principatus duximus decorandum, sicut in aliis litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum autem prefatus princeps accedens in virtute alissimi ad cor altum instanti oportuno tempore intendat, coadunata potentia, de tuis fili carissime auxilio et favore confidens, specialiter

FUNDACIÓ NOGUERA

aggredi negotium supradictum, regiam rogamus magnificentiam et in domino attentius exhortamur, quatinus eundem principem et negocium huiusmodi habere velit excellentia regia pro divina et apostolice sedis reverentia eiusdemque zelo fidei commendata et super hiis, quantum commode poterit, auxilium et favorem regium impertiri, nobis per nuncios exhibitores presentium, quos ad tuam propterea destinamus presentiam, voluntatem in hac parte regiam rescripturus.

Dat. Avinione, III Idus Decembris, pontificatus nostri anno Tercio.

1007

1345 gener 4, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que no dificulti la sortida de la seva germana Constança, reina de Mallorca, que ha residit en les seves terres per algun temps, ni dels nobles que l'acompanyen.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 26.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, col. 358-359, doc. 1384.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 308, doc. 619.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper intelleximus quod cum carissima in Christo filia nostra Constantia regina Maioricarum illustris germana tua hiis diebus preteritis de partibus terrarum tuarum, ubi per aliqua tempora moram traxit, se conferendi ad carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem virum suum, ut eidem adherere valeret, sicut tenetur ex lege ac fide matrimonii, arripuisset cum sua commitiva decenti, sicut status ipsius exigit excellentia, iter suum quidem tui fili carissime nuncii tam cum litteris tuis credentie quam aliis ad reginam missi predictam, certis personis nobilibus et notabilibus in commitiva ipsius regine tunc existentibus et eam associantibus pro parte tue celsitudinis sub penis formidabilibus inhibuerunt expresse, ne reginam eandem si de terris exiret predictis, associare presumerent quoquomodo, dicte regine presentatis sibi tuis eidem directis litteris, nichilominus suadendo sicut per litteras suadebatur predictas, ne de terris exiret predictis, ad prefatum virum suum quomodolibet accedendo. Cum autem premissa legi coniugalis federis si est ita utique obvia non honoris regii decentiam, sed pocius coniugum ipsorum

FUNDACIÓ NOGUERA

iniuriam et dei offensam concernere videantur, excellentiam rogamus regiam et attentius in domino exhortamur, quatinus quid deceat et expediat super hiis, inter precordia regia provida et matura deliberatione revolvens, relaxatis inhibitionibus huiusmodi, memoratam reginam permittat libere ad predictum virum suum accedere decenter et honorifice, sicut tuo et suo honori congruit, commitiva eidem ydonea saltem quamdiu inter suum perficiendo predictum in terris suis predictis fuerit assignata, maxime cum alias nobis porrigentibus tibi super hiis preces nostras tua sublimitas duxerit respondendum, quod impedire quominus regina ipsa libere posset ad memoratum virum accedere nullatenus intendebas, te taliter fili dilectissime habiturus super hiis, quod offensa vitata divina tui et ipsius regine honoribus consulatur, tueque circunspectionis prudentia possit et debeat merito commendari, nec nos oporteat cogente debito pastoralis officii de alio in hac parte remedio providere.

Dat. Avinione, II Nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno Tertio.

1008

1345 gener 12, Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que ha fet el trasllat del bisbe Bernat (Oliver) d'Osca a l'església de Barcelona, i li prega que el rebi favorablement. La vacant es produí per l'òbit del bisbe Ferrer (d'Abella) de l'església de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 27.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 308, doc. 620.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. In amore virtutum et illarum operibus circa ecclesias et earum ministros presertim pontificali dignitate preditos favorabiliter exercendis decet celsitudinem regiam se habere continue studiosam, maxime cum ex hoc ei proculdubio benedictionis divine premium et humane laudis preconium acquiratur. Dudum siquidem bone memorie Ferrario episcopo Barchinonensi regimini Barchinonensis ecclesie presidente nos intendentes eidem ecclesie cum ea vacare contingeret per apostolice sedis providenciam ydoneam preesse personam provisionem ipsius ecclesie Barchinonensis ea vice dispositioni nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret

FUNDACIÓ NOGUERA

attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Ferrarii qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos ea vice se intromittere poterat reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ne ipsa Barchinonensis ecclesia longe vacationis incommodis exponatur paternis et solicitis studiis intendentes et cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad venerabilem fratrem nostrum Bernardum Barchinonensem tunc Oscensem episcopum consideratis grandium virtutum meritis ac sciencia litterarum quibus personam suam divina gratia multipliciter insignivit et quod ipse qui regimini Oscensis ecclesie hactenus utiliter prefuit, dictam Barchinonensem ecclesiam sciet et poterit auctore domino utiliter regere ac feliciter gubernare, direximus oculos nostre mentis, intendentes itaque tam eidem Barchinonensi ecclesie quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere dictum Bernardum episcopum a vinculo quo tenebatur ipsi Oscensi ecclesie cui tunc preerat de fratrum predictorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes eum ad prefatam ecclesiam Barchinonensem transtulimus ipsumque eidem Barchinonensi ecclesie in episcopum prefecimus et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Barchinonensis sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo liberamque sibi dando licentiam ad prefatam Barchinonensem ecclesiam transeundi, sperantes indubie quod ipsa Barchinonensis ecclesia per sue industrie ac circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur. Cum igitur ut idem Bernardus episcopus in exercendi dicte ecclesie administratione facilius proficere valeat, favor regius sibi esse noscatur plurimum oportunus, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem episcopum et commissam sibi ecclesiam habens pro nostra et apostolice sedis reverencia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis, te reddas ipsis favorabilem et in cunctis oportunitatibus gratiosum, ita quod idem episcopus tue celsitudinis fultus auxilio in executione commissi sibi ecclesie predicte regiminis possit deo propicio prosperari ac tibi exinde a deo perennis vite retributio et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, II Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Tercio.

FUNDACIÓ NOGUERA

1009

1345 gener 15, Avinyó

Climent VI notifica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que no resoldrà les peticions elevades a la Seu Apostòlica pel rei Jaume III de Mallorca sense comptar amb ell. Li envia legats com li va prometre.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 29.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, col. 366-367, doc. 1398.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 309, doc. 621.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Affectu solite benignitatis receptis tue regalis magnificentie litteris, nostro nuper apostolatui presentatis et contentis in eis intellectu pleno collectis respondentes ad ea regiam volumus celcitudinem non latere, quod licet pridem carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Maioricarum illustris coram nobis et fratribus nostris certa in consistorio proposuerit et quandam petitionem in scriptis dederit super eis, ad illam tamen respondere non intendimus, quousque tenorem illius tibi fili carissime sub bulla nostra miserimus, sicut credimus satis cito. Porro cum prout predicte littere subiungebant, tuos disponas in proximo nuncios ad nostram presentiam destinare, gratum nobis existit admodum et expediens reputamus. Illos quidem gratanter recipiemus et audiemus favorabiliter et benigne.

Dat. Avinione, XVIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Tertio.

1010

1345 gener 19, Avinyó

Climent VI manifesta al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que les súpliques que el rei Jaume III de Mallorca ha fet a la Seu Apostòlica no vol resoldre-les sense consultar-lo i li prega que li contesti abans del març.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 28.
a Butlla perduda.
b RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, XVI, p. 223, cap. 13.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, col. 369, doc. 1404.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 309, doc. 622.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper ad sedem veniens apostolicam carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Maioricarum illustris in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus, aliquibus per eum propositis et suppliciter postulatis, quandam supplicationem exhibuit in effectu proposita huiusmodi continentem. Nos igitur attendentes quod contenta in supplicatione predicta tuam magnificentiam non modicum contingebat, et volentes quantum honeste possumus tue regie sublimitati deferre, tenorem supplicationis eiusdem tue celsitudini, ut deliberare quid agendum sit super ea, plenius regalis circunspectio valeat, interclusum presentibus providimus destinandum, eandem rogantes celsitudinem et hortantes sano paternoque tibi fili carissime consilio nichilominus suadentes, quatinus quid liceat deceat et expediat diligenter attendens, infra kalendas instantis Mensis Marcii, infra quas aliquid aliud circa hoc innovare, sicut eidem regio diximus oretenus, non intendimus, que tue saluti anime salubri statui regni tui et domus tue regie honori congruant, plene prospicere deliberatione matura procures. Scire quidem tuam magnificentiam minime dubitamus, quod nos qui ex iugo servitutis apostolice desuper nobis imposito sumus omnibus in iusticia debitores, quamvis velimus ut premittitur, quantum comode possumus, tue sublimitati deferre, regi tamen prefato denegare iusticiam salva conscientia non valemus. Ceterum seriem duarum supplicationum aliarum nobis per eundem regem exhibitarum postmodum, ut deliberare similiter possit regia providentia super eis, eidem inclusam etiam presentibus destinamus.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Tercio.

1011

1345 gener 31, Avinyó

Climent VI recomana al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) Guerau de Lisiac i Pere Ferran, donzells familiars del papa, enviats a Castella per comprar quinze cavalls per al servei de la Seu Apostòlica. El papa espera que els permeti el pas lliure pels seus regnes i no els posi obstacles per sortir-ne.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 30.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 310, doc. 623.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum nos dilectos filios Geraldum de Lissiaco et Petrum Fernandi domicellos familiares nostros pro emendis quindecim equis nobis necessariis ac ad nos et sedem apostolicam adducendis de partibus regni Castelle specialiter destinemus, excellentiam regiam attentius deprecamur, quatinus eosdem domicellos habens regalis sublimitas pro nostra et eiusdem sedis reverentia favorabiliter commendatos, ut eosdem equos per regnum et terras tua adducere ipsosque de illis extrahere libere valeant, velit oportunam licentiam elargiri, ita quod nos devotionem regiam exinde possimus in domino merito commendare.

Dat. Avinione, II Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Tercio.

1012

1345 març 2, Vilanova d'Avinyó

Climent VI recomana al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) l'arquebisbe Pere (de la Jugie), electe de Saragossa, abat del monestir (de Santa Maria) de la Grassa de l'orde de sant Benet, diòcesi de Carcassona, a qui, com que només té vint-i-quatre anys, ha dispensat de l'edat canònica. La vacant es produí per l'òbit de l'arquebisbe Pere (López de Luna) de l'església de Saragossa.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 31.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 310, doc. 624.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. In amore virtutum et illarum operibus presertim circa ecclesias et earum ministros pontificali dignitate preditos favorabiliter exercendis decet celsitudinem regiam se habere continue studiosam, maxime cum ex hoc ei proculdubio benedictionis divine premium et humane laudis preconium acquiratur. Dudum siquidem bone memorie Petro archiepiscopo Cesaraugustano regimini Cesaraugustane ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie cum vacaret per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam provisionem ipsius ecclesie Cesaraugustane dispositioni nostre ea vice duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Petri qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio

FUNDACIÓ NOGUERA

destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere poterat, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus, ne ipsa Cesaraugustana ecclesia longe vacationis exponeretur inconmodis paternis et solicitis studiis intendentes et cupientes eidem ecclesie talem preesse personam, que sciret vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis et in suis manutenere iuribus et eciam adaugere, post deliberationem quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Petrum electum Cesaraugustanum tunc abbatem monasterii Crassensis ordinis sancti Benedicti Carcassonensis diocesis in sacerdocio constitutum litterarum scientia preditum religionis zelo conspicuum, morum et vite honestate decorum in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum et aliis multiplicium virtutum meritis prout eciam testimoniis fidedignis accepimus insignitum convertimus oculos nostre mentis, quibus omnibus diligenti meditatione pensatis de persona ipsius Petri nobis et eisdem fratribus ob huiusmodi suorum exigentiam meritorum accepta, non obstante quod idem Petrus patitur in etate defectum cum tantummodo in vigesimoquarto sue etatis anno constitutus existat, super quo cum eodem Petro auctoritate apostolica dispensavimus, eidem ecclesie Cesaraugustane de dictorum fratrum consilio auctoritate predicta providimus ipsumque illi prefecimus in archiepiscopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod eadem Cesaraugustana ecclesia sub suo felici regimine gratia sibi assistente divina prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Cum igitur ut idem Petrus electus in exercenda dicte ecclesie administratione facilius proficere valeat, favor regius sibi esse noscatur plurimum oportunus, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem electum et commissam sibi ecclesiam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis te reddas ipsis favorabilem et in cunctis oportunitatibus graciosum. Ita quod idem electus tue celsitudinis fultus auxilio in execucione commissi sibi ecclesie predicte regiminis possit deo propicio prosperari ac tibi exinde a deo perennis vite retribucio et a nobis condigna proveniat actio graciarum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Nonas Marcii, pontificatus nostri anno Tercio.

FUNDACIÓ NOGUERA

1013

1345 abril 8, Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de dos mil marcs d'argent, a través de Joan de Boil, noble donzell de València, procurador reial, lliurats a favor del rei Pere com a cens corresponent a l'any anterior pel feu de Sardenya i Còrsega. Al mateix temps, l'absol de les censures en les quals ha incorregut per la morositat en el pagament.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 32.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 310-311, doc. 625.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, I, col. 492, doc. 1630.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum Sardinie et Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro regno Sardinie et Corsice quod a nobis et ecclesia Romana sub certis vassallagio homagio ligio et fidelitatis iuramento aliisque serviciis pactis conditionibus et conventionibus expressis plenius in litteris apostolicis super concessionem ipsius regni confectis tenes in feudum censum annuum duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis Romano pontifici et eidem ecclesie solvere sis astrictus tuque fili carissime dictum censum duarum milium marcharum argenti pro termino festi eorundem apostolorum proxime iam elapso in novem milibus septingentis quinquaginta florenis auri singulis marchis pro quatuor florenis auri decem Turonensibus grossis cum dimidio argenti et florenis singulis pro duodecim Turonensibus grossis argenti computatis per manus dilecti filii nobilis viri Iohannis de Boyl domicelli Valentini procuratoris tui duxeris die dat. presentium nostre camere persolvendum. Nos volentes tuis et heredum tuorum indempnitatibus super hiis providere, solutionem de dicto censu duarum milibus marcharum argenti factam eidem camere in dictis novem milibus septingentis quinquaginta florenis auri computatis, ut superius est expressum, pro termino supradicto ratam habentes et gratam te ac heredes et successores tuos de dictis duabus milibus marcharum argenti pro eisdem censu et termino, ut prefertur, prefate camere persolutis absolvimus tenore presentium et quitamus. Et nichilominus quia dictum censum pro dicto termino debito tempore non solvisti, excommunicationis sententia secundum continentiam litterarum predictarum super concessione dicti regni confectarum innodatus existis, nos te volentes favore prosequi super

FUNDACIÓ NOGUERA

hiis gracioso te ab eadem excommunicationis sententia dicto procuratore tuo nomine petente absolvimus et interdictum relaxamus, si idem regnum predictum Sardinie propterea subiacebat, non intendentes propter premissa vel ea super contentis in eisdem litteris aliquid immutare, sed ea potius in sui roboris efficacia perdurare.

Dat. Avinione, VI Idus Aprilis, pontificatus nostri anno Tertio.

1014

1345 abril 9, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que enviï missatgers i ambaixadors a la Seu Apostòlica amb instruccions i poders per tractar sobre la pau que s'ha de concertar amb el rei Jaume III de Mallorca, desitjable i convenient perquè són de reis units pel doble vincle de consanguinitat i afinitat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 33.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, col. 494-495, doc. 1635.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 311, doc. 626.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Et si nos qui vices regis pacifici et eterni licet insufficientibus meritis in terris gerimus, pacem et caritatem vigere inter cunctos christicolas desideriis affectemus intensis, illas tamen habundare uberius cupimus inter eos, quos adhoc forcius nexus sanguinis et affinitatis astringit. Quamobrem desiderabiliter preoptantes quod carissimus in Christo filius noster Iacobus rex Maioricarum illustris, qui sicut tua novit excellentia, de domo et prosapia tuis regalibus descendit et sui liberi tui nepotes existunt, per unionem mutue pacis et concordie tecum reconciliaretur, reintegrata caritate, quam ledere hostis humani generis procuravit, super tractatu concordie huiusmodi tuis nunciis et ambassiatoribus pridem ad nostram presentiam destinatis colloquendo cum eis fecimus mentionem. Ideoque magnificentiam tuam regiam rogamus attentius et in domino exhortamur, quatinus premissa et quod honori tuo expedit, quod eadem concordia per vias accomodas subsequatur, consideranter attendens, consentire velit regalis prudentia quod dicti nuncii de tuo beneplacito super predictis tractare nobiscum possint et debeant, et inde nobis et ipsis rescribere intentionis regie propositum in hac parte.

Dat. Avinione, V Idus Aprilis, pontificatus nostri anno Tertio.

FUNDACIÓ NOGUERA

1015

1345 maig 22, Vilanova d'Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que permeti a Àlvar González, castellà d'Amposta, la recaptació dels diners de les responsions en el seu regne i el seu enviament al mestre i als frares de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem d'Orient, així com la sortida del seu regne de qualsevol religiós que ells reclamin.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 34.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 311-312, doc. 627.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quantis laboriosis solicitudinibus et studiis operosis non vitando personarum pericula nec parcendo pro fluviis expensarum dilecti filii .. magister et fratres Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani commorantes in partibus transmarinis circa defensionem et dilatationem fidei catholice hiis presertim temporibus se impendunt placabiliter audivimus et referimus exultanter, propter quod magistrum et fratres eosdem graciositatibus intuemur affectibus et favorem ab aliis fidelibus uberiorem eis cupimus exhiberi. Cum autem magister et fratres predicti ad coadiuvandum defensionis et dilatationis predicte negocium in partibus transmarinis predictis illudque felicius et fortius fulciendum pecuniis responsionum sibi debitis per dilectum filium .. [Alvarum Gondisalvi] castellanum Emposte hospitalis predicti in regno et terris tuis consistentium egere necessario dinoscantur, excellenciam tuam regiam rogamus attentius et in domino exhortamur, quatinus prefatum castellanum super colligendis et habendis eisdem pecuniis prefatisque magistro et fratribus transmittendis libere benignis favoribus pro divina et apostolice sedis reverentia prosequaris, eundem castellanum et alios fratres eiusdem hospitalis de illis partibus, quos dictus magister ad suam presentiam et transmarinas partes vocasse dicitur, ut vocationi huiusmodi effectualiter obediant permittendo ac etiam ad hoc prout oportunum extiterit inducendo, ita quod exinde perennis mercedis aquiras a deo premium et ab hominibus laudis humane preconiis attollaris.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XI Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Quarto.

FUNDACIÓ NOGUERA

1016

1345 juny 5, Vilanova d'Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Maria d'Aragó, a petició pròpia, el privilegi de poder manar la celebració de la santa missa a qualsevol sacerdot idoni, una mica abans de l'aurora, sempre que utilitzi parcament aquesta gràcia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 35.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 312, doc. 628.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Marie Aragonum regine illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quem ad nos et Romanam geris ecclesiam promeretur, ut votis tuis favorabiliter annuamus illis presertim per que sicut pie desideras divinis officiis intenta existas et spiritualis salutis tibi proveniat incrementum. Hinc est quod nos tuis devotis precibus inclinati, ut missam ante quam illucescat dies circa tamen diurnam lucem cum qualitas negociorum pro tempore ingruentium id exegerit liceat tibi per proprium vel alium sacerdotem ydoneum facere celebrari, ita quod id nec tibi nec sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari, serenitati tue auctoritate presentium de speciali gracia indulgemus, proviso tamen quod parce huiusmodi concessionis utaris, quia cum in altaris officio immolatur dominus noster dei filius Ihesus Christus qui candor est lucis eterne congruit hoc non in noctis tenebris fieri sed in luce. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Nonas Iunii, pontificatus nostri anno Quarto.

1017

1345 juny 5, Vilanova d'Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Maria d'Aragó, a petició pròpia, que qualsevol sacerdot idoni, familiar seu, pugui administrar els Sants Sagraments a ella i als seus fills, sempre sense perjudici dels drets parroquials.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 36.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 312, doc. 629.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Marie regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Eximie devotionis affectus quem ad nos et Romanam ecclesiam promeretur, ut in hiis que tue et liberorum tuorum animarum salutem respiciunt, votis tuis quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut quilibet sacerdos ydoneus familiaris tuus tibi et dictis tuis liberis quociens expedierit ministrare valeat ecclesiastica sacramenta iure parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius semper salvo serenitati tue auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Nonas Iunii, pontificatus nostri anno Quarto.

1018

1345 juny 5, Vilanova d'Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Maria d'Aragó la facultat perquè el seu confessor pugui concedir-li la plena remissió a l'hora de la mort.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 37.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 313, doc. 630.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Marie Aragonum regine illustri salutem et apostolicam benedictionem. Eximie devotionis affectus quem ad nos et Romanam geris ecclesiam promeretur, ut petitiones tuas illas presertim que anime tue salutem respiciunt, ad exauditionis graciam admittamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus quem duxeris eligendum omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contrita et ore confessa fueris semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei unitate sancte Romane ecclesie ac obediencia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti auctoritate apostolica concedere valeat, serenitati tue tenore presentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de hiis, de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam tibi per te si supervixeris vel per heredes tuos si tunc forte transieris

FUNDACIÓ NOGUERA

faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini ut prefertur. Et ne quod absit propter huiusmodi graciam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda volumus, quod si ex confidencia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres quoad illa predicta tibi remissio nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Nonas Iunii, pontificatus nostri anno Quarto.

1019

1345 juny 8, Vilanova d'Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que permeti la sortida dels seus regnes a la seva germana Constança i a la comitiva reial que l'acompanya, per reunir-se amb el seu espòs, el rei Jaume III de Mallorca; en cas contrari, es veurà obligat a procedir amb justícia, ja que és una pura falsedat, atesa la confessió d'ambdues parts, les represàlies que ella tem del seu marit.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 38.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, p. 6-7, doc. 1764.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 313, doc. 631.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Ad illa te fili carissime quem in inseribus "gerimus "caritatis dirigi, ex quibus tue salutis et honoris tibi felicia incrementa proveniant, cupientes te libenter super eis precibus et exhortationibus apostolicis excitamus. Dudum siquidem carissimi in Christo filii nostri Iacobi regis Maioricarum illustris instantibus supplicationibus inclinati, nostras exhortatorias litteras tue celsitudini meminimus direxisse, ut carissimam in Christo filiam nostram Constanciam reginam Maioricarum illustrem regis eiusdem uxorem germanamque tuam ad eundem virum suum accedere permitteres, eidem prout ex fide ac lege tenetur matrimonii adhesuram. Cum autem postmodum tue magnificentie nuncii ad nostram presentiam destinasti, nobis pro parte tua duxerint explicandum, quod ex eo nostris huiusmodi obtemperare precibus et

FUNDACIÓ NOGUERA

exhortationibus differebas, quia tuis fuerat auribus instillatum regem prefatum verba protulisse in locis aliquibus per que ipsius seviciam erga dictam reginam dilectam unicam germanam tuam, de cuius offensa dolores tanquam propria, verebaris, nos regi eidem fuimus super huiusmodi materia sicut expedire vidimus collocuti, qui nobis affectualiter et aperte promittendo respondit, quod ipse cum honore debito reginam eandem reciperet ipsamque magis quam unquam fecerit benivole honorifice ac caritative tractaret. Verum cum idem rex instare non cesset apud nos super hiis et prefata regina sicut suis litteris etiam manu sua propria scriptis, ut asseritur, nobis presentatis et per suum procuratorem et nuncium idem petierit coram nobis nosque nichilominus super immunitate dicte regine intendamus taliter providere, quod non offendatur per regem ipsum quomodolibet, sed honore debito pocius pertractetur, exellentiam tuam regiam rogamus et hortamur attente, quatinus memoratam reginam comitiva, sicut tui et sui status decet exellentiam congrua et suffitienti stipatam ad virum suum predictum libere permittas accedere, sublatis impedimentis et obstaculis indebitis quibuscunque. Alias autem cum instare non cessent apud nos super hiis rex et regina predicti sibi deesse, urgente conscientia et exigente iustitia nequiremus, quominus curaremus de oportuno et iusto in hac parte remedio providere.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Idus Iunii, pontificatus nostri anno Quarto.

1020

1345 juny 22, Vilanova d'Avinyó

Climent VI comunica a tots els doctors, mestres i acadèmics de l'Estudi (General) de Lleida la concessió als estudiants eclesiàstics d'aquest Estudi de poder gaudir, durant cinc anys, de l'usdefruit dels seus beneficis.

A Lleida, Arxiu Municipal, Fons Municipal, Pergamins, núm. 274.
a Butlla perduda.
b ESTEVE I PERENDREU, *Butlles pontifícies sobre l'Estudi General de Lleida*, p. 100-101, doc. 2.
c GORT, *Documents de l'Estudi*, p. 88-90, doc. 14.
d DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, I, p. 87, doc. 697.
e ENJUANES i altres, *Catàleg de l'Arxiu Municipal de Lleida*, p. 107, doc. 180.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis universis doctoribus magistris et scolaribus universitatis studii Ilerdensis salutem et apostolicam benedictionem. Dum attente considerationis indagine

FUNDACIÓ NOGUERA

perscrutamur, quod per litterarum studia cooperante illo a quo omnium carismatum dona manant, viri efficiuntur scienciis eruditi, per quos equm ab iniquo discernitur erudiuntur rudes, provecti ab altiora concrescunt et fides catholica roboratur, libenter non solum loca ubi huiusmodi pollent studia, sed studentes in eis munimus graciis et libertatibus apostolicis honoramus. Sane considerantes inter cetera civitatem Ilerdensem fuisse ab hactenus et nunc fore quasi fontem scientiarum irriguum multosque viros produxisse virtutum, ob hoc personas ad eam confluentes pro margarita scientie acquirenda, favore benivolo confoventes vestris supplicationibus inclinati, omnibus et singulis personis ecclesiasticis regularibus et secularibus in dicta civitate in quacumque facultate licita usque ad quinquennium a datum presentium computandum studentibus aut actu legentibus auctoritate presentium indulgemus, ut fructus redditus et proventus omnium beneficiorum suorum ecclesiasticorum regularium et secularium que nunc obtinent et imposterum obtinebunt in quibusvis ecclesiis monasteriis sive locis, eciam si dignitates personatus prioratus administrationes vel officia existant et curam habeant animarum, dummodo in cathedralibus maiores post pontificales et in collegiatis ecclesiis principales dignitates huiusmodi non existant, cum ea integritate usque ad quinquennium supradictum percipere libere valeant cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent si in ecclesiis sive locis in quibus ipsa existunt beneficia personaliter residerent et ad residendum interim in eisdem ecclesiis sive locis minime teneantur neque ad id a quoquam inviti valeant coartari. Non obstantibus si in dictis ecclesiis sive locis primam vel secundam non fecerint personalem residentiam consuetam et quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum et monasteriorum ac ordinum quorumcumque contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, etiam si predicte persone de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo eciam ab alio vel aliis impetratis vel alias quovismodo concessis per se vel procuratores suos prestiterint vel eas imposterum prestare contigerit forsitan iuramentum seu si locorum ordinariis a sede apostolica sit indultum vel imposterum indulgeri contingat, quod canonicos et personas ecclesiarum suarum civitatum et diocesium ac monasteriorum et locorum huiusmodi eciam in dignitatibus vel personatibus prioratibus administrationibus seu officiis constitutos per subtractionem proventuum suorum ecclesiasticorum vel alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem, aut si eisdem ordinariis et dilectis filiis capitulis earundem ecclesiarum ac abbatibus et conventibus ipsorum monasteriorum vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sede indultum existat vel medio tempore contigerit indulgeri,

FUNDACIÓ NOGUERA

quod ipsarum ecclesiarum canonicis et personis eciam in dignitatibus vel personatibus prioratibus administrationibus aut officiis constitutis non residentibus in eisdem vel qui in eis primam vel secundam non fecissent residentiam personalem fructus redditus et proventus beneficiorum suorum huiusmodi ecclesiarum monasteriorum et locorum predictorum ministrare minime teneantur et ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, sive quibuscunque privilegiis indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mencio specialis. Proviso quod interim beneficia ipsa debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis quibus illa imminet nullatenus negligatur, sed per bonos et sufficientes vicarios quibus de beneficiorum ipsorum proventibus necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur et deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, x Kalendas Iulii, pontificatus nostri Anno Quarto.

1021

1345 juliol 18, Avinyó

Climent VI prega de nou al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que enviï ambaixadors a la Seu Apostòlica amb poders i instruccions per tractar sobre la pau que s'ha d'establir amb el rei Jaume III de Mallorca. Al mateix temps, li prega que permeti Sanç (López d'Ayerbe), bisbe de Tarassona, sortir cap a Avinyó perquè es requereix la seva presència en les esmentades negociacions i en el despatx d'altres assumptes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 44, núm. 39.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 313-314, doc. 632.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 90, doc. 718.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictio-

FUNDACIÓ NOGUERA

nem. Sicut alias tibi fili carissime scripsimus tuisque nunciis pridem in nostra presencia constitutis expressimus expediens tuisque honoribus conveniens admodum extimamus, quod inter te ac carissimum in Christo filium nostrum Iacobum regem Maioricarum illustrem aliquis bonus utilis et honorabilis habeatur tractatus, et proper hoc tui nuncii sufficienter instructi et mandato suffulti ydoneo ad nostram presentiam transmittantur, super quibus dictis tuis nunciis in nostra pridem presencia constitutis fuimus etiam collocuti. Quocirca magnificenciam rogamus regiam et attentius in domino exhortamur, quatinus missionem nunciorum huiusmodi tua regalis excellencia nec differat nec ommittat. Et quia venerabilis fratris nostri Sancii episcopi Tirasonensis presencia tam super hiis quam quibusdam aliis vobis existere noscitur oportuna, ordinet eadem excellencia et permittat libere, quod idem episcopus cui litteras nostras super hoc mittimus ad nostram veniat presenciam incunctanter.

Dat. Avinione, XV Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Quarto.

1022

1345 novembre 8, Avinyó

Climent VI mana a l'ardiaca de Santa Maria del Mar de l'església de Barcelona que assabenti el poble i procuri la restitució de cases, vinyes, terres, prats, documents públics i escriptures, i altres béns retinguts pels indignes, a Guillem de Millars, comanador, i als frares de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem de Barcelona, dins el termini prefixat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, carpeta 28, núm. 13.

a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. archidiacono Sancte Marie de Mari in ecclesia Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii Guilelmus de Millars comendator et fratres hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani Barchinonensis, quod nonnulli iniquitatis filii quos prorsus ignorant domos vineas terras pratos agraria ac instrumenta publica et scripturas iura et res alias ad dictum hospitale spectantia temere ac malitiose occultare et occulte detinere presumunt non curantes ea comendatori et fratribus exhibere predictis in animarum suarum periculum et dictorum comendatoris et hospitalis non modicum detrimentum, super quo iidem comendator et fratres apostolice sedis remedium implorarunt. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta

FUNDACIÓ NOGUERA

mandamus, quatinus omnes huiusmodi detentores occultos domorum vinearum terrarum et aliarum rerum predictarum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per te vel alium moneas, ut infra competentem terminum, quem ei prefixeris ea comendatori et fratribus predictis a se debita restituant et revelent ac de ipsis plenam et debitam satisfactionem impendant, et si id non impleverint infra alium terminum competentem quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum extunc in eos generalem excommunicationis sententiam et eam facias ubi et quando expedire videris usque ad satisfactionem condignam solenniter publicari.

Dat. Avinione, VI Idus Novembris, pontificatus nostri anno Quarto.

1023

1345 novembre 23, Avinyó

Climent VI mana al sagristà de l'església de Tarragona que assabenti les esglésies i aquestes el poble que aquells que han distret les dècimes, els rèdits, els terrenys, les cases, les vinyes, els prats, els molins i altres béns del comanador i dels frares de la casa de Barberà de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, diòcesi de Tarragona, han de restituir-los a aquests.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, Sant Joan de Jerusalem, armari 13, carpeta 96, núm. 119.
a Butlla amb fil de cànem.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. sacriste ecclesie Terraconensis salutem et apostolicam benedictionem. Significarunt nobis dilecti filii .. comendator et fratres domus de Barberano hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani Terraconensis diocesis quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorsus ignorant decimas redditus census legata terras domus vineas prata pascua molendina nemora instrumenta publica et nonnulla alia bona ad ipsam domum spectantia tenere et maliciose se occultare et occulte detinere presumant, non curantes ea prefatis commendatori et fratribus exhibere in animarum suarum periculum et ipsorum comendatoris fratrum et domus non modicum detrimentum, super quo iidem comendator et fratres apostolice sedis remedium implorarunt. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus omnes huiusmodi detentores occultas decimarum reddituum censuum et aliorum bonorum predictorum ex parte nostra publice in ecclesiis coram populo per te vel alium moneas, ut infra competentem terminum quem eis prefixeris ea predictis comendatori et fratribus a se debita restituant ac revelent ac de ipsis plenam et

FUNDACIÓ NOGUERA

debitam satisfactionem impendant, et si id non adimpleverint infra alium competentem terminum quem eis ad hoc peremptorie duxeris prefigendum extunc in eos generalem excommunicationis sententiam proferas et eam facies ubi et quando expediens videris usque ad satisfactionem condignam solenniter publicari.

Dat. Avinione, VIIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Quarto.

1024

1346 maig 21, Avinyó

Climent VI mana als bisbes de Barcelona (Bernat Oliver) i de Tarassona (Sanç López d'Ayerbe), i els comissiona, que s'informin, i enviïn segellada la informació a la Seu Apostòlica, sobre la conveniència d'agregar el monestir de Montesa de l'orde militar de Calatrava a l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, com demana el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), atesa la relaxació del monestir, l'origen dels seus béns, molts dels quals procedeixen de l'orde de l'Hospital de València i abans del Temple, i la probable ineficàcia d'aquest monestir per resistir una invasió.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 40.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 314, doc. 633.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 127, doc. 991.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. Barchinonensi et .. Tirasonensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Nuper exhibita nobis carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris petitio continebat, quod olim ad supplicationem et instantiam inclite memorie Iacobi regis Aragonum avi sui ad tuitionem et defensionem regni Valentie de manibus Aragonorum hostium christiane fidei dudum erepti et dominio regis eiusdem subiecti et fidei eiusdem per consequens pie ac provide considerationis intuitu diligentius intendentis in eodem regno Valentie fuit quidam ordo militaris cognominatus de Montesia per sedem apostolicam institutus, ut fratres ipsius ordinis sufficienter potentia et facultatibus edotati adversus regem Marrochitanum et alios perfidos Sarracenos emulos dicti regni Valentie ac ad eius occupationem et abolitionem exinde nominis christiani suis nefandis molitionibus aspirantes essent cum equis et armis prefati regni ac fidelium in eo degentium defensores

FUNDACIÓ NOGUERA

strenui et tenerent cum opus existeret ibidem contra hostes prefate fidei frontariam, qui quidem fratres ipsius ordinis sub habitu fratrum ordinis milicie de Calatrava viverent et similes tenerent observancias, sed esset per se ab illo de Calatrava penitus separatus et, ut ipsi fratres de Montesia dotes sufficientes haberent, de quibus valerent sustentari decenter, et facere illa que illis iuxta sui institutionem ordinis incumbebant, omnia bona que ordo hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani tunc in predicto regno Valentie a paganis acquisita obtinebat, ad hoc castellano Emposte predicti hospitalis, qui ut superior domibus et bonis eiusdem hospitalis in sepefato regno Valentie tunc temporis presidebat suoque capitulo expresse consentientibus ordini memorato de Montesia et ipsius fratribus per sedem predictam necnon locus de Montesia, de quo cognomen ordo recepit predictus, per eundem Iacobum regem data concessa et applicata fuerunt facta per sedem apostolicam hospitali sancti Iohannis predicti pro bonis suis huiusmodi ordini predicto de Montesia datis et applicatis, ut premittitur, recompensatione de bonis, que olim ordo Templariorum ante sublationem ipsius obtinebat, in dominio dicit regis ipsius ad hoc specialiter accedente consensu. Cum autem speraretur, quod dictus ordo de Montesia tunc sic fundatus noviter et sufficienter dotatus votivis procederet successibus et eidem regno Valentie ac fidelibus in eodem degentibus subditis dicti regis sperate consolationis et securitatis antidotum proveniret exinde malicia hostis antiqui, qui saluti et quieti humane invidet obsistente sicut eadem petitio subiungebat dictus ordo de Montesia plantatus, ut premittitur, fructus non produxit hactenus nec producit votivos, quin potius quod dolendum est per presidentes in eo bona eis data, sicut premissum est, consumuntur et devastantur inutiliter et incaute ac in usus alios, quam deputata fuerint inconsulte ac minus provide convertuntur fratresque ipsius ordinis contemptis ordinationibus et institutionibus, secundum quas recte ac religiose iuxta ordinationem sedis predicte debebant vivere adeo ad inconsulta et illicita se convertunt, quod magis obtentis plerumque rescriptis apostolicis inherere seculari, quam religiose vite videntur se frequenter iurgiis guerris et litibus tam inter se quam cum aliis, in quibus consumunt bona ipsius ordinis involventes, ex quibus omnibus merito formidatur, quod si regnum predictum Valentie invaderetur, quod deus advertat, per inimicos fidei orthodoxe per fratres eosdem teneri non posset ibidem frontaria sicut ab exordio et fundatione ipsius ordinis provide statutum et ordinatum extitit eorumque potentia valde reperiretur debilis vel inanis. Quare pro parte ipsius regis Aragonum nobis humiliter supplicato, ut antequam collabatur ordo predictus de Montesia providere super predictis ipsum ordinem uniendo hospitali

FUNDACIÓ NOGUERA

predicto vel alias prout fuerit expediens de oportuno remedio paterna diligentia curaremus. Nos de premissis non habentes noticiam et volentes informari plenius super eis, fraternitati vestre de qua fiduciam in domino gerimus pleniorem per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vos vel alter vestrum per vos vel alium seu alios secretiori modo quo poteritis simpliciter et de plano sine strepitu et figura iudicii super predictis et ea tangentibus informationem solertem et fidelem recipere procurantes eam sub vestris sigillis clausam cum instructione quam per vos mandare poteritis nobis mittere fideliter studeatis, ut providere iuxta supplicationem regis predicti vel alias oportunis in hac parte remediis valeamus super hiis indempnitatibus dicti regni. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, XII Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Quinto.

1025

1346 juny 11, Vilanova d'Avinyó

Climent VI comunica a Sanç (López d'Ayerbe), bisbe de Tarassona, a petició del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), que el faculta per absoldre, ell o algú altre, de l'excomunió en la qual ha incorregut el rei, el seu reformador a Mallorca i altres culpables dels desordres comesos amb motiu de les represàlies per la conjuració avortada contra la família reial i els seus súbdits dirigents, pel que sembla religiosos i clergues. Entre els desordres es menciona l'execució de dos mercaders clergues de Perpinyà, ordenada pel rei, i la d'un clergue de Mallorca, recent casat, ordenada pel reformador. Per les presents s'obliga ambdós a lliurar els cossos dels interfectes, i en defecte les figures, als seus familiars. L'obliga a celebrar exèquies a l'església de Perpinyà i Mallorca, a fundar tres capellanies perpètues, una durant aquest any a l'església d'Elna, un altra a l'església major de Perpinyà i la tercera a Mallorca, en el termini de tres anys, de quinze lliures barceloneses cadascuna, i el pagament de vint florins d'or pel reformador i nobles, i de quatre pels altres còmplices, quantitat que es distribuirà a parts iguals entre les esglésies de Compostel·la, Lo Puèi, Ròcamador i Càors, i que durant els funerals el reformador i els altres culpables tinguin enceses seixanta torxes, de set lliures de cera cadascuna, les quals quedaran per a l'església en què s'hagin celebrat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 41.

a Butlla amb fil de cànem.

FUNDACIÓ NOGUERA

b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, p. 175-177, doc. 2565.

c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 314-315, doc. 634.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Sancio episcopo Tirasonensi salutem et apostolicam benedictionem. Sicut iusticie debitum exigit adhibere delinquentibus castigationis antidotum sic misericordia suggerit penitentibus gratiam non negare, quod circumspecta sedis apostolice benignitas diligenter attendens eis qui post lapsum sinum ipsius repetunt et maxime personis generis claritate sublimibus se propiciam exhibet et benignam. Sane petitio pro parte carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris nobis nuper exhibita continebat, quod dudum quidam vassalli sui ac nonnulli clerici et religiosi tam in sacris quam in minoribus ordinibus constituti in terris ipsius regis consistentibus diabolico spiritu instigati, ad instantiam quorundam ipsius regis emulorum in eiusdem regis et carissime in Christo filie nostre Marie regine Aragonum illustris eiusdem Petri regis consortis eorumque prolis inclite mortem inhumaniter ac proditorie conspirarunt, et nedum terras cismarinas, sed eciam regnum Maioricarum diversis conspirationibus et coniurationibus contra regem predictum excitatis prodere molientes ordinarunt, quod ipsius regis in regno et terris prefatis fidelibus omnino innocentibus proditorie necis gladio interemptis, in terris et regno prefatis introducerent ipsius regis emulos supradictos, quodque postmodum cum ad eiusdem regis audientiam certitudinaliter pervenisset, quod religiosi et clerici predicti huiusmodi detestabilium scelerum principales fuerunt patratores ex predicto excessu tam enormi, prefatus rex ira succensus ipsos religiosos et clericos capi mandavit et fecit in regno et terris, et deinde procedentibus debitis iudiciis idem rex in terris et reformator ipsius regis in regno predictis religiosos et clericos eosdem mandaverunt et fecerunt torqueri ex eo maxime, ut per confessionem illorum socii huiusmodi scelerum sciri possent. Subsequenter autem idem rex duos mercatores, qui principales fuisse dicebantur scelerum predictorum, quorum unus allegabat tonsuram quam portabat, licet minime vestes clericales deferret, alter vero clericalem tonsuram non deferens, quamvis eam diceret se habere, in villa Perpiniani Elnensis diocesis, reformator vero predictus in prefato regno unum clericum coniugatum ultimo et ignominioso supplicio deputarunt, aliis clericis in sacris ordinibus constitutis et religiosis curiis ecclesiasticis restitutis, per easdem curias pro demeritis huiusmodi puniendis, propter que rex et reformator predicti et alii qui dederunt in premissis consilium auxilium vel iuvamen, excommunicationis sentenciam in tales generaliter promulgatam a canone incurrerunt. Quare nobis extitit pro parte ipsius regis humiliter supplicatum, ut cum immanitas dictorum

FUNDACIÓ NOGUERA

excessuum utique detestanda, cui de condigno vix pena adequari potuisset, culpam atenuet ac rigorem in hac parte debeat temperare, ipsorum regis et reformatoris ac aliorum in hac parte culpabilium animarum periculis pio ac paterno compacientes affectu, eis providere super hiis de oportune absolutionis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur contentis in supplicatione predicta plenius intellectis, volentes attenta qualitate negocii cum rege predicto et reformatore ac aliis de predictis culpabilibus consideratione regis eiusdem nobis cum magna devotione et reverentia humiliter supplicantis temperato rigore oleo misericordie gratiose agere in hac parte, fraternitati tue de qua fiduciam in domino gerimus pleniorem, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus prenominatos regem et reformatorem ac alios culpabiles in predictis ab huiusmodi excommunicationis sentencia, quam propterea ut premittitur incurrerunt, auctoritate nostra si hoc humiliter pecierint, iuxta ecclesie formam absolvas, iniungens eidem regi quod per officiales suos presente una persona ecclesiastica status notabilis ob reverentiam ecclesie corpora dictorum duorum mercatorum de loco ubi sunt recipi faciat et amicis seu parentibus eorum reddi et assignari si extant, et si forsan non extent, figuras loco eorum que quidem corpora si extent ut premittitur alias si non extent figure predicte ad ecclesiam maiorem ville Perpiniani honorifice deportentur ibique illo die officium et missa defunctorum pro animabus ipsorum solenniter celebrentur et tradantur ecclesiastice sepulture, dummodo in fine signa contritionis apparuerint in eis, et idem fieri faciat officium in Maioricensi ecclesia cathedrali de corpore dicti clerici si extat, alias de figura sicut de aliis superius est expressum. Rursus quod rex predictus pro exoneratione sue conscientie ac pro sue et omnium fidelium defunctorum animarum salute tres capellanias perpetuas ordinet et dotet sufficienter, unam videlicet in Elna infra unius anni spatium a die absolutionis eidem super premissis impendende computandum, aliam vero in maiori dicte ville Perpiniani Elnensis diocesis, terciam vero in Maioricensibus ecclesiis infra tres annos a dicto tempore computandos, quamlibet ipsarum capellaniarum de quindecim libris monete Barchinonensis vel valoris eiusdem annui et perpetui redditus futuris perpetuis temporibus stabiliter duraturas, quos quidem redditus in territoriis seu locis ecclesiasticis supradictis propinquis assignare, sicut commodius fieri poterit, teneatur et ulterius quod tu regi predicto iniungas pro premissis penitenciam sicut expedire videris, super quo tuam conscientiam oneramus, quodque reformator predictus necnon ceteri milites seu alii statum habentes, qui premissorum occasione absolutionis beneficio indigebunt, singuli eorum viginti, ceteri vero singuli similiter quatuor florenos auri Compostellane, Aniciensi et Rupisamatoris

FUNDACIÓ NOGUERA

Caturcensis diocesis ecclesiis dent et offerant, distribuendos equaliter in eisdem. Preterea prefati reformator et alii absolvendi predicti, dum dictorum defunctorum corpora, si extent, aut ossa eorum vel figure pro ipsis, si non extent aut reperiantur forsitan, ad ecclesiam sicut expressum est superius deferentur, teneantur habere sexaginta tortitia cerea quodlibet ponderis septem librarum cere, que teneantur donec exequie sint complete, corporibus seu ossibus tumulatis, et deinde offerantur et remaneant ecclesiis predictis, in quibus celebrabuntur exequie supradicte, in quibus omnibus reformator et alii predicti si sint in partibus illis, alias officiales dicti regis loco illorum teneantur personaliter interesse. Et ultra omnia supradicta dictus reformator et ceteri a predicta sentencia ut premittitur absolvendi ecclesiis et personis ecclesiasticis illarum partium, si ex predictis vel aliquo predictorum ius earum lesum repertum extiterit quoquomodo, ad tui cognitionem et arbitrium plene satisfacere sint astricti, et alias eciam eisdem per te vel diocesanos eorum, per quod diocesanos vel eorum vicarios in spiritualibus volumus illos de predictis in regno Maioricarum predicto commorantibus, qui ad tuam presentiam nequirent venire comode iuxta formam ecclesie posse absolvi a sentencia predicta et eis iniungi penitencias, de quibus tibi vel eisdem diocesanis aut vicariis quorum conscientias oneramus, super hoc visum fuerit expedire. Insuper regi predicto ac reformatori et ceteris absolvendis iniungi expresse per te volumus et mandari, quod ipsi decetero in personas ecclesiasticas talia vel similia committere non presumant. Demum volumus adicientes expresse quod si rex reformator et alii absolvendi predicti premissa et alia que ipsis iniuncta fuerint et mandata diebus et temporibus expressis superius contempserint adimplere, in eandem excommunicationis sentenciam recidant ipso facto.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, III Idus Iunii, pontificatus nostri anno Quinto.

1026

1346 juny 12, Vilanova d'Avinyó

Climent VI confirma els capítols i condicions de la concòrdia entre el bisbe de Vic (Miquel de Ricomà) i la ciutat de Manresa sobre el pas de la sèquia pel terme de Sallent. Hi ha inserit el document de l'abat de Sant Pere de Besalú, Berenguer, com a procurador del bisbe de Vic, i Ramon Saera, com a procurador de la ciutat de Manresa, on estableixen, aproven i signen els capítols i condicions de la concòrdia, entre el bisbe i la ciutat, sobre l'esmentat pas de la sèquia pel terme de Sa-

FUNDACIÓ NOGUERA

llent. El rei Pere III d'Aragó, València, Mallorca, Sardenya, Còrsega, comte de Barcelona, Rosselló i Cerdanya (el Cerimoniós) i el bisbe de Vic (Miquel de Ricomà) aproven i ratifiquen aquesta concòrdia.

A Manresa, Arxiu Comarcal de Bages, Sèquia, Pergamins, núm. 3.
a Butlla perduda.
b TORRAS I SERRA, *El Llibre Verd de Manresa*, p. 146-148, doc. 38. Inserit p. 127-144, doc. 37 (19 novembre 1345).

CLEMENS (VI) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Que per amicabilem concordiam terminata sunt, decet benigno favore nos prosequi et, ne in recidivum pristine discordie relabantur, eis robur adicere apostolice firmitatis ut illibata permaneant cum nostro fuerint presidio communita. Sane petitio carissimi in Christo filii Petri regis Aragonum illustris ac venerabilis fratris nostrorum Michaelis episcopi et dilectorum filiorum capituli Vicensium ac universitatis ville de Minorissa Vicensis diocesis nobis exhibita continebat, quod olim inter bone memorie Galcerandum episcopum Vicensem tunc in humanis agentem et dictos capitulum ex parte una et eosdem universitatem ex altera pretextu cuiusdam aqueductus seu alvei aut sequie, quem seu quam in territorio et districtu castri de Saliente dicte diocesis, quod quidem castrum est francum allodium episcopi et ecclesie Vicensium, dicti universitas absque licentia prefati Galcerandi episcopi pro recipienda et conducenda aqua ex flumine Luppricati ad dictam villam Minorisse faciebat, ex quo quidem aqueductu seu alveo aut sequia idem episcopus et homines predicti castri de Saliente subditi episcopi et ecclesie predictorum nonmodica dampna et iacturam incurrerant et continue incurrebant, necnon occasione quorundam processuum contra predictos universitatem et quasdam singulares personas ipsorum et nonnullos alios mandato ipsius Galcerandi episcopi propter hoc habitorum materia dissensionis exorta et super hiis lite in palatio apostolico ventilata, tandem eodem Galcerando episcopo sicut domino placuit sublato de medio sibique dicto Michaele episcopo in ipsius ecclesie regimine substituto, cum prefati universitas redeuntes ad cor vellent cum eadem ecclesia super hiis concordare pro reformatione concordie huiusmodi electi et assumpti fuerunt hincinde certi pro utraque earundem partium tractatores, quibus mediantibus pro tractatus super hiis invicem habitos, dilectus filius Berengarius abbas monasterii sancti Petri de Bisulduno ordinis sancti Benedicti Gerundensis diocesis eiusdem Michaelis episcopi in spiritualibus et temporalibus vicarius generalis de consilio et assensu dictorum capituli et Raymundus de Area dicti loci de Minorissa laicus iurisperitus actor sindicus et procurator constitutus per consiliarios dicte ville de Minorissa de assensu iuratorum eiusdem ville, ad hec omnia vicarius plenam potestatem ac sindicus predicti speciale

FUNDACIÓ NOGUERA

mandatum habentes quilibet eorum videlicet pro parte sua pacem concordiam utilem et honorabilem eidem ecclesie invicem ineuntes ad quandam transactionem et compositionem amicabilem devenerunt. Cui quidem transactioni et compositioni rex, qui est dominus dicti loci de Minorissa, necnon Michael episcopus et capitulum ac vicarius et sindicus predicti consenserunt illamque laudaverunt approbaverunt et ratificaverunt, ac prefatus rex eciam confirmavit eandem, prout in quodam instrumento publico inde confecto sigillis regis et episcopi ac signo regis necnon episcopi et vicarii predictorum et nonnullorum canonicorum eiusdem ecclesie Vicensis qui ratione huiusmodi negotii pro capitulo fuerunt congregati subscriptionibus communito, cuius tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus plenius continetur. Quare prefati rex necnon episcopus et capitulum ac universitas nobis humiliter supplicarunt, ut transactioni et compositioni huiusmodi, ut perpetuis consistat firma temporibus robur apostolice firmitatis adicere dignaremur. Nos igitur qui ea que pacis et concordie sunt inter Christi fideles, libenter exquirimus et exquisita promptis affectibus promovemus huiusmodi transactionem et compositionem ratam et gratam habentes illam auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum, siquis intervenerit in eadem, de plenitudine apostolice potestatis. Tenor autem dicti instrumenti talis est:

Noverint universi quod cum controversia esset inter reverendum in Christo patrem dominum Vicensem episcopum ex una parte et universitatem civitatis Minorise Vicensis diocesis ex altera pro eo quia dicta universitas impetraverat a domino rege Aragonum quod in termino castri de Balcereyn, quod est alodium et de iurisdictione dicti domini regis eiusdem diocesis possent recipere aquam fluminis Luppricati ad dictam civitatem ducendam per quecumque loca. Et propterea facerent dicta universitas aqueductum sive alveum aut cequiam ad dictam aquam ducendam per terminos castri de Salliente dicte diocesis, quod est allodium liberum et franchum Vicensis ecclesie, cum per alia loca dicta aqua non posset duci ad dictam civitatem, et dictus dominus episcopus diceret hoc eis non licere duplici ratione, prima quia non erat eis licitum occupare et frangere terram ecclesie Vicensis absque licentia et permissu domini episcopi supradicti, secunda quia dictus dominus episcopus et eius ecclesia habeant molendina in dicto flumine infra terminos dicti castri de Salliente que fierent inutilia in totum vel saltem in parte per acceptionem et ductionem dicte aque, et quod cum dicta ecclesia habuisset dictum castrum ab illustrissimo domino rege Aragonum ex causa permutationis alterius terre, quam dicta ecclesia habebat in regno Valentie, et in dicta permu-

FUNDACIÓ NOGUERA

tatione dictus dominus rex dederat dictum castrum de Salliente dicte ecclesie cum omnibus molendinis ibi tunc constructis et imposterum construendis, dicta eciam ecclesia possedisset dicta molendina in dicto loco per tantum tempus quod memoria hominum in contrarium non existit, non erat licitum dicte universitati dictam aquam occupare et ad dictam civitatem ducere, et quod nec eciam dominus rex in preiudicium dicte ecclesie salva sui reverentia in omnibus potuit hoc concedere, et propterea decanus dicte civitatis alias dictus in iure officialis foraneus pro reverendo in Christo patre domino Galcerando bone memorie Vicensi episcopo declarasset consiliarios et iuratos et aliquos alios dicte civitatis singulares et quosdam alios incidisse in penas statutas per constitutiones consilii provincialis Terraconensis contra invasores bonorum et rerum ecclesiasticarum. Et propterea faceret predictos denunciari excommunicatos et in locis ubi ipsi degerent cessari penitus a divinis, et nichilominus dicta universitas ex dicta causa per eundem decanum fuisset supposita ecclesiastico interdicto, et dicta universitas ex adverso responderet quod dominus rex potuerat concessisse dictum ductum aque per terram ecclesie absque assensu dicti domini episcopi, satisfaciendo tam dicte ecclesie quam eius hominibus et subditis quam eciam aliis qui ex hoc lederentur ex eo quia hoc exigebat utilitas publica, et quod propter publicam utilitatem dominus rex hec et alia similia poterat et consueverat concedere et eciam ordinare per terras ecclesiarum et quorumcunque aliorum infra regna sua constitutorum absque licentia prelatorum et aliorum per quorum terras transiret. Dicerent eciam dicta universitas quod propter redemptionem dicte aque dicta molendina dicti domini episcopi non deteriorabantur pro eo quia dicta aqua sufficiebat ad omnia supradicta, et ideo appellassent a declaratione et aliis processibus dicti decani et ecclesia a dicta sententia interdicti. Tandem reverendus in Christo pater dominus Berengarius dei gratia abbas monasterii sancti Petri de Bisulduno diocesis Gerundensis vicarius in spiritualibus et temporalibus generalis reverendi in Christo patris et domini domini Michaelis divina providencia Vicensis episcopi habens ut asserit ad hoc potestatem a dicto domino episcopo, agens in hac parte de consilio et assensu venerabilis capituli Vicensis ecclesie predicte et precedentibus pluribus tractatibus habitis in ipso capitulo de premissis et venerabilis Raymundus de Area iurisperitus civis dicte civitatis Minorise actor sindicus et procurator constitutus ut asseruit ad hoc inter alia per consiliarios dicte civitatis de assensu iuratorum eiusdem cum publico instrumento infra intitulato venerunt ad transactionem et amicabilem compositionem super predictis omnibus sub hac forma:

Quia nos dictus frater Berengarius vicarius reverendi domini episcopi supradicti de consilio et assensu venerabilis capituli Vicensis

FUNDACIÓ NOGUERA

ecclesie supradicte et precedentibus pluribus tractatibus habitis super predictis in capitulo supradicto, damus stabilimus et concedimus in emphitheosim imperpetuum vobis dicto venerabili Raymundo de Area iurisperito Minorise sindico et procuratori predicto nomine et vice dicte universitatis presenti et recipienti per vos dicte universitati licet absenti, quod dicta universitas Minorise possit facere perficere et habere cequiam in ea forma qua incepta est in termino castri de Salliente ad ducendum aquam fluminis Luppricati ad dictam civitatem Minorise, quam aquam dicti fluminis Luppricati possint ad usum suum ducere, eciam totam si totam ducere voluerint, per ipsam cequiam ad dictam civitatem. Hanc autem dationem stabilimentum et concessionem dicte cequie facimus vobis et dicte universitati sub annuo censu viginti solidos solvendorum perpetue anno quolibet in festo Omniumsanctorum quodque hanc solutionem incipiant facere in proximo venturo festo Omniumsanctorum, et quod possimus et possit dictus dominus episcopus et sui successores vos et dictam universitatem et consiliarios eiusdem ad solutionem dicti census compellere et distringere per iurisdictionem ecclesiasticam vel alias prout melius poterimus et poterit et nobis et sibi videbitur faciendum. Salvo quod propter moram solutionis dicti census vel alias non possimus emparare dictam cequiam nec eam frangere nec per eam cursum aque modo aliquo impedire, et eciam quod per cessationem dicti census eciam multorum annorum dicta cequia non possit cadere in commissum, sed si per biennium cessatum fuerit extunc censum cessatum habeant solvere duplicatum. Predictas igitur donationem stabilimentum et concessionem dicte cequie per terminum dicti castri de Salliente faciende et perficiende et habende ad dictum usum aque ducende sic facimus et concedimus quod solum seu patium dicte cequie, quatenus erit infra terminos castri de Salliente ad alium usum nullatenus habeat universitas supradicta. Immo si quocumque casu cursus dicte aque per dictam cequiam non fieret aut cessaret preterquam impedimento nostro vel Vicensis episcopi et suorum, quod dictum solum seu patium dicte cequie, quatenus sit et erit infra terminos dicti castri de Salliente, sit et remaneat in pleno francho et libero dominio domini Vicensis episcopi quia sic erat ante concessionem presentem, ita quod si cursus dicte aque per quinquennium continuum cessaverit fieri per dictam cequiam quod extunc dominus episcopus aut homines sui aut terram tenentes ibi sub eo possint illam, quatenus sit et erit infra terminos dicti castri de Salliente, colere fodere et laborare ad omnes suas voluntates sicut alias terras proprias eorundem, sed extunc dicta universitas non teneatur ad solutionem census predicti, et quod etiam pendente dicto quinquennio possint bestias et bestiaria greges et armenta et pecudes in dicta

FUNDACIÓ NOGUERA

cequia et per eam, quatenus sit et erit infra terminos dicti castri de Salliente pascere et pasci facere sine contradictione dicte universitatis et singularium de ea. Si tamen dicta universitas aut cives eiusdem dictam cequiam reficere seu tornare voluerint et aquam reducere per eandem, concedimus eis quod hoc possint facere non obstante prescriptione aliqua vel lapsu temporis quantocunque, sed extunc videlicet postquam dictam cequiam reficere seu tornare voluerint et aquam reducere per eandem, teneatur dicta universitas ad solutionem dicti census prout ante lapsum dicti quinquennii tenebatur. Si vero dicti vices aut universitas dictam cequiam per alium vel alia loca termini dicti castri mutare voluerint aut illam ampliare vel restringere aut altiorem vel profundiorem facere, concedimus eis quod facta per eos primitus satisfactione de precio terrarum quas ad hoc opus habuerint et de dampnis, eciam que propterea dabuntur aut fient illi vel illis cuius vel quorum terre huiusmodi fuerint, que dampna huiusmodi sustinebunt ad cognitionem duarum personarum per dominum episcopum et per dictam universitatem eligendarum hoc facere valeant et non ante. Concedimus insuper vobis quod dictam cequiam, quociens opus fuerit, possitis purgare inundare et eciam esconbrare et purgationes inundationes et escombrimenta proicere et ponere in marginibus et horis et rippis dicte cequie. Retinemus tamen et salvamus quod homines terras habentes contiguas dicte cequie possint quilibet in suo iuxta rippas dicte cequie, plantare arbores infructiferas cuiuscumque nature et eciam arbores olivarum laurorum et ladoneriorum, relicto tamen per eos itinere inter dictam cequiam et dictas arbores per quod non obstantibus ipsis arboribus et branchis aut ramis eorum possit unus homo ante alium libere sine impedimento transire, et quod possint eciam ipsi homines post dictum iter et arbores supradictas intra suas possessiones plantare vel plantari facere arbores fructiferas vel alias, quas magis duxerint eligendas. Hanc igitur dationem stabilimentum et concessionem vobis et dicte universitati ut premittitur facimus quod possitis ducere dictam aquam, eciam si totam quantam fuerit in dicto flumine Luppricati ducere volueritis, per cequiam supradictam, ita eciam quod super eius ductu vobis et dicte universitati non possit fieri vel opponi impedimentum obstaculum vel contradictio per dominum Vicensem episcopum, qui est aut qui pro tempore fuerit, nec per capitulum aut aliquem de ecclesia Vicensi aut per homines castrorum de Arters de Salliente et de Castronovo, pro eo quia dicerent aquam deficere eorum molendinis, quos habent in termino de Salliente aut alia qualibet ratione. Volumus tamen et expresse condicimus vobiscum dicto Raymundo, quod si dominus episcopus qui est vel pro tempore fuerit requireretur per aliquos, qui non sint homines de sua terra nec de sede nec

FUNDACIÓ NOGUERA

de capitulo eiusdem, quod procederet contra dictam universitatem aut singulares ex ea pro eo, quia auferretur aut minueretur eorum aut rerum suarum usibus dicta aqua, si in eo casu per iurisdictionem ecclesiasticam sibi pertinentem et dicto casui congruentem procederet contra eos pro faciendo eis iusticiam requisitus, ex hoc dici non posset prestitisse impedimentum contradictionem vel obstaculum aliquod in premissis. Volumus insuper et expresse condicimus vobiscum dicto Raymundo, quod cequiarius vel cequiarii qui pro tempore ponentur ad conservationem et custodiam dicte cequie, qui tamen quamdiu cequiarius vel cequiarii fuerint, non possint tenere officium domini regis vel alterius qui esset temporalis dominus Minorise, quociens ibi eum vel eos poni contigerit antequam dicto officio, uti possint faciant et prestent sacramentum et homagium dicto domino Vicensi episcopo aut baiulo de Arters vel de Salliente eius nomine recipienti, cuius vigore et virtute se obliget, quod bene et legaliter se habebit in officio dicti cequiarii et quod vitabit quamdiu ibi cequiarius fuerit pro posse suo omne dampnum dicti domini episcopi et terre sue. Est tamen nostre intentionis et volumus quod homagium et sacramentum predicta sint huiusmodi efficacie, quod per mala aut dampna que dederint aut fecerint dicti cequiarii in personis aut bonis subditorum domini episcopi vel aliorum infra terram suam aut extra non possint dici esse proditores aut bausatores nec fecisse contra homagium vel sacramentum prestita per eundem, nisi per id principaliter intenderet dampnificare vel iniuriari dominum Vicensem episcopum aut eius ecclesiam, quamvis per consequentiam dampnum vel iniuriam paterentur. Sed quod cequiarius pro maleficiis huiusmodi, quatenus infra iurisdictionem temporalem domini Vicensis episcopi essent commissa, per dominum Vicensem episcopum aut baiulos vel officiales suos possit secundum criminis qualitatem puniri. Retinemus eciam quod si dictus cequiarius vel cequiarii post dicta dampna data vel facta per eos infra iurisdictionem temporalem dicti domini episcopi inventi fuerint vel reperti infra iurisdictionem regiam aut officialium regiorum, quod baiulus Minorise et vicarius Minorise et Bagiarum et alii officiales regii, illis videlicet infra cuius iurisdictionem inventi fuerint et reperti, requisiti per dominum episcopum vel baiulum de Arters et de Salent habeant illum vel illos remittere et remittant ad dictum dominum episcopum vel baiulos supradictos, infra quorum iurisdictionem temporalem deliquerint puniendos. Retinemus eciam et condicimus, quod si cequiarius vel cequiarii, qui positi fuerint ad custodiam dicte cequie, videbuntur domino episcopo aut vicario suo in eius absentia esse homines vel persone rixose et brigose et quod maliciose vel dampnose contra terram domini episcopi se haberent in dicto officio, quod dictus dominus episcopus aut

FUNDACIÓ NOGUERA

eius vicarius seu locumtenens in eorum absentia possint illum ex toto a dicto officio removere et quod extunc ponatur ibi alius sufficiens qui prestet sacramentum et homagium dicto domino episcopo vel dicto eius baiulo, ut superius est iam dictum. Item concedimus vobis et dicte universitati, quod pro reparandis rippis et refectione dicte cequie et restrictione dicte aque ne labatur, possitis scindere et recipere ramos arborum infructiferarum et eciam ipsas arbores infructiferas totas satisfaciendo tamen dampna passis, sed de arboribus fructiferis nolumus quod possitis recipere ramos arborum earundem aut ipsas arbores integras, nisi primitus conveneritis cum eisdem qui dictas arbores vendere voluerint et potuerint. Nec intendimus quod aliquis ad vendendum predicta compelli valeat quoquo modo. Si vero aliquis quantum ad dictas arbores fructiferas contrarium egerit, quod incidat in penam sexaginta solidos domino Vicensi episcopo applicandam et ultra hoc teneatur satisfacere dampna passis. Item retinemus dicto domino Vicensi episcopo et ecclesie Vicensi et nobis eius nomine, quod si de dicta cequia quatenus erit infra terminos dicti castri de Salliente vicio eius vel alias aqua labatur per torrentes vel terras dicti castri de Salliente, quod dictus dominus episcopus aut homines dicti castri habeant dictam aquam, sit labentem quamdiu sic labetur vel decurrerit ad faciendum inde suas omnimodas voluntates. Ita tamen quod dicta universitas decursum vel lapsum dicte aque possit claudere vel restringere, ne labatur vel discurrat ab ipsa cequia non obstante prescriptione vel lapsu temporis aut alia quavis causa. Item quod cequiarius vel cequiarii qui ponetur pro tempore ad regimen et custodiam dictarum cequie et aque, ligetur et cadat ad omnia banna et in omnibus bannis que ponentur seu statuentur in terra domini episcopi contra euntes per vineas terras et possessiones alienas aut colligentes fructus herbas seu olera contra vel preter domini voluntatem, et in omnibus et ad omnia alia banna que ponentur seu statuentur quacumque de causa in terra domini episcopi Vicensis, si contra ipsa banna infra dicti domini episcopi iurisdictionem temporalem commiserit, et nichilominus quod ultra dicta banna dampnum datum habeant emendare. Item retinemus quod si cequiarius vel cequiarii, qui pro tempore ponentur ad custodiam dictarum cequie et aque, casu vel in rixa aut ex deliberato proposito vulnerabitur occidetur vel alias sibi iniuria inferretur infra iurisdictionem temporalem dicti domini episcopi, quod universitas dicte civitatis Minorise aut dominus rex vel officiales sui quicumque sint de hoc se nullatenus intromittant nec aliter se moverent ad dampnificandum terras vel homines dicti domini episcopi, nec eciam dicta universitas ingredi audeat dicta de causa terram domini episcopi supradicti. Et si ingressa fuerit terram dicti domini episcopi ratione predicta, inci-

FUNDACIÓ NOGUERA

dat in penam Mille morabatinorum boni auri et fini et recti ponderis. Et si singularis vel singulares ex dicta universitate sine dicta universitate ingressi fuerint ex dicta causa in terra domini episcopi invadendo vel dampnificando, incidat eorum quilibet in penam ducentorum solidorum Barchinonensium de Terno. Et nichilominus tam ipsi quam dicta universitas scilicet quilibet suo casu de dampnis datis habeant facere emendam, sed dictus dominus episcopus aut baiulus eius dictum crimen vel delictum commissum in personam dicti cequiarii puniat prout de iusticia faciendum fuerit, omni venia et remissione cessantibus. Retinemus insuper quod banna quecumque apponentur seu statuentur contra commitentes in dictam cequiam seu aquam, quantum dicta cequia durat vel est et erit infra terram et iurisdictionem temporalem domini episcopi, quod illa banna ponantur et statuantur infra terram domini episcopi per eum vel baiulos suos et non per alium. De bannis tamen que accusabuntur per dictum cequiarium, detur sibi retrodecimum per dictum episcopum aut baiulos suos per illum videlicet qui bannum huiusmodi exiget vel solvi compellet, et quod dictus cequiarius iuret in posse dicti domini episcopi aut baiuli sui vel eius locumtenentis in castro de Salliente, quod circa accusationem huiusmodi fraudem aliquam non committet et si contrafecerit quod inde per dominum episcopum aut suum baiulum puniatur, nec per hec intendimus concedere quod dictus cequiarius ratione dicti sui officii possit aliquam iurisdictionem assequi vel habere circa dictam cequiam vel aquam aut homines committentes contra eas aut distringere ipsa banna. Item retinemus quod si dicta cequia infra iurisdictionem temporalem dicti domini episcopi per aliquem vel aliquos frangeretur aut destrueretur aut alias committeretur in ea, quod talis malefactor per dominum episcopum aut suos baiulos de dicto crimine puniatur et quod de bonis dicti malefactoris emendetur dampnum datum in dicta cequia et aliis, que propter decursum dicte aque vel fractionem dicte cequie per vineas campos vel alias fuerint dampna passi, et si dicti malefactor vel malefactores fugerint de dicta terra dicti domini episcopi et extra illam capti fuerint, quod fiat de eis remissio dicto domino episcopo Vicensi aut officialibus suis per officiales regios, sic per omnia sicut cum de cequiario sermo fieret superius est iam dictum. Item retinemus et condicimus specialiter et expresse, quod dicta universitas satisfaciat et habeat satisfacere omnibus tam subditis dicti domini episcopi quam aliis terram tenentibus infra territorium dicti castri de Salliente, qui dampnum sustinuerunt aut sustinebunt imposterum ratione dictarum cequie vel aque de omnibus dampnis tam datis quam dandis cum data fuerint ea occasione quocumque modo tam per occupationem terrarum quam partium expletorum vel quacumque alia causa. De

FUNDACIÓ NOGUERA

terris tamen et in terris et expletis et aliis que infra terram dicti domini episcopi possederunt possident vel imposterum possidebunt. Item condicimus et retinemus quod si ripparum vicio vel quovis modo alio dicta cequia frangetur, dumtamen factum non fuerit pro parte domini episcopi aut subditorum suorum, quod si opponatur, habeat in brevi probari vel per decursum dicte aque dampnum imposterum dabitur alicui de subditis domini episcopi vel aliis terram tenentibus infra territorium dicti castri de Salliente, quod dicta universitas totum illud dampnum emendet integre illi vel illis qui hoc dampnum sustinebunt. Item retinemus quod si per quosvis inimicos dicti domini episcopi aut ecclesie Vicensis vel civitatis Minorise aut alicuius civis eiusdem civitatis vel quovis alio casu dicta cequia frangeretur, universitas Minorise sonum mittendo vel alias evalotando aut dampnum dando non ingrediatur seu intret infra terram domini episcopi. Et si contrafecerint, dampnum quod dederit habeat emendare et ultra hoc incidat in penam Mille Morabatinorum auri. Et si singulares dicte universitatis sive ea ingredientur terram domini episcopi per modum predictum, satisfaciant dampna que dederint et ultra hoc eorum quilibet incidat in penam ducentorum solidorum. Et quod fractores dicte cequie habeant persequi infra terram domini episcopi per baiulos et gentes suos nec sustineantur per dominum episcopum predictum nec per universitatem Minorise palam et occulte, et si dictus dominus episcopus aut baiulus suus scientes aliquem fractorem esse dicte cequie sustinuerint eum infra terram suam, incidant in penam Mille Morabatinorum auri, et si singulares Minorise vel de terra domini episcopi scienter talem sustinuerint fractorem, incidat eorum quilibet in penam Mille solidos Barchinonenses. Si vero talis fractor vel fractores qui tamen deliquerint infra iurisdictionem temporalem dicti domini episcopi confugerint et capti vel reperti fuerint, infra iurisdictionem domini regis seu officialium suorum quod quilibet ipsorum officialium habeat eum vel eos remittere puniendos dicto domino episcopo seu officialibus suis, si et quando inde fuerit requisitus, sicut in alio casu superius est iam dictum. Item quod si propter reparationem vel refectionem purgationem seu inundationem dicte cequie nunc vel infuturum dampnum dabitur in fructibus vineis arboribus campis aut rebus aliis infra territorium domini episcopi, quod illud incontinenti per dictam universitatem Minorise integraliter emendetur. Item retinemus et condicimus, quod homines termini de Salliente per terram quorum aqua infra dictum terminum transibit fluet sive decurret, habeant infra dictum terminum omne ademprium et omne servicium in et ex dicta aqua defluente per ipsam cequiam, excepto quod ad molendina et ad irrigandum terras illam de cequia non possint accipere. Si tamen voluerint, possint bassias prope dictam

FUNDACIÓ NOGUERA

cequiam facere et cum portadoris vel aliis vasis possint recipere et portare aquam de dicta cequia et ponere in dictis bassis ad aquandum linum vel canape aut ad putrefaciendum finem. Sed quod de aqua dictarum bassarum non possint terram aliquam irrigare. Similiter quod alii homines termini de Salliente possint recipere de aqua dicte ceque ad usum hospiciorum suorum et eorum, que intra hospicia sunt agenda, et ad aquandum seu dandum potum bestiis bestiariis et pecudibus eorundem. Ita tamen quod foramen vel viam non possint facere ad descendendum in dicta cequia, sed alias possint eam recipere de eadem cequia quovis modo sine lesione dicte cequie ad usus proxime dictos. Sed ad molendinum vel molendina aut ad rigandum vel ad aliquem usum terrarum vel eorum que in ipsis terris agentur, nullatenus recipere valeant de eadem. Item retinemus et expresse condicimus, quod per dictam universitatem Minorise satisfiat hominibus dicti domini episcopi et ecclesie Vicensis et aliis, qui molendina habent infra territorium dicti castri de Salliente de omnibus dampnis que ratione occupationis vel adductionis dicte aque fluminis Luppricati sustinebunt in dictis eorum molendinis et nichilominus dicto domino episcopo et aliis dominis pro quibus dicta molendina teneantur vel aliud ius habeant in eisdem de censibus et aliis iuribus, quos et que percipiunt et habent et habere et percipere debent super dictis molendinis et de directo dominio eorundem, si et in quantum ex dicta causa detiorabuntur vel minus valebunt. Item retinemus quod pro satisfactione dampnorum et expensarum sustentarum et factarum per dominum Galcerandum bone memorie Vicensem episcopum, pro eo quia dicta universitas absque eis licentia faciebat fieri dictam cequiam per terminum castri de Salliente et alias ratione dicte cequie et dicte aque propter que decanus Minorise et Bagiarum pro dicto domino tunc episcopo fecit denunciari excommunicatos consiliarios et iuratos dicte civitatis Minorise et quosdam alios per constitutiones sacri consilii Terraconensis quas fecit observari in dicta civitate Minorise et dictam universitatem supposuit ecclesiastico interdicto, et alios processus fecit contra eam et contra aliquos singulares eiusdem, dentur et solvantur per dictam universitatem quinque Mille solidi. Item retinemus integraliter et eciam plene dicto domino episcopo et ecclesie Vicensi merum et mixtum imperium et omnem aliam iurisdictionem in dicta cequia et aqua quatenus est et erit infra terminos castri de Salliente et alias per totum terminum dicti castri, prout et quia ex concessione regia iam habemus. Ita quod ratione dictarum cequie vel aque dominus rex vel officiales sui aut cives Minorise vel cequiarius, qui pro tempore ponetur ad custodiam dicte aque vel cequie, non possint ibi acquirere merum vel mixtum imperium vel aliam iurisdictionem. Convenimus

FUNDACIÓ NOGUERA

insuper et promittimus quod dominus Vicensis episcopus et successores sui perpetuo ponant et statuant et ponere et statuere teneantur bannum decem solidos contra quoscumque tam masculos quam feminas et tam de terra sua quam alios, qui infra territorium castri sui de Salliente et eius termini proicient lapides terram aut alia in dicta cequia ex quibus dicta cequia vel aqua dampnificaretur aut alias dampnificabunt ipsam cequiam vel aquam vel dictam universitatem in usu earum et quod in dictum bannum incidant quociens fecerint contra ipsum. Et quod nichilominus dampna per eos data, resarcire dicte universitati teneantur. Item retinemus quod ubicumque in presenti concessione dicitur quod emenda fiat dampna passis ratione dicte cequie vel aque aut refectionis eiusdem cequie, si dicta universitas Minorise aut singulares quicunque, qui dampna dederunt vel dabunt aut dederint, de emenda non poterunt convenire cum dampna passis infra mensem, postquam per eos inde fuerint requisiti, quod baiulus domini episcopi castri de Arters sive de Salliente cum suo iudice sine lite dampnum datum habeat extimare et determinare et quod ille habeat expensas solvere que propter hoc fient, cuius culpa cessabit inter eos fieri compositio sive avinentia et ad iudicem oportuerit habere recursum. Et postquam dictum dampnum per dictum baiulum cum suo iudice extimatum fuerit et determinatum, satisfaciat is qui dampnum dederit, dampna passo infra quindecim dies de extimatione dampnis et expensis, si et que iudicate fuerint. Quod si infra dictos quindecim dies dicta dampna et expensas non solverit, extunc habeat solvere extimationem dampni iudicati in duplo et omnes expensas quas extunc dicta de causa dampnificatum facere oportebit. Per hec tamen, que superius sunt dicta, non est intentionis nostre quod preiudicetur nec preiudicare volumus, aliqui qui non sit de terra domini episcopi aut sedis Vicensis, sicut est abbas monasterii sancti Benedicti de Bagiis et Petrus Ciyar dominus castri de Ruppeforti et alii quicunque fuerint in iure suo, siquod habent in dicta aqua fluminis Luppricati. Nec etiam intendimus renunciare iuri quod dictus dominus episcopus habet ratione castri de Salliente et concessionis regie sibi facte in dicta aqua fluminis Luppricati, quominus contra quascumque personas possit illud habere defendere et tueri plene et integre sicut posset et poterat ante concessionem presentem, excepta dicta universitate Minorise, adversus quam illud habere non valeat quatenus presenti concessioni repugnaret. Et eciam quod contra dictam universitatem possit dictum ius habere defendere et tueri plene et integre sicut posset et poterat ante presentem concessionem, in eo videlicet casu tantum si dicta universitas dicte cequie cum instrumento publico renunicaret. Versa vice ego dictus Raymundus de Area sindicus actor sive procurator universitatis dicte

FUNDACIÓ NOGUERA

civitatis Minorise habens potestatem ad hec cum publico instrumento acto Idus Iulii anno quo infra et clauso per Petrum Natalis notarium publicum Minorise nomine sindicatus, actorio et procuratorio predicto recipiens acceptans laudans approbans et confirmans omnia et singula supradicta et eisdem expresse consentiens pro satisfactione dampni, siquod contingeret dicto domino Vicensi episcopo et eius ecclesie pro receptione aque Luppricati et ductione per terram suam, concedo reverendissimo in Christo patri domino Michaeli divina providentia Vicensi episcopo licet absenti predicto et ecclesie Vicensi et vobis reverendo et religioso domino fratri Berengario dei gatia abbati monasterii de Bisulduno diocesis Gerundensis vicario in spiritualibus et temporalibus generali dicti domini episcopi supradicti presenti et pro eo recipienti, quod possitis facere vel edificare seu construere ubicunque volueritis infra terminum dicti castri de Salliente a loco vocato de Pulcroloco eiusdem termini versus villam et pontem de Salliente, qui est in flumine Luppricati, et non a predicto loco de Pulcroloco versus villam sancti Petri de Auro vel locum aut castrum sancti Pontii unum molendinum de cupero cum duabus rotis, quod quidem molendinum habeat et recipiat libere aquam de dicta cequia quantum opus habuerit pro una rota tantum et non amplius, et quod de dicta aqua antequam veniat ad ipsum molendinum vel postquam exierit de eo, non possitis vos aut quivis alius vineas ortos vel terram aliam rigare, pro quo quidem molendino faciendo seu construendo dono vobis dicto nomine recipienti octo Milia solidos Barchinonenses, quos promitto vobis solvere infra civitatem Barchinonensem per terminos inter me et vos comprehensos integraliter et sine aliqua diminutione. Promittens nichilominus quod si processu temporis dicta universitas Minorise dictam cequiam vel eius alveum mutare voluerit, sicut sibi superius est concessum, propter quam mutationem aqua dicte cequie ad dictum molendinum non posset ita commode sicut modo cum fuerit factum venire vel nichil de ipsa aqua venire possit ad dictum molendinum vel haberet de loco longinquiori adduci, quod dicta civitas antequam ipsam mutet aut mutare possit, habeat assecurare et assecurabit sufficienter taliter quod ecclesie erit bene tutum et securum, quod si dictum molendinum propter mutationem cequie oportebit mutari, quod dicta universitas Minorise ad expensas suas ipsum molendinum mutabit, ita videlicet quod dictum molendinum perficiet et completum erit eo tempore quo dicta cequia nova erit perfecta et completa in eo loco unde molendinum novum debebit aquam de dicta cequia recipere et habere, et quod molendinum si oportebit ipsum mutari, mutabit ipsa universitas Minorise ad locum ita utilem et proficuum ipsi ecclesie, sicut erit ille in quo nunc molendinum in dicta cequia per dictum dominum episcopum primitus

FUNDACIÓ NOGUERA

construetur. Et quod omnia opera occasione dicti molendini ultimo construendi tunc facta ita bona pulcra et proficua ipsi ecclesie habeat facere dicta universitas et faciat in et circa dictum molendinum novum sicut erat illa in et circa molendinum primum. Et si forte dictum molendinum propter mutationem dicte cequie non oportebit mutari quod dicta universitas assecuret tempore mutationis dicte cequie, quod faciet fieri omnia opera et solvet expensas alias que necessarie fuerint ad ducendum dictam aquam de dicta cequia nova ad dictum molendinum que aqua ita bene commode et plene et complete ac libere haberi et recipi valeat de dicta cequia tunc noviter facta ad dictum molendinum et in dicto molendino, sicut habebatur et recipiebatur ante mutationem dicte cequie. Et quod predicta omnia fiant ad cognitionem duarum personarum eligendarum communiter per dictum dominum episcopum et universitatem predictam, antequam aqua per novam cequiam licet perfectam relicta veteri derivetur. Intelligatur tamen semper quod dominus Vicensis episcopus vel alii pro eo ratione vel occasione dicti molendini numquam teneantur aliquid solvere vel contribuere in factione mutatione refectione purgatione inundatione vel alia aptatione dicte cequie vel resclose eiusdem cequie vel pontium eiusdem cequie vel aliis expensis quocumque modo faciendis pro dicta aqua ducenda vel derivanda per dictam cequiam. Et eo causa quo dictum molendinum oportebit mutari lapides ligna fustes instrumenta ferrea et alia quecumque apparamenta et cementa et omnia que pro edificio molendini et circumadiacentium domorum et operum essent ibi posita vel affixa vel alia operata essent dicte civitatis, non quod ea possent ibi retinere in sua figura nec solum seu patium ibi habere, sed quod possent inde ea amovere seu amoveri facere et cuicumque voluerint vendere seu donare vel ubicumque voluerint extra terminum dicti castri de Salliente transportare seu facere transportari, infra annum postquam secundum molendinum moleret seu molere posset de aqua per secundam cequiam discurrente. Elapso vero dicto anno omnia que ibi remanserint de predictis domino episcopo libere remaneant. Promitto eciam vobis nomine quo supra, quod si propter purgandam dictam cequiam, quatenus esset supra dictum molendinum per aversorium aut aversoria seu destalador o destaladors dicte cequie sive aque aqua ipsius cequie averteretur, ne discurreret per dictam cequiam sed per dictos destaladors extra ipsam cequiam prohiceretur, quod hoc fiet per illum aversorium vel aversoria sive destalador ho destaladors, qui sunt vel erunt in dicta cequia in ponte edificato super mansum de Conangle termini de Salliente et in quo ponte est divisio terminorum castri de Salliente et castri de Balcereyn vel in partibus aliis superioribus dicte cequie supra dictum pontem. Et si predicta purgacio

FUNDACIÓ NOGUERA

dicte cequie fieret in illis partibus eiusdem, que erunt subtus dictum molendinum, quod aversio illius aque fieret per illos destaladors, qui erunt subtus ipsum molendinum. Ita quod si dictum molendinum per vos noviter construendum ratione mutationis dicte cequie, ut dictum est, mutaretur quod tunc partes dicte cequie, quas dico subtus dictum molendinum intelligerentur, subtus hunc molendinum postea mutatum ut sic non posset defficere quin dictum molendinum vel molendina de Salliente possent habere aquam. Item nos dictus vicarius nomine quo supra et ego dictus Raymundus de Area nomine quo supra convenimus quod pene pecuniarie apposite in omnibus et singulis casibus supradictis de quibus supra specialiter non est cautum, quibus adquirantur, adquirantur et dividantur sub forma sequenti, videlicet quod de penis in quibus Vicensis episcopus et eius baiulus terre dicti domini episcopi inciderit, habeat medietatem civitas Minorise et aliam medietatem curia ecclesiastica que eas distringet et solvi faciet. Et quod de penis in quibus incidet universitas Minorise, habeat medietatem dominus episcopus Vicensis, qui pro tempore fuerit, et aliam medietatem curia infra cuius iurisdictionem ipsa universitas deliquerit. Et de penis in quas incident singulares persone sive fuerint de Minorisa sive de iurisdictione domini episcopi vel aliunde, habeat medietatem pars contra quam deliquerint et aliam medietatem curia sive dominus in cuius territorio sive iurisdictione deliquerint. Per hoc tamen non intelligimus quod de bannis que committentur infra iurisdictionem domini episcopi, pars Minorise habeat aliquam partem cum sint et esse debeant domini episcopi supradicti. Per premissa autem nos dictus vicarius domini Vicensis episcopi reputamus esse satisfactum dicto domino episcopo et ecclesie Vicensi super dampnis et expensis eis illatis et per eos factis pro dictis aqua et cequia et ratione invasionis et occupationis factarum in termino castri de Salliente pro facienda dicta cequia et ductu dicte aque et ratione et occasione earum, in tantum quod non restat aliud faciendum per dictam universitatem vel vos ratione eiusdem ad obtinendum relevationem interdicti, positi ratione predicta in dictam universitatem et ad obtinendum relevationem dicte constitutionis Terrachonensis et absolutionem pro illis qui excommunicati sunt auctoritate eiusdem, sive sint nunciati sive non. Quibus omnibus et singulis supradictis dictus vicarius reverendi domini episcopi consensiit et ea laudavit approbavit et ratifficavit. Et insuper omnia et singula supradicta sive per eum sint dicta sive per dictum venerabilem Raymundum de Area sive per ambas partes simul, quatenus prout sunt superius expressata, sint per reverendum dominum Vicensem episcopum, qui nunc est et pro tempore fuerit, aut dictum eius vicarium nominibus quibus supra facienda attendenda et complenda et alias observanda promisit

FUNDACIÓ NOGUERA

per firmam et legalem stipulationem dicte universitati civitatis Minorise, licet absenti et Raymundo de Area sindico actori et procuratori predicto et michi notario infrascripto nomine et pro parte dicte universitatis civitatis Minorise et omnium aliorum et singulorum, quorum interest et interesse poterit, legitime stipulantibus et recipientibus facere attendere et complere et alias observare et numquam contrafacere vel venire aut violare iure aliquo forma vel ratione aut causa. Similiter dictus venerabilis Raymundus de Area actor sindicus seu procurator predictus nomine quo supra et ex potestate sibi tradita per dictam universitatem in dicto publico instrumento eisdem omnibus et singulis supradictis consensiit et ea laudavit approbavit et ratificavit. Et insuper omnia et singula supradicta sive per eundem venerabilem Raymundum sint dicta sive per dictum dominum vicarium sive per ambas partes simul, quatenus prout sunt superius expressata, sint per dictam universitatem aut eundem Raymundum nomine dicte universitatis facienda attendenda complenda et alias observanda promisit per firmam et legalem stipulationem dicto domino episcopo licet absenti et dicto domino eius vicario presenti et michi notario infrascripto nomine et pro parte dicti domini episcopi et ecclesie Vicensis et omnium aliorum et singulorum quorum interest vel interesse poterit, legitime stipulantibus et recipientibus facere attendere et complere et alias observare et numquam contrafacere vel venire aut violare iure aliquo forma vel ratione ac causa. Acta fuerunt hec Vici, die sabbati intitulata Tercio decimo kalendas Decembris, anno Domini Millesimo Trescentesimo Quadragesimo quinto,[40] firmatum et laudatum per dictos dominum vicarium et venerabilem Raymundum de Area in palatio episcopali civitatis Vicensis, et per honorabiles capitulum Vicenses infrascriptos in claustro novo sedis Vicensis, in quo ad sonum campane, ut moris est, tunc ratione negotii predicti pro capitulo congregati erant. Signum nostri fratris Berengarii dei gratia abbatis et vicarii. Signum Raymundi de Area predictorum, qui predicta omnia et singula ut superius continetur firmamus et laudamus nominibus antedictis. Signum nostri Berengarii de Portella. Signum Arnaldi Guilelmi de Scintillis. Signum Iacobi de Solerio. Signum Bernardi de Eremo. Signum Iacobi de Sancto Clemente. Signum Berengarii de Lercio. Signum Petri de Marbuscha. Signum Petri de Avencho. Signum Berengarii de Columbario. Signum Bernardi de Fenestris. Signum Petri Iohannis de Avencho, canonicorum Vicensium predictorum, qui predicta consilio et assensu nostri facta firmamus et laudamus ut supra continentur. Testes huius rey

40. 19 de novembre de 1345.

FUNDACIÓ NOGUERA

sunt discreti Raymundus de Villamuntano, Fferrarius de Turricella benefficiati et Berengarius Vitalis scriptor et civis Vicensis. Nos frater Berengarius predictus abbas monasterii sancti Petri de Bisulduno in spiritualibus et temporalibus vicarius generalis reverendi patris domini Michaelis divina providentia Vicensis episcopi premissa concedimus laudamus et firmamus et manu propria subscribimus. Ego Berengarius de Portella canonicus Vicensis tractatibus premissorum interfui et eis consensii et ideo premisa laudo et firmo et manu propria subscribo. Ego Iacobus de Solerio Vicensis canonicus tractatibus premissorum interfui et eis consensii et ideo premissa laudo et firmo et manu propria subscribo. Ego A(rnaldus) G(uilelmi) de Scintillis canonicus Viscensis predictis interfui et subscribo. Ego Bernardus de Ermo Vicensis canonicus tractatibus premissorum interfui et eis consensii et ideo premissa laudo et firmo et manu propria subscribo. Ego P(etrus) de Marbuscha canonicus Vicensis tractatibus premissorum interfui et eis consensii et ideo premissa laudo et ffirmo et manu propria subscribo. Ego P(etrus) de Surigulliis Vicensis canonicus tractatibus premissorum interfui et eis consensii et ideo premissa laudo et firmo et manu propria subscribo. Ego Iacobus de Sancto Clemente Vicensis canonicus tractatibus premissorum interfui eisque consensii et ideo premissa laudo et firmo et manu propria subscribo. Ego G(uilelmus) de Sala Vicensis canonicus tractatibus premissorum interfui et eis consencii et ideo premissa laudo et firmo et manu propria subscripbo. Ego B(ere)ng(arius) de Columbario canonicus Vicensis tractatibus premissorum interfui et eius consensii et ideo premissa laudo et firmo et manu propria subscribo. Ego P(etrus) de Avencho canonicus et subsacrista Vicensis tractatibus premissorum interfui et eis consensii et ideo premissa laudo et firmo et manu propria subscribo. Ego Bernardus de Fenestris Vicensis canonicus quia premissorum tractibus interfui ea laudo et firmo manu propriaque subscribo. Ego Petrus Iohannis de Avencho canonicus et thesaurarius Vicensis tractatibus premissorum interfui eisque consensii et ideo premissa laudo et firmo et manu propria subscribo. Ego G(eraldus) de Emtensa canonicus Vicensis predictis interfui et subscribo. Ego B(e)r(en)garius de Lercio canonicus Vicensis predicta laudo et firmo et manu propria subscribo. Nos Michael dei gratia episcopus Vicensis premissa omnia et singula in hoc publico instrumento contenta ratificantes approbantes laudantes et concedentes ea omnia et singula promittimus per legalem stipulationem per nos et omnes successores nostros tenere et observare et non contravenire sub bonorum nostre Vicensis ecclesie obligatione et ypotheca, et nichilominus ad maioris roboris firmitatem hanc subscriptionem propria manu scripsimus et sigillum nostrum huic publico instrumento apponi fecimus in pendenti. Signum

FUNDACIÓ NOGUERA

Petri dei gratia regis Aragonum Valencie Maioricarum Sardinie et Corsice comitisque Barchinone Rossilionis et Ceritanie, qui recognitis premissis et eis diligenter examinatis predictis omnibus et singulis consentimus et ea laudamus confirmamus et approbamus et per officiales nostros et successorum nostrorum presentes et qui pro tempore fuerint ea perpetuo et inviolabiliter observari volumus statuimus ac mandamus. Apositum hic de mandato nostro per manum fidelis scriptoris nostri Raymundi Maranges, et ad maiorem premissorum corroborationem presentem cartam nostre maiestatis sigillo apendicio iussimus comuniri in civitate Gerunde, IIIº Nonas Decembris, anno Domini MºCCCºXLº quinto. H. Can(cellarius). R. Maranges ex provisione facta in consilio ad relationem cancellarii Signum mei Guilelmi de Terrariis notarii publici Vicensis auctoritate domini Vicensis episcopi, qui firmas dictorum reverendi domini abbatis et venerabilis Raymundi de Area et honorabilium capituli in locis predictis recepi et aliis premissis una cum prenominatis testibus vocatus et rogatus interfui manu propria me subscribo meoque signo consueto signavi in testimonium premissorum. Signum Bernardi Guasch notarii publici Vicensis auctoritate domini Vicensis episcopi, qui hec scribi fecit et clausit cum raso et rescripto in vicesima tercia linea ubi dicitur ecclesiasticum et cum supraposito in tricesima quinta alia narratur ingredi et in quadragesima sexta ubi corrigitur domino et in quinquagesima sexta ubi scribitur castri et in quinquagesimaoctava ubi corrigitur nec preiudicare et in septuagesimaquinta ubi narratus adquirantur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmacionis et suppletionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Idus Iunii, pontificatus nostri Anno Quinto.

1027

1346 juny [..], Avinyó

Climent VI mana a l'abat del monestir de Sant Pere de Galligants, diòcesi de Girona, que porti el procés entre l'abat i el convent del monestir de Sant Pere de Besalú de l'orde de sant Benet, diòcesi de Girona, i Hug de Grau de la vila de Besalú, sobre la pesca pacíficament observada en un determinat costat del riu Fluvià d'aquesta diòcesi segons costum antiga, després de l'apel·lació davant la Seu Apostòlica.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Montserrat, Arxiu de l'Abadia, Pergamins Papals, núm. 22.
a Plica retallada. Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. abbati monasterii sancti Petri de Gallicaneu Gerundensis salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii .. abbas et conventus monasterii sancti Petri de Bisulduno ordinis sancti Benedicti Gerundensis diocesis petitione monstrarunt, quod vis piscandi et piscari faciendi pisces in certa parte fluminis Fluviani dicte diocesis ad abbatem dicti monasterii qui est pro tempore et conventum predictos de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine dinoscitur pertinere et tam dicti abbas et conventus quam predecessores eorum fuerunt in pacifica possessione vel quasi iuris piscandi et piscari faciendi pro libera voluntatis pisces in dicta parte dicti fluminis a tempore, cuius contrarii memoria non existit. Cumque olim Hugetus de Gradu de villa Bisuldunum laicus dicte diocesis predictos abbatem et conventum super huiusmodi iure piscandi et piscari faciendi pisces in dicta parte turbaret et impediret et quod in dicta parte pisces non piscaretur dictis abbati et conventui solenniter stipulantibus sub certa pena tunc expressa se solenniter obligasset et deinde in dicta parte piscatus fuisset et aliquos pisces cepisset in penam incidendo predictam et subsequenter pluribus aliis vicibus in eadem parte pisces capisset in eorundem abbatis et conventus iniuriam et contemptum, dictus abbas prefatum Huguetum petendo pronunciari se et dictos conventum et predecessores eorum fuisse et esse in possessione vel quasi piscandi et piscari faciendi pisces in dicta parte dicti fluminis tunc expressa pro libito voluntatis pacifice et quiete cumque ad legitime cavendum, ne deinceps dictos abbatem et conventum molestaret seu perturbaret in predicta possessione vel quasi et ad solvendum eis penam predictam et pro emenda iniurie et contemptus predictorum quandam aliam summam pecunie tunc expressam condempnari et compelli sibique prohiberi, ne decetero piscaretur in parte predicta coram .. officiali Gerundensi, ad quem civilium causarum cognitio que contra laicos dicte diocesis moventur pro tempore de simili consuetudine pertinet non ex delegatione apostolica traxit in causam. Dictus vero officialis cognitis ipsius cause meritis et iuris ordine observato diffinitivam pro dictis abbate et conventu sentenciam promulgavit, a qua pro parte dicti Hugeti eam unquam fore asserentis ad Terraconensem curiam loci metropoliticam extitit appellatum dictusque Hugetus fecit prefatum abbatem coram Bernardo de Albis presbitero Gerundensi cui .. officialis Terraconensis causam appellationis huiusmodi audiendam commisisse dicitur et fine debito terminandam ad iudicium evocari, dictus namque Bernardus perperam in eiusdem appellationis causa procedens sentencialiter nequiter pronunciavit per dictum Hugetum fuisse iuste et

FUNDACIÓ NOGUERA

legitime appellatum dictum abbatem in quadam summa pecunie pro expensis per dictum Hugetum in huiusmodi appellationis causa factis eidem Hugeto solvenda nichilominus condempnando, propter que pro parte dicti abbatis fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit, appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, [...] Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quinto.

1028

1346 juny 23, Vilanova d'Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de dos mil marcs d'argent, a través de Ramon Savall, ciutadà de Barcelona, missatger del rei, lliurats a favor d'aquest com a cens corresponent a l'any anterior pel feu de Sardenya i Còrsega. Al mateix temps, l'absol de les censures en les quals ha incorregut per la morositat en el pagament.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 42.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 315-316, doc. 635.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 133, doc. 1039.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum et Sardinie ac Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Petitio pro parte tua fili carissime nobis exhibita continebat, quod pro regno Sardinie et Corsice quod a nobis et ecclesia Romana sub certis vassallagio homagio ligio et fidelitatis iuramento aliisque serviciis pactis conventionibus et conditionibus in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis contentis plenius et expressis tenes in feudum, censum duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum annis singulis solvere Romano pontifici et eidem Romane ecclesie obligatus esse dinosceris et astrictus. Cum autem censum huiusmodi duarum milium marcharum pro termino festi eorundem apostolorum proximo preteriti in novem milibus octingentis triginta tribus florenis et tertia parte unius floreni auri sin-

FUNDACIÓ NOGUERA

gulis marchis pro quatuor florenis auri undecim Turonensibus grossis argenti et florenis singulis pro duodecim grossis Turonensibus argenti computatis per manus dilecti filii Ramundi Sanol civis Barchinonensis nuncii tui nostre camere duxeris die dat. presentium persolvendum. Nos volentes tuis indempnitatibus super hiis paterna diligentia providere, de dictis duabus milibus marcharum in predictis novem milibus octingentis triginta tribus florenis et tercia parte unius floreni auri, sicut expressum est superius computatis camere supradicte ratione dicti census et pro eodem termino festi apostolorum ipsorum proximo preteriti persolutis te ac heredes et successores tuos in eodem regno absolvimus tenore presentium et quitamus. Et nichilominus quia non solvendo debito tempore dictum censum tu excommunicationis sententie dictumque regnum Sardinie et Corsice interdicto ecclesiastico noscimini iuxta predictarum litterarum seriem subiacere, nos te fili dilectissime tuis devotis supplicationibus inclinati, ab eadem sententia excommunicationis absolvimus et interdictum huiusmodi relaxamus. Non intendentes propter hoc aliquid super contentis in predictis litteris innovare vel etiam immutare, sed ea potius volumus et decernimus in sui roboris efficacia stabiliter permanere.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quinto.

1029

1346 juny 26, Vilanova d'Avinyó

Climent VI comunica a la ciutat i a la diòcesi de Tortosa que nomena bisbe d'aquesta Bernat (d'Oliver), bisbe de Barcelona després de l'òbit d'Arnau (de Llordat), bisbe de Tortosa.

A Tortosa, Arxiu Històric Comarcal de les Terres de l'Ebre, Fons Ajuntament, Pergamí núm. 65.
a Butlla perduda.
b MASSIP I FONOLLOSA, *Inventari de l'arxiu històric de Tortosa*, I, p. 139, doc. 65.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Dertusensis salutem et apostolicam benedictionem. Romani pontificis quem pastor ille celestis et episcopus animarum potestatis sibi plenitudine tradita ecclesiis [pretu]lit universis plena vigiliis solicitudo requirit ut cura cuiuslibet statum ecclesie sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per sue attentionis instanciam interdum per simplicis provisionis officium [interdum] vero per ministerium translacionis accommode prout personarum locorum et temporum qualitas exigit ecclesiis singulis pastor accedat ydoneus

FUNDACIÓ NOGUERA

et rector providus deputetur, qui populum sibi commissum per [personam] suam circumspectionem providam et providenciam circumspectam salubriter dirigat et informet ac bona ecclesie sibi commisse non solum gubernet utiliter sed etiam multimodis efferat incrementis. Dudum siquidem bone memorie Arnaldo episcopo Dertusensi regimini Dertusensis ecclesie presidente, nos intendentes eidem ecclesie cum eam vacare contingeret per apostolice sedis providenciam ydoneam preesse personam provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni et ordinationi nostre duximus specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prafata ecclesia per obitum eiusdem Arnaldi qui extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris solacio destituta, dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie huiusmodi reservationis et decreti forsan ignari venerabilem fratrem nostrum Bernardum tunc Barchinonensem in Dertusensem episcopum concorditer postularunt ac deinde per dictos capitulum eidem episcopo postulacione huiusmodi presentata ipse Bernardus episcopus eidem non consenciens nec dissenciens nostris et apostolice sedis beneplacitis se commisit. Huiusmodi ergo postulationis negocio proposito in consistorio coram nobis nos postulationem ipsam utpote post et contra reservationem et decretum nostra huiusmodi attemptatam reputantes prout erat irritam et inanem ac ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos ea vice se intromittere potuerat neque poterat reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne dicta Dertusensis ecclesia longe vacationis incommodis exponeretur, paternis et solicitis studiis intendentes et cupientes eidem ecclesie talem preesse personam que sciret vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere post deliberationem quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dictum Bernardum episcopum consideratis suarum grandium et multiplicium virtutum meritis quibus personam suam dominus illustravit et quod regimini Barchinonensis ecclesie laudabiliter prefuit ac votis eorum capituli prefatum episcopum concorditer postulancium ut prefertur direximus oculos nostre mentis, intendentes itaque tam dicte ecclesie Dertusensi quam eius gregi dominico salubriter et utiliter providere eundem episcopum a vinculo, quo tenebatur, dicte Barchinonensis ecclesie cui tunc preerat, de dictorum fratrum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad prefatam Dertusensem ecclesiam transtulimus ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius Dertusensis ecclesie predicto episcopo in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque sibi dando licenciam ad prefatam Dertusensem ecclesiam

FUNDACIÓ NOGUERA

transeundi. In illo qui dat gracias et largitur premia confidentes, quod dirigente domino actus suos prefata Dertusensis ecclesia per ipsius episcopi diligencie studium fructuosum deo propicio regetur feliciter et salubriter dirigetur [ac] in eisdem spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. [Quocirca universitati vestre] per apostolica scripta mandamus, quatinus eundem Bernardum episcopum tanquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes ac debita honorificencia prosequentes eius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod ipse in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem invenisse benivolum gaudeatis.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quinto.

1030

1346 octubre 16, Avinyó

Climent VI anuncia al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que després de la mort de Pere (Seguer), bisbe d'Elna, ha nomenat electe d'aquesta diòcesi Bernat Hug (de Fenollet) de l'orde de sant Agustí, prior de Sabonèras, diòcesi de Lombèrs, doctor en decrets, i li prega que el rebi favorablement amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 43.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 316, doc. 636.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gracie divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim ecclesiarum cathedralium regimini presidentibus favore condignus et honor debitus impendatur. Nuper siquidem ecclesia Elnensis per obitum bone memorie Petri episcopi Elnensis qui curialis existens de civitate Avinionensi ubi cum Romana curia residebamus sicut adhuc residemus, causa infirmitatis sue recreationis secedens apud Senilhacum Uticensis diocesis locum utique ab eadem curia ultra duas dietas legales non distantem, in quo proprium domicilium non habebat, diem clausit extremum, pastoris solacio destituta. Nos ad provisionem ipsius ecclesie ne ex vacatione longinqua posset incurrere detrimenta solicitis studiis intendentes cum nullus preter nos ea vice de provisione ipsius ecclesie Elnensis se intromittere potuisset neque posset pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium

FUNDACIÓ NOGUERA

cathedralium ecclesiarum quorumcunque curialium peregrinationis infirmitatis aut recreationis seu alia quacumque de causa de dicta curia ad quevis loca secedentium, qui antequam ad dictam curiam redirent in locis ultra duas dietas legales ab eadem curia non remotis dummodo eorum proprium domicilium non existeret ibidem iam forsan decesserant vel imposterum contingeret eos de medio submoveri tunc vacantium et imposterum vacaturarum dispositioni et provisioni nostre duximus spetialiter reservandis, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Post deliberationem quam de preficiendo eidem Elnensi ecclesie personam utilem et etiam fructuosam habuimus cum nostris fratribus diligentem demum ad dilectum filium Bernardum Hugonis electum Elnensem priorem prioratus de Saboneriis ordinis sancti Augustini Lomberiensis diocesis decretorum doctorem in presbiteratus ordine constitutum morum gravitate decorum in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum aliisque virtutum meritis prout ex testimoniis fidedignis accepimus laudabiliter insignitum direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona ipsius Bernardi Hugonis nobis et eisdem fratribus nostris consideratione premissorum accepta prefate Elnensi ecclesie de ipsorum fratrum consilia auctoritate apostolica providimus eumque illi prefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias et largitur premia confitentes, quod eadem Elnensis ecclesia per ipsius electi providentie studium preservabitur a noxiis et adversis et spiritualibus et temporalibus proficiet incrementis. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem electum et prefatam Elnensem ecclesiam sue cure commissam habens pro nostra et apostolice sedis reverentia propensius commendatos ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem electus tue celsitudinis fultus auxilio in commisso sibi cure pastoralis officio possit deo propicio prosperari ac tibi exinde a deo perhemnis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, XVII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

FUNDACIÓ NOGUERA

1031

1346 novembre 4, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, perquè faci la pau amb el rei Jaume III de Mallorca, sobre la qual ha fet unes indicacions al missatger Ramon de Boil, cavaller i conseller seu, quan sigui de retorn a la cort.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 44.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 316-317, doc. 637.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cupientes te fili carissime domumque tuam regiam statu felici et pacifico sublatis adversitatis cuiusvis occasionibus prosperari et ad id promovendum paternis et sinceris affectibus intendentes dilecto filio nobili viro Ramundo de Boil militi consiliario tuo, cuius circumspectionis et maturitatis prudenciam ex conversatione sua laudabili probata in curia Romana novimus ab experto quedam factum reconsiliationis caritative illius tui principalis adversarii, cuius casus attenta coniunctione sanguinis et affinitatis sic propinqua mentem tuam amaricare credimus, tue regali celsitudini explicanda verbotenus providimus imponenda. Rogantes autem regalem excellenciam et in domino attentius exhortantes, quatinus prefatum militem super eis audias fidemque sibi adhibeas credulam nostrisque in hac parte caritativis monitis pie ac favorabiliter acquiescas.

Dat. Avinione, II Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

1032

1346 novembre 4, Avinyó

Climent VI prega als prelats, comtes, barons i altres consellers del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i els exhorta, que donin plena fe a Ramon de Boil, cavaller i conseller reial, i influeixin en l'ànim del rei perquè segueixi els consells que el papa li ha transmès a través d'aquell sobre l'assumpte de la pau amb el rei Jaume III de Mallorca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 45.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 317, doc. 638.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus prelatis et dilectis filiis nobilibus viris comitibus et baronibus ac aliis consiliariis carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris salutem et apostolicam benedictionem. Paterne caritatis et dilectionis affectu quo carissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Aragonum illustrem prosequimur, desiderabiliter affectantes regem ipsum domumque suam regiam statu felici et pacifico sublatis cuiusvis adversitatis occasionibus prosperari et ad id promovendum paternis et sinceris affectibus intendentes dilecto filio nobili viro Ramundo de Boil militi consiliario regio, cuius circumspectionis et maturitatis prudenciam ex sua conversatione laudabili probata in curia Romana novimus ab experto quedam factum reconciliationis caritative illius principalis adversarii dicti regis, cuius casus attenta sanguinis et affinitatis propinqua connexitate amantat, sicut credimus, mentem suam imposuimus prefato regi et vobis seriosius explicanda rogando et hortando paternis affectibus regem ipsum, ut prefatum militem benigne super eis audiat fidemque sibi credulam adhibeat et nostris in hac parte monitis de radice caritatis prodeuntibus pie ac favorabiliter acquiescat. Quocirca universitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatinus eidem militi adhibentes fidem credulam super hiis memoratoque regi que circa premissa benignitatis et caritatis suisque fame saluti et honori expediencia fuerint, vestris sanis consiliis suadentes ut huiusmodi nostris obtemperet exhortationibus salubribus velitis operosis affectibus interponere partes vestras.

Dat. Avinione, II Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Quinto.

1033

1346 novembre 20, Avinyó

Climent VI recomana al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) Gaufred, bisbe electe de Tarassona, sotsdiaca, canonge de Sant Gaugeric de Cambrai i la seva església. La vacant es produí pel trasllat del seu antecessor Sanç (López d'Ayerbe) a la seu arquebisbal de Tarragona.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 46.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 317, doc. 639.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Apud eterni regis clementiam eterne retributionis premium et apud homines preconium tibi laudis acquiris si personas ecclesiasti-

FUNDACIÓ NOGUERA

cas presertim que pontificali preminent dignitate in tuo regno regia protectione confoveas et favore benivolo prosequaris, nosque ad id celsitudinem regiam apostolicis exhortacionibus eo libentius excitamus quo magis illam in operum executione bonorum speramus promptam et facilem invenire. Nuper siquidem ex eo vacante Tirasonensi ecclesia quod nos venerabilem fratrem nostrum Sancium episcopum tunc Tirasonensem in archiepiscopum Terraconensem electum licet absentem a vinculo quo tenebatur eidem ecclesie Tirasonensi, cui tunc preerat, de fratrum nostrorum consilio et plenitudine apostolice potestatis absolventes ipsum ad Terraconensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum preficiendo eum dicte Terraconensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem. Nos volentes eidem Tirasonensi ecclesie ne dispendia prolixe vacationis incurreret paterna solicitudine precavere, cum nullus preter nos ea vice de ipsius ecclesie Tirasonensis ordinatione se intromittere posset, pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi eiusdem ecclesie Tirasonensis omnes ecclesias cathedrales tunc vacantes et vacaturas inantea per translationes per nos factas et imposterum faciendas, de prelatis earum ubilibet constitutis ad alias ecclesias tunc vacantes et inantea vacaturas ordinationi et dispositioni nostre duximus specialiter reservandas, decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac ad provisionem ipsius ecclesie Tirasonensis celerem et felicem solicitis studiis intendentes et cupientes eidem Tirasonensi ecclesie talem preesse personam, qui sciret vellet et posset eam in suis conservare iuribus et etiam adaugere, post deliberationem quam super hiis cum eisdem fratribus habuimus diligentem demum ad dilectum filium Gofridum electum Tirasonensem prepositum ecclesie sancti Gaugerici Cameracensis in subdiaconatus ordine constitutum litterarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum ac aliis virtutum donis prout ex fidedignorum testimoniis percepimus laudabiliter insignitum, direximus oculos nostre mentis, intendentes igitur tam dicte ecclesie Tirasonensi quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, de persona eiusdem Gofridi nobis et dictis fratribus ob premissorum suorum exigenciam meritorum accepta eidem Tirasonensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus eumque illi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius dicto Gofrido in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis ex laudabilibus eiusdem Gofridi electi fructibus studiorum, quod gratia sibi assistente et cooperante divina eadem Tirasonensis ecclesia sub umbra dicti Gofridi electi nominis gubernabitur regetur et dirigetur solicite fideliter et prudenter augmentaque

FUNDACIÓ NOGUERA

suscipiet commodi et honoris. Quocirca sinceritatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem electum Tirasonensem una cum ecclesia suo commissa regimini habens pro divina apostolice sedis et nostra reverentia propensius commendatos, eidem electo exhibens te regio favore benivolum et in oportunitatibus gratiosum, ita quod idem electus per auxilium gratie tue in commisso sibi ecclesie prefate Tirasonensis regimine utilius proficere valeat tuque proinde felicitatis eterne premia consequens ac nos eciam celsitudinem regiam condignis possimus in domino laudibus commendare.

Dat. Avinione, XII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Quinto.

1034

1347 gener 15, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, a petició del mestre i dels frares de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, que els restitueixi els castells de Montsó, Torrent i la resta de fortificacions de la castellania d'Amposta i priorat de Catalunya, les quals ocupa i reté contra tot dret, instigat per Ferran d'Aragó, frare d'aquest orde al castell de Montsó de la castellania d'Amposta.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 47.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 318, doc. 640a.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 164, doc. 1301.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pro parte dilectorum filiorum .. magistri et fratrum Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani nuper expositum extitit coram nobis, quod procurante ut asseritur teque fili carissime instigante dilecto filio Fernando de Aragonia fratre hospitalis predicti castrum Montissoni castellanie Emposte cum mero et mixto imperio et omnimoda iurisdictione pertinens ad hospitale predictum necnon totam iurisdictionem ac proventus et redditus dicti castri et insuper de Torreno et alia castra omnia et fortalicia prioratus Catalonie tam castellanie quam prioratus predictorum cum iurisdictionibus fructibus et redditibus eorundem ad hospitale spectantia supradictum absque causa rationabili occupari fecisti et facis occupata in eorundem magistri et fratrum grande preiudicium detineri. Cum autem fili dilectissime, si

FUNDACIÓ NOGUERA

gesta progenitorum tuorum laudabilia, qui erga deum et ecclesiam sanctam suam sincere devotionis zelo ferventes ecclesias et personas ac libertates ecclesiasticas non solum manutenere ac defendere, sed etiam ampliare consueverunt diligenter attenderis tuis honoribus non congruat nec tue salutis expediat anime magistrum et fratres predictos ac hospitale in suis bonis et iuribus molestare vel contra iustitiam quomodolibet impedire regiam exellentiam rogamus attentius et in domino exhortamur, quatinus si quod de occupatione ac detentione castrorum fortaliciorum iurisdictionum fructuum et reddituum predictorum expressum est superius veritate fulcitur, pro divina et apostolice sedis nostraque reverentia fratres et gentes hospitalis predicti pro gubernatione castrorum fortaliciorum et aliorum predictorum bonorum ad dictum hospitale spectantium in illis partibus existentes seu deputatas habendo propensius commendatas premissa eisdem libere restitui facias molestationes indebitas eis de cetero non permissurus inferri.

Dat. Avinione, XVIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Quinto.

1035

1347 gener 15, Avinyó

Climent VI prega a Hug (de Fenollet), bisbe de Vic, i l'exhorta, que intercedeixi davant el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), a petició del mestre i dels frares de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem, per tal que els restitueixi els castells de Montsó, Torrent i altres fortificacions de la castellania d'Amposta i priorat de Catalunya, les quals ocupa i reté contra tot dret, instigat per Ferran d'Aragó, frare d'aquest orde al castell de Montsó de la castellania d'Amposta.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 48.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 318, doc. 640b.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Hugoni episcopo Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Pro parte dilectorum filiorum .. magistri et fratrum Hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani nuper expositum extitit coram nobis, quod procurante ut asseritur carissimoque in Christo filio nostro Petro rege Aragonum illustri instigante dilecto filio Fernando de Aragonia fratre hospitalis predicti castrum Montissoni castellanie Emposte cum mero et mixto imperio et omnimoda iurisdictione pertinens ad hospitale

FUNDACIÓ NOGUERA

predictum necnon totam iurisdictionem ac proventus et redditus dicti castri et insuper de Torreno et alia castra omnia et fortalicia prioratus Catalonie tam castellanie quam prioratus predictorum cum iurisdictionibus fructibus et redditibus eorundem ad hospitale spectantia supradictum absque causa rationabili idem rex occupari fecit et facit occupata in eorundem magistri et fratrum grande preiudicium detineri. Cum autem idem rex si gesta progenitorum suorum laudabilia, qui erga deum et ecclesiam sanctam suam sincere devotionis zelo ferventes ecclesias et personas ac libertates ecclesiasticas non solum manutenere ac defendere, sed etiam ampliare consueverunt diligenter attenderit suis honoribus non congruat nec sue salutis expediat anime magistrum et fratres predictos ac hospitale in suis bonis et iuribus molestare vel contra iustitiam quomodolibet impedire. Nos eundem regem per litteras nostras rogamus et hortamur attente, ut si quod de occupatione ac detentione castrorum fortalitiorum iurisdictionum fructuum et reddituum predictorum expressum est superius veritati fulcitur pro divina et apostolice sedis nostraque reverentia, fratres et gentes hospitalis predicti pro gubernatione castrorum fortaliciorum et aliorum predictorum bonorum ad dictum hospitale spectantiam in illis partibus existentes seu deputatas habendo propensius commendatas premissa eisdem libere restitui faciat molestationes indebitas eis de cetero non permissurus inferri. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus litteras predictas quas prefato regi super premissis dirigimus eidem presentans, ut nostris in hac parte precibus utique iustis et salubribus acqiescat efficaciter interponere studeas partes tuas.

Dat. Avinione, XVIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Quinto.

1036

1347 gener 29, Avinyó

Climent VI recomana al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) l'arquebisbe Guillem (d'Aigrefeuille), electe de Saragossa, notari i familiar seu. La vacant es produí pel trasllat del seu antecessor Pere (de la Jugie) de l'orde de sant Benet a la seu de Narbona.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 49.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 318, doc. 641.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 165, doc. 1307.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper ecclesia Cesaraugustana ex eo vacante quod nos venerabilem fratrem nostrum Petrum Narbonensem tunc Cesaraugustanum archiepiscopum ad ecclesiam Narbonensem tunc vacantem de fratrum nostrorum consilio duximus transferendum, nos de persona dilecti filii Guil(e)lmi electi Cesaraugustani notarii et familiaris nostri nobisque consanguinitate coniuncti ad magnam eorundem fratrum instanciam et de ipsorum consilio eidem ecclesie Cesaraugustane providimus ipsius preficiendo ecclesie prefate in archiepiscopum et pastorem. Cum autem idem electus ministros et procuratores suos cum litteris provisionis predicte ad ecclesiam memoratam providerit destinandos, magnificenciam regiam attentius deprecamur, quatinus prenominatos electum et ecclesiam habens regalis sublimitas pro divina et nostra sedisque apostolice reverentia favore regio commendatos dictos ministros et procuratores velit benigne recipere ipsisque assistere ac per gentes et officiales regios assisti facere favoribus oportunis, ita quod nos et sedes predicta proinde commendare celsitudinem regiam cum graciarum actionibus merito debeamus.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Quinto.

1037

1347 febrer 7, Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó, Sardenya i Còrsega (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de dos mil marcs d'argent, a través d'Arnau de Bastida, ciutadà de Barcelona, familiar i procurador reial, lliurats a favor d'aquest com a cens corresponent a l'any anterior pel feu de Sardenya i Còrsega. Al mateix temps, l'absol de l'excomunió en la qual ha incorregut per la morositat en el pagament.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 50.

a Butlla amb fil de cànem.

b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 318-319, doc. 642.

c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, p. 302, doc. 3107.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum ac Sardinie et Corsice illustri salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis tue petitionis series continebat, quod pro regno Sardinie ac Corsice quod a nobis et ecclesia

FUNDACIÓ NOGUERA

Romana sub certis vassallagio homagio ligio et fidelitatis iuramento aliisque serviciis pactis conventionibus et conditionibus in litteris apostolicis super concessione dicti regni confectis contentis plenius et expressis tenes in feudum, censum duarum milium marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum in festo beatorum apostolorum Petri et Pauli annis singulis solvere Romano pontifici et eidem Romane ecclesie obligatus esse dinosceris et astrictus. Cum autem censum huiusmodi duarum milium marcharum pro termino festi eorundem apostolorum proximo preteriti in novem milibus sexcentis sexaginta sex florenis auri et octo Turonensibus grossis argenti singulis marchis pro quatuor florenis auri et decem Turonensibus grossis argenti et singulis florenis pro duodecim Turonensibus grossis argenti computatis per manus dilecti filii Arnaldi de Bastida civis Barchinonensis tuique familiaris nostre camere duxeris die dat. presentium persolvendum. Nos volentes tuis indempnitatibus super hiis providere, de dictis duabus milibus marchis in predictis novem milibus sexcentis sexaginta sex florenis auri et octo Turonensibus grossis, sicut expressum est, superius computatis camere supradicte ratione dicti census et pro eodem termino festi apostolorum ipsorum proximo preteriti persolutis te, fili carissime, ac heredes et successores tuos in eodem regno absolvimus tenore presentium et quitamus. Et nichilominus quia non solvendo debito tempore dictum censum tu iuxta predictarum litterarum seriem excommunicationis sentenciam incurristi, nos te tuis devotis supplicationibus inclinati ab eadem excommunicationis sentencia duximus absolvendum. Non intendentes propter hoc aliquid super contentis in predictis litteris innovare vel immutare, sed ea pocius volumus et decernimus stabiliter in sui roboris efficacia perdurare.

Dat. Avinione, VII Idus Februarii, pontificatus nostri anno Quinto.

1038

1347 maig 19, Avinyó

Climent VI dóna el condol al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) per la mort de la seva muller, la reina Maria d'Aragó.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 51.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 319, doc. 643.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quanto te fili carissime domumque tuam inclitam maioris

FUNDACIÓ NOGUERA

dilectionis caritate prosequimur et amplioribus comodis et honoribus ferventioribus cupimus desideriis prosperari, tanto gravius super tuis anxiis adversitatibus anxiamur. Sane licet rumores, qui datum tibi puerum ad nos pertulerant immensi gaudii rore perfuderint intima cordis nostri, adversi tamen alii subito venientes et dolorosis vocibus nunciantes non solum puerum ipsum sed etiam matrem eius, videlicet clare memorie Mariam reginam Aragonum consortem tuam forte conditionis humane ab hac luce subtractos subito in luctum citatam et in dolorem gaudium converterunt ac nobis qui reginam eandem tanquam devotam ecclesie filiam necnon tue domus inclite suique prosapie consideratione generis paterne caritatis et dilectionis prosequebamur affectibus amaricationis non modice materiam ministraverunt in interioribus mentis nostre. Verum fili dilectissime si divina potentia clementer semper operans et flagella super illos quos diligit frequenter immittens et ut probet an per virtutem patientie sint filii tangens eos te plaga huiusmodi percurrerit et afflixerit in hac parte pacienter absque murmure immo cum graciarum actionibus interiores et exteriores affectus dispositioni voluntatis divine coaptando in omnibus, ea studeas quesumus tanquam princeps deo devotus virtuosus et magnanimus supportare, in eo qui percutit voluerat et medetur devota figens fiducia super tuis adversitatibus, cum non sit abreviata manus sue benignitas anchoram spei tue prefate namque regine suum transitum felicem fuisse credimus, cum bene sicut intelleximus, statuerit vivere et sic non potuit male mori. Quamobrem si vis doloris quem indicit humane conditionis fragilitas valeret penitus imperio subici rationis esset eidem a caris suis super huiusmodi suo transitu proculdubio congaudendum pocius quam dolendum. Ideoque amantissime fili super omnibus in eo qui totius consolationis pater esse noscitur consoleres de nobis certam fiduciam habiturus, quod in hiis que tuum honorem et commodum respicerent propicios quantum cum deo poterimus reperies et benignos.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Sexto.

1039

1347 maig 27, Avinyó

Climent VI dispensa el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) de l'impediment de consanguinitat o afinitat en tercer grau, d'una banda, i en aquest mateix grau o en un altre més llunyà, de l'altra, per contraure matrimoni amb la princesa Elionor de Portugal.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 52.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 319, doc. 644.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 177, doc. 1397.

CLEMENS VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petri regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Copiosa sedis apostolice benignitas sua circumspecta prudentia status et conditiones singulorum diligenter attendens personis sanguinis claritate sublimibus deo et sibi fidelibus et devotis, nonnulla quandoque rigorem etiam canonum temperando mansuetudine graciose, prout in deo conspicit expedire concedit, que per ipsam aliis merito denegantur. Sane tua nobis exhibita petitio continebat, quod tu fili carissime dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Alienoram natam carissimi in Christo filii nostri Alfonsi regis Portugalie illustris tibi matrimonialiter ad hoc regis eiusdem intervenientibus beneplacito et consensu copulare proponis, sed quia id ex eo fieri licite absque dispensatione sedis eiusdem non valet, quod eadem Alienora tibi ex una parte in tertio et ex alia forsan in tertio vel ulteriori consanguinitatis vel affinitatis gradu vel gradibus attinet, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi et eidem Alienore de oportune dispensationis gracia super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui te paterne dilectionis favore prosequimur speciali domumque tuam inclitam fecunditate numerose prolis ad laudem divini nominis et utilitatem rei publice desiderantes fulciri, supplicationi huiusmodi benignius inclinati, ut impedimentis ex gradu seu gradibus consanguinitatis vel affinitatis huiusmodi provenientibus et constitutionibus quibusvis contrariis nequaquam obstantibus inter te ac ipsam Alienoram matrimonium licite possit contrahi auctoritate apostolica tecum et cum eadem Alienora tenore presentium de speciali gracia dispensamus, prolem exinde suscipiendam legitimam nichilominus nunciantes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VI Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Sexto.

1040

1347 juliol 5, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, a precs de l'arquebisbe Antoni (d'Alexandria) de Hierápolis (Àsia Menor),

FUNDACIÓ NOGUERA

que obligui el seu company d'ambaixada, Pere de Mitjavila, ciutadà de Barcelona, mercader, enviat al soldà de Babilònia amb una nau de mercaderies, perquè inverteixi els guanys en la reparació d'alguna part dels llocs sants, com el Sant Sepulcre i Montesió, també a restituir els guanys que contra tot dret va fer seus i a donar digna satisfacció a les ofenses inferides de paraula a l'arquebisbe Antoni (d'Alexandria).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 53.
a Butlla perduda.
b DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 182-183, doc. 1426.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 320, doc. 645.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Nuper venerabilis frater noster Antonius archiepiscopus Ierapolitanus nobis exponere procuravit, quod nos tua fili carissime petitione percepta, te ad reparationem quorundam locorum sacrorum Sepulcri videlicet Dominici et montis Syon sinceram devotionem et desiderium intensum gerebas, tue petitioni circa hec benignius inclinati, ut unam navem possis transmittere ad terras quas tenet Soldanus Babilonie tibi licenciam in forma solita duximus concedendam, nichilominus intendentes quod illud quod de iusto lucro ex eadem navi posset haberi converteretur in opus reparationis predicte, ad quod etiam tua intentio sicut intelleximus totaliter ferebatur. Et licet tu fili dilectissime volens tuam piam intentionem huiusmodi producere in effectum prefatum archiepiscopum et dilectum filium Petrum de Mediavilla civem Barchinonensem nuncios et ambassiatores tuos ad eundem Soldanum et terras illas ut opus perficeretur huiusmodi provideris destinandos ut eiusdem archiepiscopi assercio subiungebat, tamen civis predictus certa pacta cum ipso archiepiscopo habita pro dicto reparationis opere utilius faciendo non servans, sed contra illa veniens impudenter ac sua temeritate prefato archiepiscopo non deferendo, ut deberet, pontificali dignitati, multas inferens iniurias et offensas dictam navem et quicquid honoris et lucri exinde acquirere, tanquam mercator cupidus, potuit sibi applicare curavit, nichil penitus in opus reparationis convertendo predicte nec permittendo per archiepiscopum memoratum converti. Quocirca regiam excellenciam rogamus et hortamur attente, quatinus si sit ita tam operi reparationis predicte quam dicto archiepiscopo de ac super predictis faciat per eundem civem sic debitam satisfactionem impendi, quod sincera tue intentionis in hac parte devotio suo non frustretur effectu et eidem archiepiscopo iusticia tribuatur.

Dat. Avinione, III Nonas Iulii, pontificatus nostri anno Sexto.

1041

1347 octubre 24, Avinyó

Climent VI mana a Jaume de Santcliment, Berenguer de Llers i Pere d'Averçó, canonges de Vic, que decideixin l'apel·lació feta a la cúria metropolitana de Tarragona pels ciutadans d'Alcanó, diòcesi de Lleida, contra la sentència de l'oficial de Lleida, sobre la causa entre Pere de Sanaüja, senyor d'Alcanó, i els ciutadans d'aquest lloc; els encareix a no dictar cap censura eclesiàstica sense manament de la Seu Apostòlica.

A Lleida, Arxiu Capitular, LP_03856.
a Butlla amb fil de cànem.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis Iacobo de Sanctoclemente et Berengario de Lercio ac Petro de Avenco canonicis Vicensibus salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii universitas loci de Alcano Ilerdensis diocesis peticione monstrarunt, quod licet ipsi ad prestandum domino dicti loci qui est protempore certa iura Questia Bacuda Iona et Cragina vulgariter appellata minime tenerentur de consuetudine vel de iure, quia tamen quondam Petrus de Sanahugia dominus dicti loci de Alcano dum viveret huiusmodi iura ab eisdem universitate contra iusticiam per violentiam exegerat dictusque Petrus condens in sua voluntate ultima testamentum in eodem testamento omnibus quibus in aliquo tenebatur satisfieri et omnia forefacta per eum emendari de bonis suis preceperat per manus Raymundi de Panes presbiteri, Francisci Çasala, Petri Despens et Raymundi Ianuarii civium Ilerdensium, quos executores predicti constituerat testamenti, dictique executores eisdem universitati de dictis iuribus sic exactis satisfacere indebite denegabant, quamquam ad id bona sufficerent supradicta prefati universitas eosdem executores super hoc petendo dictos executores ad restituendum eisdem certam summam pecunie tunc expressam pro huiusmodi iuribus per dictum Petrum ab eis indebite exactis condempnari et compelli coram .. officiali Ilerdensi non ex delegatione apostolica traxerunt in causam, et postquam aliquamdiu coram eodem officiali inter dictas partes in eadem causa processum fuerat, ex parte dictorum universitatis sentientium ab eodem officiali indebite se gravari ad Terraconensem curiam loci metropoliticam extitit appellatum, quorum appellationi dictus officialis detulit reverenter, dictique universitas fecerunt eosdem executores in causa appellationis huiusmodi coram .. officiali eiusdem curie ad iudicium evocari, dictique executores ex quodam conficto sufficienti gravamine eis a predicto officiali eiusdem curie postquam aliquamdiu coram ipso in dicta appellationis causa processum fuerat

FUNDACIÓ NOGUERA

ut falso dicebant illato ad sedem apostolicam appellantes et falso confingentes, quod dominus dicti loci de Alcano, qui erat protempore ab hominibus eiusdem loci prefata iura de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine debebat percipere et habere super eorum appellatione huiusmodi nostras ad .. priorem ut dicebant monasterii sancti Rufi extra muros Ilerdenses per priorem soliti gubernari sub certa forma litteras impetrarunt dictosque universitatem fecerunt in causa huiusmodi appellationis ipsorum coram Berengario de Corallio canonico Ilerdensi, cui prefatus prior commiserat super hoc totaliter vices suas pretextu litterarum et commissionis huiusmodi ad iudicium evocari, ex parte vero predictorum universitatis fuit coram eodem canonico excipiendo propositum, quod cum locus sancti Rufi extra muros Ilerdenses non monasterium sed dumtaxat prioratus non conventualis existeret, prout notorium existebat et alias erant legitime probare parati, prefatus prior per litteras ipsas per veri suppressionem et falsi suggestionem obtentas, vices huiusmodi predicto canonico de iure nequiverat commisisse, dictusque canonicus earundem litterarum et commissionis pretextu de causa huiusmodi de iure cognoscere non valebat et quia predictus canonicus eos super hoc audire contra iusticiam denegavit, pro parte dictorum universitatis exinde sentientium indebite se gravari ad dictam sedem extitit appellatum. Quocirca discretioni vestre de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Sexto.

1042

1347 desembre 17, Avinyó

Climent VI dispensa el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), a petició del bisbe de Mallorca (Berenguer Batlle) i del seu capítol, de l'observança del jurament que va fer de deixar sense efecte el pacte convingut entre Sanç de Mallorca i els seus súbdits de no retirar el gra de les eres fins transcorreguts dos dies, a fi de donar temps que passés el col·lector de la dècima dels béns eclesiàstics.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 54.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 320, doc. 646.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 204, doc. 1549.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sicut ex iniuncto nobis desuper apostolice servitutis officio ecclesiarum omnium intendere commodis sic dispendiis obviare tenemur. Sane venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum capituli Maioricensium nobis exhibita petitio continebat, quod licet dudum inter ecclesiam Maioricensem et clare memorie Sanctium regem Maioricarum tunc in humanis agentem super decimarum perceptione certum pariagium initum extitisset ac subsequenter eodem Sanctio sublato de medio successor eius immediatus rex Maioricarum regio edicto proposito inhibuisset expresse, ne aliquis incolarum regni Maioricarum blada seu frumenta presumeret levare de areis donec decimarii deputati ad decimas colligendas vocati et per biduum expectati fuissent. Tu tamen huiusmodi forma pariagii non attenta eisdem incolis indulsisti, quod decetero frumenta et blada quelibet levare de areis et reponere in orreis impune ac libere valeant decimario aliquo non vocato nec etiam expectato, quod contra indultum huiusmodi nullo unquam venires tempore iuramento proprio te astringens. Cupientes igitur earundem ecclesiarum in hac parte indempnitatibus providere ac attendentes, quod iuramenti religio iniquitatis vinculum esse non debet eorundem capituli supplicationibus inclinati, huiusmodi iuramentum auctoritate apostolica relaxamus ad cautelam te ab illius observantia nichilominus absolventes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre relaxationis et absolutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XVI Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Sexto.

1043

1348 gener 21, Avinyó

Climent VI prega i implora al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que inclini el seu ànim de pau i segueixi els consells de l'abat Guiu, del monestir de Santa Maria d'Amer de l'orde de sant Benet, diòcesi de Girona, enviat seu, amb motiu de les grans revoltes a València.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 45, núm. 55.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 321, doc. 647.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 206, doc. 1567.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quanquam fili carissime pacis auctor omnipotenti virtute sua pravos inimici hominis conatus elidens pestilentem illam periculosamque discordiam in regno tuo Aragonum dispendiose subortam absorbuerit et desiderate pacis instauraverit tranquillitatem et fructus. Idem tamen inimicus homo pacis hostis dolens in huiusmodi sublata discordia et reformata concordia se confusum ac tibi et regno tuo invidens pacis bonum sicut displicens nobis insinuatio plurium patefecit machinamenta preparare non desinit, sed conatus suos erigens studia intendit et artes, per que dicti regni tui statum pacificum omnino subvertat et dispendia recidive discordie reinducat, qui usque adeo prevaluisse dicitur in concepta malicia, quod inter te ex parte una et nonnullos subditos tuos civitatis et regni Valencie ex altera ac inter ipsos subditos tuos invicem orta est gravis nimium et dampnosa dissensio gravia, nisi per oportuna remedia celeriter occuratur tibi et domui tue regie ac eidem regno dispendia paritura. Propter quod nos qui tuam et dicti regni quietem ferventibus desideriis affectamus, ad dissensionis huiusmodi summovenda incomoda et pacis bonum, quod in se bona continet universa, inter te dictosque subditos prestante domino instaurandum favorabiliter intendentes dilectum filium Guidonem abbatem monasterii Ameriensis ordinis sancti Benedicti Gerundensis diocesis apostolice sedis nuncium honoris et status tui et dicti regni sicut experimento cognovimus sincerum et fervidum zelatorem ad te dictumque regnum sub spe divini auxilii et favoris providimus destinandum. Quocirca serenitatem tuam attente rogamus paternis tibi et sinceris affectibus suadentes, quatinus prudenter attendens pericula et discrimina gravia que dissensionum et commotionum calamitas inducere consuevit divine propitiationis intuitu et nostre interventionis obtentu ac tui etiam consideratione honoris animum tuum ad concordiam et pacem habilites et circa eam prefati abbatis salutaribus monitis et inductionibus acquiescens, que tibi super hiis pro parte nostra retulerit credas indubie illaque ad grate prosecutionis effectum, sicut de tua serenitate confidimus, cum omni celeritate perducas.

Dat. Avinione, XII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Sexto.

FUNDACIÓ NOGUERA

1044

1348 febrer 11, Avinyó

Climent VI mana al prior de Sant Pau del Camp extramurs de Barcelona i als canonges de Barcelona Vicenç de Palmerola i Pere Comte que decideixin sobre la querella de Guillema, vídua de Jaume d'Adarró, laics de Barcelona, sobre la seva herència després de l'òbit del seu espòs.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-221.
a Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. priori sancti Pauli de Campo extra muros Barchinonenses et Vincentio de Palmerola ac Petro Comitis canonicis Barchinonensibus salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecta in Christo filia Guillelma relicta quondam Iacobi de Aderrone laici vidua Barchinonensis petitione monstravit quod tam ex concessione per clare memorie Petrum regem Aragonum dominum civitatis Barchinonensis universitati dicte civitatis specialiter in hac parte facta quam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine est obtentum quod cum vir uxori premoritur eadem uxor donationem propter nupcias sponsalicium appellatam a dicto viro sibi factam lucratur et donec de dote per eum dicto viro data et donatione propter nupcias sibi ab eodem viro facta fuerit satisfactionem integre omnia bona que fuerant dicti viri tenere et possidere potest et debet et eorundem bonorum fructus facere suos et hec omnia in dicta civitate Barchinonensi fuerunt pacifice observata a tempore concessionis huiusmodi et cuius contrarii memoria non existit, et quod licet olim Constantia soror ipsius Iacobi mulier Barchinonensis primo in terciodecimo et deinde in sextodecimo sue etatis anno vel circa constituta deliberate ad transactionem et divisionem bonorum que fuerunt tam patris et matris quam avi et avie ac aliorum sanguine coniunctorum eorundem Constantie et Iacobi, quibus ipsi successerant cum dicto Iacobo deveniens partem de dictis bonis tam nomine hereditario et legitime debite iure nature quam quorumcunque legatorum per predictos patrem et matrem et avum ac aviam et alios coniunctos communiter vel divisim ipsi factorum et eam contingentem et alia iura omnia sibi in ipsis bonis competentia eidem Iacobo omni dolo et fraude cessantibus et intervenientibus amicis communibus irrevocabiliter inter vivos donavisset et super eis legitime transegisset eaque totaliter transtulisset in eum recepta ab eodem Iacobo propter hoc quadam non modica summa pecunie et de non veniendo contra donationem transactionem et translationem huiusmodi prestitis ab eadem Constantia corporaliter iuramentis et confectis exinde quibusdam publicis instrumentis dictusque Iacobus omnia bona predicta dum vixit per multos annos tenuisset et posse-

FUNDACIÓ NOGUERA

disset et tempore mortis sue teneret et possideret pacifice et quiete ipsaque Guilelma vidua dicto Iacobo viro suo sublato de medio predicta bona pro dote sua quam tempore contractus matrimonii inter eam et dictum Iacobum eidem Iacobo dederat et donatione propter nupcias a dicto Iacobo sibi facta iuxta concessionem et consuetudines predictas legitime apprehendisset eaque aliquamdiu tenuisset et possedisset ac teneret et possideret pacifice et quiete nec de dictis dote et donatione sibi satisfactum esset prout nec est postmodum tamen prefata Constantia falso referente .. offitiali Barchinonensi se tempore facte donationis transactionis et translationis ac prestitorum iuramentorum huiusmodi minorem duodecim annis extitisse et propter hoc ad observantiam huiusmodi iuramentorum non teneri ac petente se a dictis iuramentis absolvi, prefatus offitialis auctoritate ut dicebat a venerabili fratre nostro Bernardo Dertusensi tunc Barchinonensi episcopo sibi spetialiter in hac parte commissa ad falsam relationem huiusmodi ex arrupto nulla super dictis relatis cognitione prehabita quamquam sibi de relatis eisdem aliquatenus non constaret prout nec constare poterat, cum ipsa non esset notoria neque vera dictaque Guillelma non vocata sed absente non per contumaciam omnia iuramenta per eandem Constantiam in huiusmodi donatione transactione translatione et eorum occasione prestita ad cautelam ut dicitur relaxavit et eam ab eis absolvit, ut ipsis non obstantibus posset petere in dictis bonis iura ei ut dicebat competentia contra dicta bona tenentes, propter quod pro parte dicte Guillelme quamprimum huiusmodi relaxatio et absolutio iuramentorum predictorum ad eius noticiam pervenerunt exinde sencientis indebite se gravari, fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gracia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, III Idus Februarii, pontificatus nostri Anno Sexto.

1045

1348 juny 12, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que cregui el noble Just de Miravet, batlle del regne de València, conseller seu, a qui ha

FUNDACIÓ NOGUERA

encarregat una missió especial que afecta el seu honor reial i els seus regnes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 56.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 321, doc. 648.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 223, doc. 1669.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum dilecto filio nobili viro Iusto de Miraveto baiulo regni Valentie consiliario tuo aliqua honorem et statum tuum et domus tue regie attente concernentia referenda tibi per eum oretenus duxerimus imponenda, serenitatem tuam attente rogantes, quatinus ipsius Iusti pro parte nostra relatibus super hiis cum grate satisfactionis effectu fidem credulam adhibere serenitas ipsa velit.

Dat. Avinione, II Idus Iunii, pontificatus nostri anno Septimo.

1046

1348 juny 18, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), a precs dels conversos cistercencs, Ramon Galceran del monestir de Fontfreda, i de Ferran Ramon, del monestir de Valmagna, diòcesis de Narbona i d'Agde, que permeti la sortida de dues cavalcadures que els envia l'abat Joan del monestir de Fitero d'aquest orde, diòcesi de Tarragona, retingudes pels seus oficials a Girona.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 57.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, II, p. 480, doc. 3903.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 321-322, doc. 649.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilectorum filiorum Raymundi Gaucerandi Fontisfrigidi et Bernardi Raymundi Vallismagne monasteriorum conversorum Cisterciensis ordinis Narbonensis et Agathensis diocesium litterarum nostrarum bullatorum habet expositio facta nobis, quod cum dilectus filius Iohannes abbas monasterii de Fitera dicti ordinis Terraconensis diocesis duos equos eis pro equitatura ipsorum transmitteret, fuerunt Gerunde per gentes tuas regias arrestati. Quocirca serenitatem tuam attente rogamus, qua-

FUNDACIÓ NOGUERA

tinus equos ipsos nostre interventionis obtentu dearrestari mandare et extrahi de regno tuo serenitas ipsa velit.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Septimo.

1047

1348 setembre 3, Avinyó

Climent VI anuncia al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que després de l'òbit de Gonçal (Zapata), bisbe d'Osca, ha nomenat Pere (de Clasquerí), ardiaca de Barcelona i doctor en lleis, com a electe d'Osca. Li prega que el rebi favorablement, juntament amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 58.
a Butlla reaprofitada amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 322, doc. 650.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. In amore virtutum et illarum operibus circa ecclesias et earum ministros presertim pontificali dignitate preditos favorabiliter exercendis decet celsitudinem regiam se habere continue studiosam, cum ex hoc ei proculdubio benedictionis divine premium et humane laudis preconium acquiratur. Dudum siquidem bone memorie Gundissalvo episcopo Oscensi regimini Oscenis ecclesie presidente nos intendentes eidem ecclesie cum vacaret per apostolice sedis providentiam ydoneam presidere personam provisionem ipsius ecclesie dispositioni nostre ea vice duximus spetialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum eiusdem Gundissalvi qui in partibus illis diem clausit extremum, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos ea vice se intromittere poterat, reservatione et decreto huiusmodi obsistentibus ne ipsa Oscensis ecclesia longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes post deliberationem quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem ac etiam fructuosam que sciret vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum fratrem Petrum electum Oscensem archidiaconum Barchinonensem in sacerdotio constitutum legum doctorem vite ac morum honestate decorum in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum

FUNDACIÓ NOGUERA

ac aliis multiplicium virtutum meritis insignitum prout sibi apud nos fidedigna testimonia perhibentur intuitum direximus nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona dicti Petri eidem Oscensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus eundemque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie Oscensis dicto Petro electo tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias et largitur premia confidentes, quod eadem Oscensis ecclesia sub suo felici regimine gratia sibi assistente divina prospere dirigetur et salubria suscipiet incrementa. Cum igitur ut idem electus in exercenda dicte ecclesie administratione facilius proficere valeat, favor tuus sibi esse noscatur plurimum oportunus, celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem electum et commissam sibi ecclesiam habens pro apostolice sedis reverentia atque nostra propensius commendatos in ampliandis et conservandis iuribus suis te reddas in ipsis favorabilem et in cunctis oportunitatibus gratiosum. Ita quod idem electus tue celsitudinis fultus auxilio in executione commissi ecclesie predicte regiminis possit deo propitio prosperari ac tibi exinde a deo perennis vite retributio et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, III Nonas Septembris, pontificatus nostri anno Septimo.

1048

1348 novembre 8, Avinyó

Climent VI dispensa Bernat de Llers, canonge de Vic, del seu "defectus natalium", per promoure's en tots els ordes i poder rebre i retindre diverses canongies i prebendes.

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 37-6-53.
a Butlla amb fil de seda.

CLEMENS VI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Bernardo de Lercio canonico Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Laudabilia tue probitatis merita quibus personam tuam iuvari percepimus nos inducunt ut te prerogativa specialis favor gratie prosequamur. Hodie siquidem pro parte venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum capituli Vicensium nobis exposito, quod in ecclesia Vicensi est quoddam perpetuum beneficium quod anniversariorum et persona que illud pro tempore obtinet rector anniversariorum vulgariter nuncupatur idemque rector licet canonicus non existat sicut unus ex

FUNDACIÓ NOGUERA

canonicis ipsius ecclesie de eiusdem ecclesie proventibus canonicalem percipit portionem et in maiori altari eiusdem ecclesie per septimanam missarum celebrare solennia et in sua novitate cappam sericam ipsi ecclesie sicut unus ex canonicis ipsius ecclesie dare tenetur quodque dicti beneficii sicut et canonicatuum et prebendarum eiusdem ecclesie collatio et totalis dispositio ad eosdem episcopum et capitulum noscitur pertinere. Nos dictorum episcopi et capituli supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica statuimus et etiam ordinamus, ut rector anniversariorum eiusdem ecclesie qui tunc erat et esset pro tempore foret extunc canonicus in eadem ac viginti unius canonicorum numero auctoritate apostolica inibi constituto etiam si esset iuramento vallatus illo superaddito qui rector antea vocabatur viginti duorum canonicorum et totidem prebendarum numerum computata dicta portione quam esse et haberi voluimus et volumus in ipsa ecclesia ut prebendam perpetuo fore censuimus dictusque canonicus olim rector haberet stallum in choro et locum in capitulo sentiretque commoda et incommoda sicut unus ex aliis canonicis ecclesie prelibate. Cum autem sicut huiusmodi dictorum episcopi et capituli expositio subiungebat, tu qui canonicus es et rector eorundem anniversariorum ipsius ecclesie tempore ordinationis huiusmodi existebas defectum natalium patiaris de presbitero genitus et soluta, nos volentes tibi cum quo etiam alias extitit dispensatum ut huiusmodi non obstante defectu posses ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum obtinere, et si curam animarum hab[eret] quique beneficium anniversariorum tunc vacans canonice tibi collatum post dispensacionem eandem fuisti adeptus et pro quo prefati episcopus et capitulum nobis humiliter supplicarunt gratiam facere ampliorem, tecum quod huiusmodi canonicatum et prebendam sic per nos ordinatos et cappellanias et alia officia vel beneficia ecclesiastica [curata] vel non curata adinvicem compassibilia infra ipsam ecclesiam vel extra canonicis dicte ecclesie consueta conferri sicut unus ex canonicis ipsius ecclesie si tibi dicta beneficia alias canonice conferantur, libere recipere [et] una cum dictis canonicatu et prebenda licite valeas retinere defectu huiusmodi et aliis quibuscunque constitutionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie supradictis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis ordinationis et dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VI Idus Novembris, pontificatus nostri anno Septimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1049

1348 novembre 8, Avinyó

Climent VI mana als abats de Santa Maria de Ripoll i de Sant Pere d'Àger de les diòcesis de Vic i d'Urgell, i a Hug d'Arpaione, canonge de Rodés, que introdueixin Jaume de Vivers, monjo del monestir de Camprodon de l'orde de Cluny, diòcesi de Girona, prior claustral i després cambrer del monestir de Ripoll, al priorat de Santa Maria de Montserrat, després de la mort del prior Ramon de Vilaragut.

A Montserrat, Arxiu de l'Abadia, Pergamins papals, núm. 23.
a Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. sancte Marie de Rivipu[llo et] .. sancti Petri Agerensis Vicensis et Urgellensis diocesium monasteriorum abbatibus ac Hugoni de Arpaione canonico [Ruthenensi salutem et apostolicam benedictionem]. Religionis zelus litterarum sciencia vite ac morum honestas aliaque laudabilia merita probitatis, super quibus dilectus filius Iacobus de Vivariis prior prioratus sancte Marie [de Monteserrato] ordinis sancti Benedicti Vicensis diocesis bacallarii in decretis apud nos fidedigno commendatur testimonio nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem intendentes [de prioratu] sancte Marie de Monteserrato quem quondam Raymundus de Villariacuto ultimus ipsius prioratus prior tunc temporis obtinebat, cum ipsum quovismodo vacare [contingeret] per apostolice sedis providenciam ordinari prioratum ipsum dum adhuc idem Raymundus ageret in humanis, videlicet IIII nonas Novembris pontificatus nostri anno sexto[41] collationi et dispositioni nostre [ea vice spe]tialiter reservantes decrevimus extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac postmodum prout petitio dilect[orum] nostrorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii de Rivipullo ordinis et diocesis predictorum nobis nuper exhibita continebat, iidem abbas et conventus audita vacacione dicti prioratus per obitum prefati Raymundi attentis devocione ac peregrinatione fidelium et hospitalitate prioratus eiusdem, ex quibus fundatus extitit et dotatus et eciam dotatur et sustentatur continuo modo et forma et qualitate premissorum pro conservacione eorundem, ne collaberentur vel corruerent congregati cum deliberacione in capitulo monasterii antedicti consideratis sufficiencia et meritis probitatis dicti Iacobi, qui in monasterio de Camporotundo Cluniacensis ordinis Gerundensis diocesis fuit monachus professus et prepositus ac prior claustralis ad

41. 2 de novembre de 1347.

FUNDACIÓ NOGUERA

instanciam dictorum abbatis et conventus dicti monasterii de Rivipullo per sedem apostolicam ad ipsum monasterium translatus et in ipso receptus in monachum et in fratrem et in eo dispensator maior et postea infirmarius et prior claustralis et deinde camerarius successive extitit ac pridie vacante monasterio Arularum dicti Cluniacensis ordinis Elnensis diocesis ibidem per formam inspiracionis divine per dilectos filios conventum postulatus et vassallos ipsius monasterii ac consules Ville Perpiniani et locorum vicinorum extitit unanimiter et concorditer requisitus. Nos tamen ex certis causis non admissa postulacione huiusmodi de fratrum nostrorum consilio de persona dilecti filii Berengarii abbatis predicti monasterii Arularum eidem monasterio providimus ipsumque dicto monasterio prefecimus in abbatem. Cum itaque postmodum prefatus prioratus sancte Marie per obitum dicti Raymundi, qui nuper extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacasset et vacare tunc nosceretur nullusque de illo preter nos ea vice disponere potuisset neque posset reservatione ac decreto obsistentibus supradictis. Nos volentes eidem Iacobo premissorum intuitu, pro quo eciam dicti abbas et conventus nobis humiliter suplicarunt, graciam facere specialem predictum prioratum per monachos dicti monasterii de Rivipullo, cuius monachus professus predictus Iacobus existit solitum gubernari sic vacantem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica dicto Iacobo auctoritate contulimus et de illo eciam eciam providimus, decernentes prout erat irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan erit hactenus vel contingeret in posterum attemptari. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus monasterii de Rivipullo et ordinis predictorum contrariis iuramento confirmacione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prioratibus dignitatibus vel officiis aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibitionem reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus prefatum Iacobum in assecutione dicti prioratus voluimus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem prioratuum dignitatum officiorum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari, aut si dictis abbati et conventui de Rivipullo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad recepcionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de prioratibus dignitatibus officiis ac aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum provisionem collacionem presentacionem vel quamcunque aliam disposicionem coniunctim vel sep[aratim] spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto

FUNDACIÓ NOGUERA

huiusmodi mencionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia [gener] ali vel speciali cuiuscunque tenoris existat per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gracie impediri valeat quomodolibet vel diferri et d[e qua cuiusque] toto tenore habenda sit in eisdem litteris mencio specialis, seu quod camerariam dicti monasterii prefatus Iacobus noscatur obtinere. Volumus autem quod quamprimum vigore [presencium] predicti prioratus possessionem pacificam prefatus Iacobus fuerit assecutus camerariam predictam quam ut prefertur obtinet quamque extunc vacare decrevimus omnino [dimittere te]neretur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Iacobum vel procuratorem suum [eius nomi]-ne in corporalem possessionem prioratus ac iurium et pertinenciarum predictorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum, amoto ab eo quolibet detentore facien[tes ipsum vel dic]tum procuratorem pro eo ad huiusmodi prioratum ut est moris admitti sibique de ipsis pr[ioratus] fructibus redditibus proventibus iuribus et obvencionibus univer[sis integre resp]onderi. Non obstantibus omnibus supradictis seu si eisdem abbati et conventui vel quibus[vis aliis] communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat quod interdici [suspendi vel] excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem. Contradictores auctoritate nostra [appellatione postp]o-sita compescendo.

Dat. Avinione, VI Idus [Novembris], pontificatus nostri anno [Septimo].

1050

1348 novembre 18, Avinyó

Climent VI prega al noble Bernat Cabrera que aculli bé i ajudi en la seva comesa l'abat Berenguer del monestir d'Arle de l'orde de Cluny, diòcesi d'Elna, legat seu, enviat per posar pau entre el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) i molts dels seus vassalls. (Es refereix a les esmentades revoltes de València amb motiu de les pretensions de l'infant Ferran, fill d'Elionor de Castella, al tron d'Aragó.)

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 59.

a Butlla perduda.

b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 322-323, doc. 651.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Bernardo de Capraria salutem et apostolicam benedictionem. Ad tollendam discordiam quam inter carissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Aragonum illustrem et nonnullos subditos suos pacis emulus suscitavit, ut nosti, queve peccatis exigentibus adhuc durans gravia pericula nisi per oportune pacis fuerit extincta, remedia comminatur et pacis commoda favente domino instauranda dilectum filium Berengarium abbatem monasterii Arularum Cluniacensis ordinis Elnensis diocesis apostolice sedis nuncium virum utique sicut testimonio multorum accepimus probate virtutis et industrie circumspecte ac regis et regni predictorum honoris et status prosperi, qui non mediocriter te contingit sincerum et fervidum zelatorem providimus sub omnipotentis auxilio destinandum. Quocirca nobilitatem tuam attente rogamus, quatinus eundem nuncium cum ad te pervenerit pro nostra et apostolice sedis reverentia benigne recipiens sic ei in commissorum sibi prosecutione ac expeditione votiva faveas et assistes auxiliis consiliis et favoribus oportunis, quod ipse ad honorem dei consolationem nostram et tranquillitatem regis et regni predictorum commissi ei ministerii partes utiliter exequatur et nos nobilitatem eandem dignis graciarum actionibus prosequamur.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Septimo.

1051

1348 novembre 18, Avinyó

Climent VI prega i implora al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que es mostri propici per la pau amb els seus súbdits desafectes i segueixi els consells de l'abat Berenguer del monestir d'Arle de l'orde de Cluny, diòcesi d'Elna, enviat per ell per a aquesta finalitat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 60.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 323, doc. 652.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 237, doc. 1753.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sperabamus carissime fili quod inter te ac nonnullos subditos tuos discordia quam prophanus hostis invidus caritatis et pacis callidus persecutor peccatis exigentibus suscitarat, omnino sublata et concordia

FUNDACIÓ NOGUERA

reformata, idem hostis confusus abscederet et te regnumque tuum malicie sue impulsibus ulterius impetere non auderet. Sed contra spem nostram ex huiusmodi nociva discordia scintille alique adhuc remanere dicuntur, que nisi oportuno fuerint extincte remedio in perniciosam quod deus avertat coalescere flammam possent. Quapropter nos qui de tuo et regni subditorum tuorum prospero statu soliciti reddimur more patris huiusmodi discordiam extinguere penitus per amabilis pacis accomodum cupientes, dilectum filium Berengarium abbatem monasterii Arularum Cluniacensis ordinis Elnensis diocesis apostolice sedis nuncium virum utique, sicut testimonio fidedignorum accepimus, multe virtutis et probitatis experte ac tui dictique regni honoris et status fervidum zelatorem et cuius inest affectibus bonum pacis providimus ad te dictosque subditos tuos sub divini favoris auxilio destinandum. Quocirca serenitatem tuam attente rogamus sinceris tibi affectibus suadentes, quatinus prudenter attendens quot et quanta rerum dampna excidia corporum et animarum pericula dissensionum et guerrarum calamitas spiritualiter et temporaliter secum trahit quodque subditorum tuorum dampna te quoque non patiuntur indempnem animum tuum dirigas et disponas ad pacem et sic eiusdem abbatis in hac parte salutaribus monitis acquiescas, quod eo qui pacis auctor et actor est faciente inter te dictosque subditos tuos fugata qualibet occasione discordie desiderate pacis serenitas elucescat.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Septimo.

1052

1348 novembre 18, Avinyó

Climent VI prega al noble cavaller Berenguer d'Abella que aculli i ajudi Berenguer, abat del monestir d'Arle de l'orde de Cluny, diòcesi d'Elna, en la missió que li ha confiat de posar els seus súbdits desafectes en pau amb el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 61.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 323, doc. 653.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Berengario de Abela militi salutem et apostolicam benedictionem. Ad tollendam discordiam quam inter carissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Aragonum illustrem et nonnullos subditos suos pacis emulus suscitavit, ut nosti, queve peccatis exigentibus

FUNDACIÓ NOGUERA

adhuc durans gravia pericula nisi per oportune pacis fuerit extincta, remedia comminatur et pacis commoda favente domino instauranda dilectum filium Berengarium abbatem monasterii Arularum Cluniacensis ordinis Elnensis diocesis apostolice sedis nuntium virum utique sicut testimonio multorum accepimus probate virtutis et industrie circunspecte ac regis et regni predictorum honoris et status prosperi, qui non mediocriter te contingit sincerum et fervidum zelatorem providimus sub omnipotentis auxilio destinandum. Quocirca nobilitatem tuam attente rogamus, quatinus eundem nuntium cum ad te pervenerit pro nostra et apostolice sedis reverentia benigne recipiens sic ei in commissorum sibi prosecutione ac expeditione votiva faveas et assistas auxiliis consiliis et favoribus oportunis, quod ipse ad honorem dei consolationem nostram et tranquillitatem regis et regni predictorum commissi ei ministerii partes utiliter exequatur et nos nobilitatem eandem dignis gratiarum actionibus prosequamur.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Septimo.

1053

1348 desembre 3, Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que després de l'òbit de Ramon (Gaston), bisbe de València de la província Tarraconense, ha nomenat Hug (de Fenollet), bisbe de Vic, com a bisbe electe de València. Li prega que l'aculli favorablement, juntament amb la seva església.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 62.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 323-324, doc. 654.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gratie divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum prelatis presertim cathedralium regimini presidentibus honor debitus impendatur. Nuper siquidem bone memorie Raymundo episcopo Valentino provintie Terraconensis regimini Valentine ecclesie presidente nos cupientes ipsi ecclesie cum eam vacare contingeret, utilem et fructuosam per apostolice sedis providentiam preesse personam provisionem eiusdem ecclesie dispositioni nostre et dicte sedis ea vice duximus specialiter reservandam, decernendo extunc irritum et inane si secus super hoc per quoscunque quavis auctori-

FUNDACIÓ NOGUERA

tate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per obitum ipsius Raymundi episcopi qui nuper extra Romanam curiam debitum nature persolvit, pastoris solatio destituta, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem de qua nullus preter nos se ea vice intromittere poterat reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne longe vacationis deploraret incommoda paternis et solicitis studiis intendentes, cupientes quoque ipsi ecclesie Valentine talem preesse personam que sciret vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis ac in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem quam super hoc cum nostris fratribus habuimus diligentem, demum ad venerabilem fratrem nostrum Hugonem Valentinum tunc Vicensem episcopum consideratis grandium virtutum merito, quibus personam suam altissimus insignivit et quod ipse Vicensi ecclesie laudabiliter hactenus prefuit, convertimus oculos nostre mentis, intendentes itaque tam dicte Valentine ecclesie quam gregi dominico eiusdem salubriter et utiliter providere, ipsum Hugonem episcopum a vinculo quo ipsi Vicensi ecclesie cui tunc preerat tenebatur de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad prefatam Valentinam ecclesiam transtulimus ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem, curam et administrationem eiusdem Valentine ecclesie eidem episcopo in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque dicto episcopo dando licentiam ad prefatam Valentinam ecclesiam transeundi, firma spe fiduciaque conceptis quod dirigente domino actus suos prefata Valentina ecclesia per ipsius episcopi industrie ac fructuosum circumspectionis studium regetur utiliter et prospere dirigetur in eisdem spiritualibus et temporalibus auctore domino suscipiet incrementa. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus dei ministros benigno favore prosequi ac eos pro regis eterni gloria verbis et operibus venerari, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem Hugonem episcopum et prefatam Valentinam ecclesiam sue cure commissam habens pro nostra et dicte sedis reverentia propensius commendatos ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod ipse episcopus tue celsitudinis fultus auxilio in commisso sibi cure pastoralis officio possit deo propitio prosperari, ac tibi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, III Nonas Decembris, pontificatus nostri anno Septimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1054

[...], Avinyó

Climent VI nomena, després de la resignació de Blanca d'Aragó com a priora del monestir de Sixena, la seva successora. (Poc llegible.)

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, d. l., Monestir de Sixena, núm. 26.
a Manca la part inferior i esquerra del pergamí. Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecte in Christo filie [..... priorisse monasterii monialium de Sexena per priorissam soliti gubernari ... ..] [sancti] Iohannis Ierosolimitani Ilerdensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Inter solicitudines varias quibus assidue pre[muntur] illa precipue pulsat [....] ut status ecclesiarum et monasteriorum omnium [ante ...] providentia [....] commissorum spiritualiter et temporaliter augeatur, quodque illis que suis [...] et vacationis [...] modis subiaceat [.....] tales ministros preficere studeamus quorum regimine salubriter et utiliter valeant guber[.. ....]are promotionis exordiis, ad apicem apostolice dignitatis provisiones omnium monasteriorum apud apostolicam sedem quomodocunque tunc vacan[... actus] contingeret, dispositioni nostre specialiter reservantes decrevimus extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate [scienter vel ignoranter] contigerit attemptari. Nuper vero monasterio de Sexena per priorissam solito gubernari hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani [....] destituta quod dilecta in Christo filia Blanca de Aragonia monialis olim priorissa dicti monasterii in ipsius monasterii regimine per certum [....] spetialiter constitutum in manibus dilecti filii Bernardi tituli sancti Ciriaci in Termis presbiteri cardinalis apud sedem apostolicam sponte ac [....] cardinalis resignationem huiusmodi de spetiali mandato nostro facto sibi super hoc oraculo vive vocis apud sedem eandem admisit. Nos attendentes [...] monasterii [...] preter hos se hac vice intromittere potest reservatione et decreto obsistentibus antedictis ac ad provisionem [....] et feli[cem] pater[...] et solitis studiis intendentes, per deliberationem quam de preficiendo eidem monasterio personam utilem et etiam [... ..]tem demum ad te ipsius monasterii monialem regulam prefati hospitalis inibi expresse professam de religionis observantia vite [... ..]tiante industria ac spiritualis et temporalia [..] p[..] nos fidedignorum testimonio commenda[...] monasterio preficimus ante [... ..]damus teque in priorissam prefatum monasterium per [... ..]actus tuos [...]mus quatinus onus [.....].

[Dat. Avinione, ..., ..., pontificatus nostri anno ...].

FUNDACIÓ NOGUERA

1055

1349 gener 9, Avinyó

Climent VI concedeix al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) la indulgència de poder manar celebrar la santa missa i rebre el sagrament del matrimoni en qualsevol temps i lloc, encara que estigui en entredit, sempre i quan ell o ella no haguessin donat motiu a aquesta censura o no hi fossin de manera especial.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 1 augment.
a Butlla perduda.
b Miquel Rosell, *Regesta*, p. 324, doc. 655.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 252, doc. 1888.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectum quo tanquam princeps catholicus nos et Romanam revereris ecclesiam, intuentes dignum ducimus ut votis tuis quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut in quocunque tempore aut loco etiam supposito ecclesiastico interdicto tu et quecunque mulier quam tibi contigerit matrimonio legitime copulari, a quocunque sacerdote catholico graciam et communionem apostolice sedis habente nuptialem benedictionem recipere ac in facie ecclesie huiusmodi matrimonium solennizare, dummodo tu vel illa causam huiusmodi non dederitis interdicto nec id tibi vel illi contingat specialiter interdici, libere valeatis ac eidem sacerdoti, ut benedictionem huiusmodi non obstantibus quibuscunque constitutionibus apostolicis contrariis impendere libere tibi et mulieri possit eidem serenitati tue auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, V Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Septimo.

1056

1349 març 2, Avinyó

Climent VI autoritza Berenguer (de Cruïlles), bisbe electe de Girona, que delegui en un sacerdot la reconciliació d'esglésies i cementiris violats per efusió de sang.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Girona, Arxiu Diocesà, Pergamins Mitra, caixa 23, núm. 47.
a Butlla amb fil de cànem.
b MARQUÈS, *Pergamins de la Mitra*, p. 102, doc. 1160.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Berengario electo Gerundensi salutem et apostolicam benedictionem. Tue devotionis precibus benignum impartientes assensum libenter ea tibi concedimus gratiose, que tue quietis commodum respicere dinoscuntur. Cum itaque sicut pro parte tua fuit propositum coram nobis sepe contingat ecclesias et cimiteria tuarum civitatis et diocesis per effusionem sanguinis vel seminis violari, que non potes reconciliare commode per te ipsum, nobis humiliter supplicasti, ut providere tibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod ecclesias et cimiteria predicta per aliquem sacerdotem ydoneum reconciliare valeas quociens fuerit oportunum, aqua prius per aliquem antistitem ut moris est benedicta presentium tibi auctoritate concedimus facultatem. Per hoc autem constitutioni que id precipit per episcopos tantum fieri nullum volumus imposterum preiudicium generari. Presentibus post triennium minime valituris.

Dat. Avinione, VI Nonas Martii, pontificatus nostri anno Septimo.

1057

1349 maig 23, Avinyó

Climent VI mana al bisbe de València (Hug de Fenollet), a petició del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), absoldre'l de l'excomunió per no haver impedit la mort del clergue Guillem Galceran, ciutadà de València, portada a cap pels seus oficials reials en represàlia per l'assassinat que va cometre contra un escuder de la difunta reina Elionor (de Portugal).

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 63.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 324-325, doc. 656.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Valentino salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris petitio continebat, quod cum quondam Guilelmus Galcerandi civis Valentinus olim proditorie occidisset quendam scutiferum clare memorie Alienordis regine Aragonum prefatus Guilelmus, qui tunc clericalem tonsuram non portabat, sed ut laicus incedebat, per officiales regis eiusdem captus extitit et detentus et quod licet postmo-

FUNDACIÓ NOGUERA

dum per officiales tue curie cognitum et declaratum fuisset, dictum Guilelmum fore clericum et gaudere debere privilegio clericali, predicti tamen officiales regis eiusdem eum ultimo supplicio deputarunt, propter quod idem rex ut asserit licet id fieri non mandaverit, quia tamen hoc prohibere potuit et non fecit, dubitat se excommunicationis sententiam incurrisse. Quare pro parte dicti regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum officiales predicti regis per dictos tuos officiales cum impositione sufficientis penitencie puniti fuerint, de premissis providere sibi super hoc de oportune absolutionis beneficio dignaremur. Ipsius ergo regis in hac parte supplicationibus inclinati, fraternitati tue de qua in hiis et aliis obtinemus in domino fiduciam specialem per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus si est ita regem ipsum cum hoc a te humiliter duxerit postulandum ab excommunicationis sentencia quam occasione premissorum incurrit iniunctis sibi pro modo culpe penitentia salutari et quod decetero talia fieri non permittet ac aliis que de iure fuerint iniungenda auctoritate nostra absolvas iuxta formam ecclesie consuetam.

Dat. Avinione, X Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Octavo.

1058

1349 octubre 12, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que empari l'arquebisbe Guillem (d'Aigrefeuille), electe de Saragossa, i la seva església, ultratjats greument pels seus ciutadans.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 64.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 325, doc. 657.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 285, doc. 2082.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii Guilelmi electi Cesaraugustani familiaris nostri grata nobis et frequenti relacione comperimus, quod tu eum et ecclesiam Cesaraugustanam sue cure commissam prosequens favoribus gratiosis officialibus et procuratoribus dicti electi in prosecutione iurium et aliis negotiis electi ecclesie predictorum oportunis semper auxiliis astitisti, de quo serenitati tue agimus dignas grates. Cum autem fili carissime cives Cesaraugustani omnis civilitatis obliti eisdem electo et ecclesie ac vicariis et familiaribus electi prefati graves iniurias et

FUNDACIÓ NOGUERA

offensas irrogasse dicantur que in electi et ecclesie predictorum grave nimis redundare preiudicium asseruntur, nos dictis electo et ecclesie provisionis tue remedium super hiis invocantes serenitatem eandem attente rogamus, quatinus ipsis electo et ecclesie sic pro divine maiestatis reverentia et nostre interventionis obtentu iusti favoris presidio assistas et faveas in premissis, quod eisdem electo et ecclesie sua iura serventur et dicti cives regia potestate correcti similia decetero non attemptent. In hiis enim tanto nobis amplius tua sublimitas complacebit, quanto ad eundem electum suis exigentibus meritis affectionem gerimus ampliorem.

Dat. Avinione, IIII Idus Octobris, pontificatus nostri anno Octavo.

1059

1349 novembre 5, Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Elionor d'Aragó el privilegi de poder manar celebrar la santa missa abans de l'aurora, quan ho exigeixin els seus assumptes, però que utilitzi poc aquesta concessió.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 65.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 325, doc. 658.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Alienori regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quem ad nos et Romanam geris ecclesiam promeretur, ut votis tuis favorabiliter annuamus, illis presertim per que sicut pie desideras divinis officiis intenta existas et spiritualis salutis tibi proveniat incrementum. Hinc est quod nos devotis precibus inclinati, ut missam ante quam illucescat dies circa tamen diurnam lucem cum qualitas negociorum pro tempore ingruencium id exegerit, liceat tibi per proprium vel alium sacerdotem ydoneum facere celebrari, ita quod id nec tibi nec sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari, devocioni tue auctoritate presencium de speciali gracia indulgemus, proviso quod parce huiusmodi concessione utaris quia cum in altaris officio immoletur dominus noster dei filius Ihesus Christus, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non in noctis tenebris fieri set in luce. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Octavo.

FUNDACIÓ RUBIRALTA

1060

1349 novembre 5, Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Elionor d'Aragó la indulgència d'elegir al seu confessor i que aquest pugui donar-li l'absolució i imposar-li la penitència saludable.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 66.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 325-326, doc. 659.

CLEMENS VI episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Alienori regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Benigno sunt tibi illa concedenda favore, per que sicut pie desiderare videris conscientie pacem et salutem anime deo propicio valeas adipisci. Hinc est quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, tibi auctoritate apostolica indulgemus, ut aliquem ydoneum et discretum presbiterum in tuum possis eligere confessorem, qui quociens tibi fuerit oportunum, confessione tua diligenter audita pro commissis debitam tibi absolutionem impendat et iniungat penitentiam salutarem, nisi forsan talia fuerint propter que sedes apostolica sit merito consulenda. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Octavo.

1061

1349 novembre 5, Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Elionor d'Aragó cent dies d'indulgència per a aquells que escoltin la predicació de la paraula divina durant la santa missa mentre ella hi és present.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 67.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 326, doc. 660.

CLEMENS VI episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Alienori regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Eximie tue devocionis sinceritas exigit, ut peticiones tuas quantum cum deo possumus ad exaudicionis graciam admittamus. Hinc est quod nos ut quocienscunque et ubicunque in missarum

FUNDACIÓ NOGUERA

sollenniis per predicacionis ministerium in tua presentia publice proponi contigerit verbum dei proponens verbum huiusmodi possit auctoritate apostolica omnibus vere penitentibus et confessis ibidem presentibus centum dies de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxari devocioni tue tenore presencium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Octavo.

1062

1349 novembre 5, Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Elionor d'Aragó la indulgència de l'altar portàtil.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 68.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 326, doc. 661.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Alienori regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quam ad nos et Romanam geris ecclesiam non indigne meretur, ut peticionibus tuis illis presertim, quas ex devotionis fervore prodire conspicimus, quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati, ut liceat tibi habere altare portatile cum debita reverentia et honore super quo in locis congruentibus et honestis possis per proprium vel alium sacerdotem ydoneum missam et alia divina officia sine iuris alieni preiudicio in tua presentia facere celebrari devotioni tue tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Octavo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1063

1349 novembre 5, Avinyó

Climent VI concedeix a la reina Elionor d'Aragó la dispensa del precepte d'abstinència per la seva dèbil complexió, sempre que, aconsellada per un metge, ho jutgi convenient el seu confessor.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 69.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 326-327, doc. 662.

CLEMENS VI episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Alienori regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Exigit eximie tue devotionis affectus quo erga deum et Romanam ecclesiam splendore dinosceris, ut petitionibus tuis quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque sicut asseris debilis nature et complexionis existas, nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus qui est et erit pro tempore tecum quod diebus quibus de iure vel consuetudine est esus carnium interdictus vesci licite carnibus valeas quibuscumque constitutionibus apostolicis privilegiis ac statutis consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus quociens eidem confessori de consilio medicorum id tibi et anime tue expedire videbitur, super quo ipsius confessoris conscientiam oneramus auctoritate nostra valeat dispensare tibi tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Novembris, pontificatus nostri anno Octavo.

1064

1349 desembre 5, Avinyó

Climent VI atorga a Guillen Torró el benefici perpetu de l'altar de la Santa Trinitat de l'església de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-223.
a Marge superior retallat. Butlla perduda.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Guilelmo Torroni peppetuo beneficiato in altari sancte Trinitatis sito in ecclesia Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis

FUNDACIÓ NOGUERA

circunspecta benignitas desideria iusta petentium congruo favore prosequitur et votis eorum, que a rationis tramite non discordant, libenter se exhibet propiciam et benignam. Cum itaque nuper tu ebdomadariam parrochialis ecclesie beate Marie de Costugia Elnensis diocesis et dilectus filius Berengarius de Petrapertusa perpetuum beneficium altaris sancte Trinitatis situati in ecclesia Barchinonensi, que tunc temporis obtinebant, desiderantes ea certis ex causis rationabilibus invicem permutare, tu videlicet per teipsum dictusque Berengarius per dilectum filium Guilelmum Guach canonicum Ilerdensem procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus dilecti filii magistri Guilelmi de Bordis notarii nostri ex causa permutationis huiusmodi apud sedem apostolicam duxeritis libere resignanda idemque Guilelmus de speciali mandato nostro vive vocis oraculo resignationes huiusmodi apud sedem eandem duxeris admittendas. Nos votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes predictum perpetuum beneficium per huiusmodi resignationem vacans, etiam si beneficium et ebdoma[da]ria predicta vel eorum alterum sint per nos specialiter reservata cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo etiam providemus, decernentes prout est irritum et inane se secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel contigerit imposterum attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Barchinonensis contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi in eadem ecclesia speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus te in assecutione dicti perpetui beneficii volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari, seu si venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Barchinonensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio

FUNDACIÓ NOGUERA

specialis, aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Barchinonensis solitum iuramentum dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud prestes, seu quod canonicatum sub expectatione prebende cum quartis in ecclesia Maioricensi obtines et beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad venerabilis fratris nostri .. episcopi Elnensis collationem vel provisionem pertinens te asseris expectare. Nostre tamen intentionis existit, quod in dicto perpetuo beneficio per nos tibi ut prefertur collato nullum ius tibi ex collatione nostra huiusmodi quomodolibet acquiratur, nisi tu et dictus Berengarius tempore resignationum huiusmodi ius haberetis in perpetuo beneficio et ebdomadaria predictis per vos taliter resignatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis provisionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Decembris, pontificatus nostri Anno Octavo.

1065

1349 desembre 5, Avinyó

Climent VI mana a l'abat del monestir de Sant Cugat del Vallès de la diòcesi de Barcelona, a l'ardiaca d'Avinyó, i a Guillem de Torrelles, canonge de l'església de Girona, que admetin després de la permuta entre Guillem Torró i Berenguer de Perapertús un benefici eclesiàstic perpetu a aquest darrer de l'altar de la Santa Trinitat, de l'església de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-222.
a Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Cucuphatis Vallensis Barchinonensis diocesis et .. archidiacono Avinionensis ac Guilelmo de Turrillis canonico Gerundensis ecclesiarum salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis circunspecta benignitas desideria iusta petentium congruo favore prosequitur et votis eorum que a rationis tramite non discordant, se libenter exhibet propitiam et benignam. Cum itaque nuper dilecti filii Guilelmus Torroni ebdomadariam parrochialis ecclesie beate Marie de Costugia Elnensis diocesis et Berengarius de Petra pertusa perpetuum beneficium altaris sancte Trinitatis siti in ecclesia Barchinonensi, que ipsi tunc temporis obtinebant desiderantes ea certis ex causis racionabilibus invicem permutare, Guilelmus videlicet per seipsum et

FUNDACIÓ NOGUERA

Berengarius predicti per dilectum filium Guilelmum Guach canonicum Ilerdensem procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum in manibus dilecti filii magistri Guilelmi de Bordis notarii nostri ex causa permutationis huiusmodi apud sedem apostolicam duxerint libere resignanda idemque Guilelmus de Bordis de speciali mandato nostro super hoc vive vocis oraculo sibi facto resignationes huiusmodi apud sedem eandem duxerit admittendas. Nos eiusdem Guilelmi Torroni votis in hac parte favorabiliter annuentes, predictum perpetuum beneficium per huiusmodi resignationem vacans etiam si beneficium et ebdomadaria predicta vel eorum alterum essent per nos specialiter reservata, cum omnibus iuribus et pertinenciis suis apostolica eidem Guilelmo Torroni auctoritate contulimus et providimus etiam de eodem, decernentes prout erat irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan erat hactenus vel contingeret imposterum attemptari. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie Barchinonensis contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi in dicta ecclesia speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus eundem Guilelmum Torroni in assecutione dicti perpetui beneficii volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari. Seu si venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Barchinonensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in eisdem nostris litteris mentio specialis, aut si prefatus Guilelmus Torroni presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et constitutionibus ipsius ecclesie solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesserit corporaliter illud prestet, seu quod idem Guilelmus Torroni canonicatum sub expectatione prebende cum quartis in ecclesia

FUNDACIÓ NOGUERA

Maioricensi obtinet et beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad venerabilis fratris nostri .. episcopi Elnensis collationem vel provisionem pertinens se asserit expectare. Nostre tamen intentionis existit, quod in dicto perpetuo beneficio per nos ut prefertur eidem Guilelmo Torroni collato ex collatione nostra huiusmodi nullum sibi ius quomodolibet acquiratur, nisi ipse et Berengarius predicti tempore resignationum huiusmodi ius haberent in perpetuo beneficio vel ebdomadaria predictis per eos taliter resignatis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Guilelmum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem perpetui beneficii ac iurium et pertinentiarum predictorum [inducatis] auctoritate nostra et defendatis inductum amoto ab eo quolibet detentore, facientes ipsum vel dictum procuratorem pro eo ad idem beneficium ut est moris admitti sibique de ipsius beneficii fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si eisdem episcopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, Nonas Decembris, pontificatus nostri Anno Octavo.

1066

1350 febrer 22, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que aculli bé Ramon de Salgís, degà de l'església de París, missatger del rei Felip VI de França, portador de la present, enviat per concertar una treva entre ambdós.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 46, núm. 70.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 327, doc. 663.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, III, p. 61, doc. 4416.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Carissimus in Christo filius noster Philippus rex Francie illustris habens ad te domumque tuam zelum intime caritatis dilectum filium

FUNDACIÓ NOGUERA

Raymundum de Salgis decanum ecclesie Parisiensis latorem presentium pro quibusdam negotiis concernentibus inter te ac eundem regem solidioris vinculum caritatis sicut accepimus ad te mittit. In quo et nos cooperari volentes serenitatem tuam attente rogamus, quatinus ipsum prout honori tuo convenire et utilitati publice expedire credimus, benigne recipere ac favorabiliter expedire sublimitas tua velit.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Octavo.

1067

1350 agost 5, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que alliberi els cavallers d'Arle, presoners de guerra, entre els quals hi ha Guillem de Baus.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 71.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, III, p. 110-111, doc. 4633.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 327, doc. 664.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Recolimus apud te fili carissime precibus institisse, ut cum dilectis filiis nobilibus viris Guilelmo de Bautio et quibusdam aliis militibus Arelatensibus quos ad carcerem tuum bellicus eventus adduxit, gratiose ageres et eos restitueres libertati. Sed sicut audivimus, tu erga illos nondum temperare rigorem, ut eos libertati redderes, quinimo nec ad decentem compositionem admittere voluisti. Considerantes igitur quod honori et decentie tue convenit, ut cum eisdem militibus clementer et benigne te habeas et erga illos non furorem sed clementiam et mansuetudinem potius prosequaris, serenitatem tuam attente rogamus, quatinus prefatos milites habens nostre interventionis obtentu benigne ac efficaciter commendatos, ipsos velis liberaliter et grate restituere pristine libertati. Quod tanto gratius nobis erit quanto serenitatem eandem super hoc frequentius ducimus exorandum.

Dat. Avinione, Nonas Augusti, pontificatus nostri anno Nono.

FUNDACIÓ NOGUERA

1068

1350 octubre 1, Vilanova d'Avinyó

Climent VI mana al bisbe d'Elna (Bernat Forner) que s'informi de la vida de Jaume, fill de Pere Anell, clergue de la diòcesi d'Elna, i, si és idoni, el dispensi del seu "defectus natalium".

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-224.
a Butlla perduda.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Elnensi salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii Iacobi Anulli nati dilecti filii Petri Anulli clerici tue diocesis nobis fuit humiliter supplicatum, ut cum eo cui sicut ipse asserit non obstante defectu natalium quem patitur de coniugato genitus et coniugata bone memorie Bernardus olim episcopus Elnensis scienter tonsuram contulit clericalem super defectu ipso, ut eo non obstante posset ad omnes ordines promoveri et beneficium ecclesiasticum eciam si curam animarum habeat obtinere dispensare misericorditer dignaremur. De tua igitur circumspectione plenam in domino fiduciam obtinentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus consideratis diligenter circumstantiis universis que circa ydoneitatem persone fuerint attendende, si dictus Iacobus alias sit idoneus nec sit paterne incontinentie immitator sed bone conversationis et vite aliaque sibi merita suffragentur, ad huiusmodi dispensacionis graciam obtinendam secum super premissis auctoritate nostra dispenses prout secundum deum anime sue saluti videris expedire.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Kalendas Octobris, pontificatus nostri Anno Nono.

1069

1350 octubre 1, Vilanova d'Avinyó

Climent VI mana als bisbes de Girona (Berenguer de Cruïlles) i Vic (Lope Fernández de Luna), i al prior del monestir de Santa Anna de Barcelona, que com a preservadors i jutges defensin l'abadessa i el convent del monestir de Sant Pere de les Puelles de l'orde de sant Benet, diòcesi de Barcelona, i no permetin que ningú no les molesti en els seus béns i drets, durant cinc anys.

A Barcelona, Arxiu del Monestir de Sant Pere de les Puelles, carpeta 1bis, núm. 15.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

FUNDACIÓ NOGUERA

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. Gerundensi et Vicensi episcopis et dilecto filio .. priori monasterii sancte Anne Barchinonensis per priorem soliti gubernari salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie licet immerito disponente domino presidentes circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertia reddamur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis et profectibus divina cooperante clementia salubritur intendamus. Sane dilectarum in Christo filiarum .. abbatisse et conventus monasterii sancti Petri Puellarum Barchinonensis ordinis sancti Benedicti conquestione percepimus, quod nunnulli archiepiscopi episcopi aliique ecclesiarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose quam etiam seculares necnon duces marchiones comites barones nobiles milites et laici communia civitatum universitates opidorum castrorum villarum et aliorum locorum ac alie singulares persone civitatum et diocesium et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra villas et loca terras domos possessiones iura et iurisdictiones necnon fructus census redditus et proventus dicti monasterii et nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad abbatissam et conventum predictas spectantia et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus prestant auxilium consilium vel favorem, nonnulli etiam civitatum et partium predictarum, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, eisdem abbatisse et conventui super predictis castris villis et locis aliis terris domibus possessionibus iuribus et iurisdictionibus fructibus censibus redditibus et proventibus eorundem et quibuscunque aliis bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus et temporalibus ac aliis rebus ad easdem abbatissam et conventum spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt ac iacturas. Quare dicte abbatissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem abbatibus et conventui remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia preducatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios etiam si sint extra loca in quibus deputati estis conservatores et iudices prefatis abbatisse et conventui efficacis defensionis presidio asistentes non permitatis eisdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad abbatissam et conventum predictas spectantibus ab eisdem vel quibuscunque aliis indebite molestari vel eis gravamina seu dampna vel iniurias irrogati facturi dictis abbatisse et conventui, cum ab eis vel procuratoribus

FUNDACIÓ NOGUERA

suis aut eorum aliquo fueritis requisiti de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum villarum terrarum et aliorum locorum iurisdictionum iurium et bonorum immobilium et mobilium reddituum quoque et proventuum et aliorum quoruncunque bonorum necnon de quibuslibet molestiis iniuriis atque dampnis presentibus et futuris in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem summarie et deplano sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero prout qualitas eorum exigerit iustitie complementum, occupatores seu detentores molestatores presumptores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles cuiuscunque status dignitatis ordinis vel condictionis extiterint quandocunque et quotienscunque expedierit auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifatii pape VIII predecessoris nostri,[42] in quibus cavetur ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscunque procedere sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesium eorundem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et molestiis et aliis que iudicialem exigunt indaginem, penis in eos si secus egerint et in id procurantes adiectis conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscunque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod excommunicari suspendi vel interdici seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis ac locis ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda

42. V Conc. del Laterà, càn. 37, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 251-252; X 1.3.28, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 31; VI 1.3.11, 1.14.15, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 941-942, 982-983.

FUNDACIÓ NOGUERA

sit mentio specialis. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus quodque a datum presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, constitutione predicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Presentibus post quinquennium minime valituris.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Kalendas Octobris, pontificatus nostri Anno Nono.

1070

1350 octubre 19, Avinyó

Climent VI comunica als doctors, mestres i acadèmics de l'Estudi (General) de Lleida que ha autoritzat els estudiants eclesiàstics d'aquest Estudi poder gaudir durant cinc anys més l'usdefruit dels seus beneficis.

A Lleida, Arxiu Municipal, Fons Municipal, Pergamí núm. 276.
a Butlla perduda.
b GORT, *Documents de l'Estudi*, p. 101-103, doc. 20.
c ENJUANES i altres, *Catàleg de l'Arxiu Municipal de Lleida*, p. 110, doc. 188.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis universis doctoribus magistris et scolaribus universitatis studii Ilerdensis salutem et apostolicam benedictionem. Dum attente considerationis indagine perscrutamur, quod per litterarum studia cooperante illo a quo omnium carismatum dona proveniunt, viri efficiuntur scientiis eruditi, per quos equum ab iniquo discernitur erudiuntur rudes, provecti ad maiora concrescunt et fides catholica roboratur, libenter non solum loca ubi huiusmodi pollent studia, sed studentes in eis favoribus graciis et libertatibus apostolicis honoramus. Sane considerantes inter cetera civitatem Ilerdensem fuisse ab hactenus et nunc fore quasi fontem scientiarum irriguum multosque viros produxisse virtutum, ob hoc personas ad eam confluentes pro margarita scientia acquirenda, favore benivolo confoventes venerabilis fratris nostri Stephani episcopi Ilerdensis et vestris supplicationibus inclinati, omnibus et singulis personis ecclesiasticis secularibus et regularibus in dicta civitate in

FUNDACIÓ NOGUERA

quacunque facultate licita usque ad quinquennium a datum presencium computandum studentibus aut actu legentibus auctoritate presentium indulgemus, ut fructus redditus et proventus omnium benefitiorum suorum ecclesiasticorum secularium et regularium que nunc obtinent et imposterum obtinebunt in quibusvis ecclesiis monasteriis sive locis, etiam si beneficia ipsa dignitates personatus prioratus administrationes vel officia fuerint et curam habeant animarum, dummodo in cathedralibus post pontificales maiores aut in collegiatis ecclesiis principales dignitates huiusmodi non existant, cum ea integritate usque ad quinquennium supradictum percipere libere valeant cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent si in eisdem ecclesiis monasteriis sive locis personaliter residerent et ad residendum interim in eisdem aut eorum aliquo minime teneantur neque ad id a quoquam inviti valeant coartari. Non obstantibus si dicte persone in eisdem ecclesiis monasteriis sive locis primam vel secundam non fecerint personalem residentiam consuetam et quibuscunque constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus earundem ecclesiarum ac monasteriorum et ordinum quorumcunque contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, etiam si dicte persone de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea et ipsis litteris non utendo etiam ab eisdem personis aut earum aliquibus vel aliqua aut alio seu aliis impetratis vel eis alias quovismodo concessis per se vel earum procuratores prestiterint hactenus vel eas imposterum prestare contigerit forsitan iuramentum seu si locorum ordinariis a sede apostolica sit concessum vel imposterum concedi contingat, quod canonicos rectores et personas seculares et regulares ecclesiarum suarum civitatum et diocesium ac monasteriorum et locorum huiusmodi etiam in dignitatibus vel prioratibus personatibus seu administrationibus vel officiis constitutos per subtractionem proventuum suorum ecclesiasticorum vel alias compellere valeant ad residendum personaliter in eisdem, aut si eisdem ordinariis et dilectis filiis capitulis ecclesiarum predictarum ac abbatibus et conventibus dictorum monasteriorum vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat vel inantea indulgeri contingat, quod huiusmodi canonicis rectoribus et personis etiam in dignitatibus vel personatibus prioratibus administrationibus seu officiis constitutis non residentibus in eisdem vel qui primam in eis huiusmodi residentiam non fecissent fructus redditus et proventus beneficiorum suorum huiusmodi ecclesiarum monasteriorum et locorum predictorum ministrare minime teneantur et ad id compelli non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis indulgenciis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus

FUNDACIÓ NOGUERA

quoruncunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mencio spetialis. Proviso quod huiusmodi beneficia debitis interim obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis quibus illa imminet nullatenus negligatur, sed per bonos et sufficientes vicarios quibus de beneficiorum ipsorum proventibus necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur et deserviatur inibi laudabiliter in divinis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Novembris, pontificatus nostri Anno Nono.

1071

1350 novembre 21, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que no molesti les persones eclesiàstiques ni retalli els seus drets. Li esmenta, entre altres coses, l'encarcerament i l'amenaça de mort, fetes personalment pel rei, punyal en mà, a Bernat Alanham, canonge de València i legat seu, per haver excomunicat i processat alguns dels seus súbdits que no volien pagar unes quantitats degudes a la Seu Apostòlica.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 72.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 328-329, doc. 665.

Clemens (VI) episcopus servus servorum dei. Petro regi Aragonum illustri spiritum consilii sanioris. Si catholicorum principum magnifica gesta recenseas si ad eorum laudabilia opera aciem regie considerationis extendas, occurret tibi patenter et lucide, quod illi sacrosanctam Romanam ecclesiam christiane religionis matrem et dominam pure devotionis coluerunt semper affectibus et reverentibus studiis honorarunt, occurret qualiter eam et alias ecclesias ecclesiasticasque personas pro reverencia regis regum, qui est caput ecclesie et cuius ministri sunt ipse persone munificis largicionibus ampliarunt decorarunt privilegiis magnificaverunt graciis extulerunt beneficiis et libertatibus munierunt, occurret qualiter ecclesiis et personis eisdem in eorum oportunitatibus dexteram eorum porrexerunt auxilii et ad reprimendos procellas et turbines tempestatum, quos adversus illas in

FUNDACIÓ NOGUERA

pelago mundi huius commovit furor et excitavit spiritus hominis inimici in eorum virtute potencie exurgentes oportunis favoribus astiterunt, sed et si ad favores et beneficia grandia, quibus erga progenitores tuos et te inter ceteros catholicos principes orbis terre ipsa Romana exuberavit ecclesia, erigas intuitum grate mentis, perpendes utique quantum et ad quanta rependia eidem ecclesie ipsa beneficia percepta, te obligant quantumque favorum impensio constituit debitorem. Que nos etiam exacte considerationis discutientes examine conceperamus de te fiduciam uberem, ex qua uberiorem partem proculdubio sperabamus, quod tu eorundem principum devotionis et fidei erga ipsam ecclesiam aliorumque bonorum operum imitator ecclesias et personas easdem in regnis et terris tuis eo prosequereris honorificencia digniori, quo gracia divina successibus felicioribus te prevenit et tanto nobis et eidem ecclesie revereri humilius tantoque favorabilius et promptius, si aliquo accidente casu oportunitas exigeret adesse deberes, quanto preter gratitudinis debitum iuramenti quoque religio, quo nobis et illi teneris ut subditus et vassallus ad id specialius et fortius te astringit. Sed prodolor ex conceptu spei nostre huiusmodi contrarium experimur abortum, dum sicut habet fidedignorum plurium non contempnenda relatio, que referentium excrescente numero, iam suscipit vires fame in eisdem regnis et terris tuis dei timore postposito et canonum reverencia vilipensa eedem opprimuntur ecclesie ecclesiasticeque persone iura usurpantur earum et libertas ecclesiastica conculcatur. Fertur etenim quod cum aliqui rescripta sedis apostolice contra quosvis tibi subditos laicos ad ecclesiasticos iudices in dictis regnis et terris impetrant sicut eis licet in multis casibus de iure communi et consuetudine approbata, officiales tui iuris ordinem subvertentes impetrantes rescriptis uti huiusmodi et iudices impetratos eosdem ipsorum rescriptorum vigore procedere non permittunt, et quod dum pridem dilectus filius Bernardus Alanham canonicus Valentinus apostolice sedis nuncius contra quosdam laicos subditos tuos pro eo quod sibi nomine camere nostre certas pecuniarum et rerum aliarum quantitates debitas prefate camere per eosdem solvere contumaciter contempnebant, excommunicationis sentenciam protulerat et quosdam processus alios fecerat prout ex forma dictarum litterarum poterat contra eos, tu prefatum Bernardum missis ad eum nuntio et litteris regiis ad tuam presentiam accersitum et in conspectu regio constitutum post iniurias contumelias et opprobria, quibus transgressus limites modestie regie ipsum, sed nos potius ad quem respectum habere debueras, cum honorem et iniuriam qui deferuntur missis certum sit mittentibus irrogari, sicut ipsa veritas que Apostolos idest nuntios suos evangelium omni creature predicare transmittens, omnis inquit, qui vos recipit, me recipit attestatur,

FUNDACIÓ NOGUERA

lapsa nimis licencia lacessisti ad revocationem huiusmodi processuum gravium incussione minarum et terrorum atrocium induxisti quodque dum ipse minarum et terrorum illatione huiusmodi ad eorundem processuum revocationem flecti nequiret, sicuti non debebat, tu levitatem regie gravitatis rigore levitatis exasperans et mansuetudinem convertens in iram gladium quem tibi ad vindictam malorum, laudem vero bonorum divina potencia portare concessit, ut eundem Bernardum perimeres non metuens tremendam illam sentenciam, quam per evangelicam vocem dominus comminatur, omnis ait qui ferit gladio, peribit gladio, exemisti. Cumque iracundiam tuam expleri et circumstantes aut quod verisimiliter credimus, ipsa modestia prohiberent, tu adhuc tui contra deum et iusticiam arbitrii prosecutor prefatum Bernardum penas eorundem canonum sentenciasque non veritus mandasti ceterrimo carceri mancipari, ubi velut multorum criminum reus ignominiose detentus, tandem de illius ergarstulo non concedende sibi libertatis gracia, sed ut parata sibi gravia inhumaniter tormenta sentiret vel subiret mortis supplicium, nisi in huiusmodi revocatione deferens homini contra deum tuis iussionibus pareret eductus, cum ille virtutis constancie roborare communitus, post sumenda de patre suo et ipso quoque obprobriose ac dire mortis supplicia, que ministrorum tuorum inmanis furor comminabatur eidem inflexibilem ad id inclinari animum nullatenus pateretur, ministri iidem affectionem tuam super hoc sentientes illum ad cuiusdam eminentis turris precipicium adduxerunt, ad cuius etiam turris pedem stare compulsus idem miserabilis pater infelicem filii sui casum quam anxius et consternatus animo expectabat. Vestimentis post hec Bernardus idem clericalibus denudatus est et gravioribus terroribus, ut pote vicine mortis exactus, ut processus habitos revocaret. Ac illo firmo adhuc proposito assensum prebere importunis et tremendis iussionibus recusante, prefati ministri tui sed crudelitatis detestande potius cum deflexo capite pedibus retinentes extra turrim eandem impie demiserunt, ubi aliquandiu pendens immaniter post viscerum evacuationem et intolerabilem vomitum quodammodo factus examinis metu, qui in constantem utique cecidit, de facto cum de iure non posset, processus huiusmodi revocavit, sicque ministri ipsi eum vite superstitem servaverunt, sed libertatis beneficium nec pater nec filius iidem potuerunt consequi, nisi prius ab eodem patre qui licet innoxius contra dei preceptum dicentis pater iniquitatem filii non portabit, propter filium iubente te tenebatur in vinculis, quod prefatus Bernardus omnes processus quos auctoritate apostolica fecerat, revocaret et nichilominus illos tibi traderet infra mensem tunc proxime secuturum centum milium solidorum daretur fideiussoria cautio et adhoc ipsum idem quoque filius se iuramenti vinculo obligaret, tuo in hiis etiam

FUNDACIÓ NOGUERA

adiecto mandato quod idem Bernardus de dictis regnis et terris interim non exiret. Huiusmodi quoque subiunxit assertio quod eorundem officialium et ministrorum tuorum effrenis licentia, dilectum filium Antonium de Alpicato canonicum Valentinum, cui commiseramus receptionem bonorum mobilium ac debitorum et creditorum bone memorie Raymundi episcopi Valentini quam dispositioni nostre duxeramus antea et certis causis rationabilibus reservandam, ex eo quod in quosdam cives Valentinos sibi certas pecuniarum summas debitas per eos eidem episcopo solvere recusantes auctoritate litterarum ipsarum sicut ex eorum forma poterat excommunicationis sententiam ipsorum exigente contumacia promulgavit, retrusit in carcere tenuitque retrusum et ut conceptus iniquos partu educerent nequiori processus per eundem Antonium habitos et ipsas easdem litteras nostras apostolica bulla venerabilium Petri et Pauli apostolorum habente impressas ymagines communitas, quarum litterarum auctoritate iidem processus habiti fuerant in publica domo presente copiosa multitudine populi ad exagerationem patrati sceleris incendio publice commiserunt, et quod tu etiam zelus cuius ad illatam in hiis eidem ecclesie tam gravem contumeliam ulciscendam accendi superque accendi nimium debuerat, non solum hec tibi non displicere monstrasti, quinimo sceleratorum scelesta facta huiusmodi approbans venerabili fratri nostro Iacobo episcopo Dertusensi, qui super tam detestabilibus spirituali medicina compescendis iniuriis a nobis mandatum receperat spetiale, misso per te ad eum quodam tuo domestico nuncio cum regiis et credencia litteris, inhibere per eundem nuncium quod nostrum super hoc mandatum aliquod exequi nulla ratione presumeret sub pena, ut verbis utamur ipsius nuncii, regiorum amoris et gracie attemptasti, graves minas subinferens quod si contrarium idem episcopus faceret, contingeret in persona propria utique male sibi. Fertur etiam quodlibet prudencia regia non ignorat vel non debeat ignorare, quod ad ordinarios locorum episcopos de iure ac approbata consuetudine pertinet, de legatis ad pias causas et de bonis, in quibus Christi pauperes instituuntur heredes in ultimis voluntatibus fidelium defunctorum ab executoribus voluntatum huiusmodi rationes exigere ac audire causasque dirimere sique super hiis oriuntur et executores alios defunctis primis executoribus surrogare. Tu tamen quorundam tuorum consiliariorum insane consilio, ut probabiliter credimus, persuasus nec omnia ad seculare fortius pertinere forum promulgata iniqua constitutione super hoc specialiter declarasti, quodque licet ab executoribus earundem voluntatum per ecclesiasticos iudices super hiis rationes interdum audire fuerint et decise, dicti tamen officiales tui audienciam et examinationem huiusmodi rationum reiterant ac si a non competentibus iudicibus facte forent et quod memorati offici-

FUNDACIÓ NOGUERA

ales tui cognicionem negociorum dictorum legatorum et institutionum pretextu inique tue constitutionis huiusmodi usurpantes, dum de ecclesiarum iure proponitur vel excipitur coram eis huiusmodi ecclesiarum iura proponentes ipsarum obaudiunt et qualibet allegatione fori omnino reiecta conventos super hiis coram eis respondere compellunt officiales ecclesiasticos si qui eorundem tuorum officialium in hac parte potestatis abusum impedire presumunt, clericali ordini et deo cuius clerici ut premittitur sunt ministri, nulla reverentia vel honore delatis cupientes et captos ad te cum ignominia transmittentes et quod idem officiales tui duos viros notabiles in sacris ordinibus constitutos datorum doctores duorum etiam episcoporum in regnis seu terris eiusdem consistentium vicarios ecclesiarum iura super huiusmodi negociis prosequentes ignominiose gerunt et ad te captivos ignominiosius destinarunt. Asseritur etiam quod licet aliqui laici in curiis ordinariorum ipsorum intervenientes fideiussores pro clericis se ad ipsos representandos clericos obligent aut alias in contractibus, qui inter contrahentes laicos celebrantur interdum iurisdictioni episcoporum ipsorum voluntarie se summittant, tamen per tuam sine lege legem prohibetur eisdem, ne ipsi laici coram eisdem episcopis possint aut debeant conveniri, quodque licet de antiqua et approbata ac hactenus pacifice observata consuetudine in eisdem regnis et terris tuis fuerit observatum, quod iidem ordinarii ad solvendum sibi et subditis eis personis ecclesiasticis in eorum civitatibus et diocesibus beneficia ecclesiastica obtinentibus fructus et redditus eorum ecclesiasticos compulerunt, ipsi tamen officiales tui pretextu nove constitutionis contra ius et iustitiam super hoc per te ut asseritur promulgate laicos qui in curiis ecclesiasticis pro huiusmodi fructibus et redditibus quandoque trahuntur respondere de iure prefatis ordinariis et personis in dictorum ordinariorum curiis non permittunt. Unde sit quod dicti ordinarii et persone dum contra consuetudinem huiusmodi venire nolentes laicos in temporalibus convenire curiis pretermittunt, gravia in eorum paciuntur iuribus detrimenta. Quosdam preterea fratres ordinis fratrum beate Marie de Montecarmeli pro eo quod depositioni seu absolutioni cuiusdam prioris provincialis eorum provincie Cathalonie in ipsorum provinciali capitulo diebus proxime preteritis celebrato rationabiliter facte, prebuere consensum, tu absolutionem seu dispositionem huiusmodi asserens in preiudicium iurisdictionis tue regie attemptatam de predictis regnis et terris tuis banniens diceris relegasse, quasi ad te pertineant in regnis et terris ipsis de ecclesiasticis personis atque negociis sicut de temporalibus quibusque disponere pro libito voluntatis. Rursus cum duo clerici Cesaraugustani suspecti de laicali homicidio dicerentur, quidam officiales tui et irrati civitatis Cesaraugustane non attendentes quod eis

FUNDACIÓ NOGUERA

in clericos animadverte ipsos vel alios eorundem auctoritate prohibente canonum non licebat et rationis iuditium voluntate noxia captivantes dictos clericos capi et ferreis compedibus detineri ac tandem eos, quamquam dilectus filius .. officialis Cesaraugustanus ad quem ex commissa sibi auctoritate ordinaria pertinebat eorum puratio si huiusmodi homicidium aut alia crimina probata fuissent forsitan contra eos legitime requisivisset eosdem, seque paratum offerret de illis iusticiam ministare in obprobrium ecclesiastici ordinis et gravem divine contumeliam maiestatis tractos viliter ad supplicii locum, precipitate in eos capituli sentencia ultimo supplicio tradidisse et non contenti semel occidisse iam mortuos, sed quasi vellent occidere, iterum extincta cadavera illos insepultos diutius detinentes spectaculum prebuisse omnibus asseranterur. Cumque officialis Cesaraugustanus prefatus tam detestabilis facinoris horrore perculsas contra facinorosos huiusmodi exemisset gladium ecclesiastice potestatis officiales tui et iurati predicti eidem officiali Cesaraugustano mortem, si processum propterea presumeret facere aliquem fuerunt ut fertur arroganter nimium comminati, propter quod officialis idem videns iusticiam subactam arbitrio impiorum et territus ex iniusta dictorum clericorum effusione cruoris, elegit tucius furori cedere ac eductum gladium convertere in vaginam, quam per contemptum ab eis executionem illius discrimen incurrere dire mortis. Verum tu hec omnia in quibus fidem, ad quam prestiti per te nobis iuramenti, quod utique personam concernit, vinculum obligat, quisque sane mentis percipit non servatam, non solum dicens dissimulare silencio, sed quod est gravius et animum nostrum pungit acerbius acceptare, non attendens quod ille summus sacerdos Heli etiam in se bonus existens, pro eo quod excessus efficaciter non corripiunt filiorum, in se pariter et in illis vindictam divine animadversionis excepit, dum eisdem filiis in bello peremptis ipse de sella corruens, factis cervicibus expiravit. Tu insuper ut assercio monstravit eadem, claves ecclesie quibus salutis via infidelibus clauditur et fidelibus aperitur, perperam vilipendens quam quam propter neglectam aut quod absit contemptam solucionem annui census in quos nobis et ecclesie Romane prefato pro regnis Sardinie et Corsice que a nobis et ecclesia ipsa tenes in feudum et pro quibus nobis et illi subditus et ligius vassallus existis, teneris ut nosti ac proprietatem commissionem et assensum tam gravium excessuum predictorum, si ut premittitur, excessus huiusmodi veri sunt, sis diversis excommunicationum sententiis innodatus, coram te facias divina solenniter non sine iniuria catholice fidei officia prophanari, cum tamen tanto quis debeat abstinere a licitis quanto se meminit illicita perpetrasse donec reconciliatus deo dignos penitentie fructus afferens capas gracie sit effectus. Sed nec silencio preterimus, quod

FUNDACIÓ NOGUERA

tu nescimus quorum ductus ne dicamus seductus consilio tabelliones auctoritate apostolica constitutos, quibus ubique terrarum licet ex auctoritate commissi eis officii publici contractus legitimos de quibuscumque negociis inter contrahentes quoslibet celebratos in publica redigere documenta in eisdem tuis regnis et terris instrumenta conficere publica et confectis uti in iuditio vel extra iudicium diceris prohibere. Hec et alia plura que longum esset nimis singulariter singula recensere gravamina, iniurias et offensas in eisdem regnis et terris tuis in se ac suis eidem inferri dicuntur ecclesie, hec a subdito domina hec mater a filio paci fertur, que si sociam sicut fertur habeant veritatem, tanto nos gravius sauciant, quanto profecto maioris culpe te arguunt et quanto potius catholici principes saluti et nominis contrariantur ac fame. In hiis eternus rex regum per quem regio sedes in solio nimis offenditur, in hiis non exhibetur debita reverentia domine ac matri digna honorificentia non desertur, quinimo gravibus eadem mater et domina opprobriis lacessita conqueritur graviter et gravioribus affectu contumeliis gravius lamentatur, nullius itaque adulatione palpante ac subdola permittas ad hoc tuam pertrahi puritatem, nullius iniquis persuasionibus tuam circumveniri prudentiam, nullius fallacibus suggestionibus inclinari virtutem constancie ac algere zelum pure tue fidei paciaris, nullius seductionibus acquiescas, quinimo si quandoque aliqui quorum sunt sensus proclivi ad malum, aures tuas talibus pulsare temptaverint, tu eis illarum claude concite ostium, ut cordis intima non propulsent, nullus te blandis sermonibus in tuorum successuum prosperitate sustollat, quinimo in conspectu dei tui tanto humilior semper appareas, quanto ille te benigniori prospexit intuitu, quantoque processus tuos felicioribus successibus fecundavit, memor quod ille Nabuchodonosor princeps magnus fuit commutatus in Beluam, quia nimia felicitate successuum in superbiam elevatus, nullum sue potentie posse resistere inaniter cogitavit, deus enim humilimus superborum, quibus resistit corda non incolit, sed apud humiles quibus suam largitur graciam, suam eligit mansionem et quamvis misericors legatur et paciens describitur, tamen deus zelotes et dominus ulcionum. Noli ergo, noli adversariorum ecclesie contra illam pravis assentire consiliis, noli sub conservandorum tuorum iurium conficto pretextu pati ecclesiarum iura discerpi et libertatem ecclesiasticam conculcari, noli in membris suis sustinere ipsius persecutionem ecclesie, quoniam omnipotens dominus, qui cuncta largitur ex alto prospiciens, facit ut plerumque propriis careat, qui concupiscit, indebite aliena et Pharaonem illum persequentem diebus illis ecclesiam, idest congregationem tunc fidelium Iudeorum, cum exercitu suo excussit in mare. Redemptor etiam noster adversus eandem ecclesiam quam solus ipse funda-

FUNDACIÓ NOGUERA

vit et consecravit cruore proprio quamque regit gubernat et protegit portas inferri idest abusum secularium potestatum prevalere non sinit, quinimo virgam sue virtutis emittens, scabellum pedum suorum ipsius posuit inimicos, nam in fundamento solido angularis lapidis, qui missus est Christus eadem ecclesia firma consistens et si quatitur non conteritur turbinibus tempestatum, quinimo conquassatis in terra multorum capitibus super bonum cervicem erigentium contra eam consurgit cotidie fortior velut acies invicta castrorum. Quapropter serenitatem tuam monemus requirimus et hortamur in domino attentius obsecrantes tibique tue salutis intuitu iniungentes, quatinus premissa omnia si ut premittitur vera sunt pro divine maiestatis reverentia nostre interventionis obtentu et ipsius tue consideratione salutis, emendans prudenter et corrigens studiose ac ab hiis et eis similibus decetero abstinens et officiales ac ministros ipsos aliosque subditos tuos omnino compescens ecclesiis et personis eisdem pro iniuriis et offensis huiusmodi eis sed et nobis etiam ut prefertur illatis emendam et satisfactionem debitas exhibeas et facias exhiberi, ordinaciones insuper seu constitutiones huiusmodi et alias quaslibet derogantes eidem ecclesiastice libertati, si que per te aut aliquem ex progenitoribus tuis fuerint forsitan promulgate non differas revocare, cum sapientis sit mutare consilium sitque laudabilis studii emendare prudenter errata, ecclesiis et personis ipsis ecclesiasticis earum iura custodias et conserves etiam libertates ac in manutenendis illis sic tui favoris presidia impertiaris eisdem ac super hiis omnibus, provisionis tue necessarie utique adhibeas remedia oportuna, quod devotionis et fidei tue zelus qui non leviter cepuisse videtur, erga ipsam ecclesiam recalescens, premissorum obiceret omnino memoriam et in sinceritate ipsius ecclesie caritate ac dilectione conservet, ut eadem ecclesia erga te ipsamque domum tuam prosecutionis solite continuante favores, solium regium stabilius roboretur, et nos correctionis apostolice lunam, ad quam nos excitat zelus domus domini eiusdem videlicet ecclesie sponse nostre, impellit ipsa iusticia et tue insuper consideratio salutis inducit et necessitas etiam persuadet apponere super hiis non cogamur. Ceterum precibus et hortationibus nostris adicimus, ut que dilecti filii Parisius prior provincialis provincie Provincie et Rogerius de Palheriis Predicatorum et Minorum fratrum ordinum sacre theologie magistri apostolice sedis nuncii latores presentium viri utique probate virtutis, quos ad te presentialiter mittimus, vel alter eorum super hiis et quibusdam aliis, que ipsis referenda sublimitati tue pro parte nostra commisimus vive vocis ministerio explicabunt, credas indubie illaque ad effectum sperate ac votive satisfactionis adducas, nec mirens si te filium in Christo carissimum

FUNDACIÓ NOGUERA

non vocamus, quoniam stilus Romane ecclesie non patitur, qui consuevit in talibus ab antiquo servari.

Dat. Avinione, XI Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Nono.

1072

1351 juliol 8, Avinyó

Climent VI concedeix a Saura de Malla, vídua de Guillem de Malla de Barcelona, indulgència per poder elegir un confessor que pugui donar-li la plena remissió dels seus pecats.

A Barcelona, Biblioteca de Catalunya, Pergamins, R. 12162.
a Butlla perduda.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecte in Christo filie Saure de Medalia relicte quondam Guilelmi de Medalia vidue Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex tue devotionis affectu quo nos et Romanam ecclesiam revereris, ut petitiones tuas illas presertim, que anime tue salutem respiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor quem duxeris eligendum omnium peccatorum tuorum de quibus corde contrita et ore confessa fueris, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem tibi in sinceritate fidei, unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tue tenore presentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendendi eam tibi per te si supervixeris, vel per heredes tuos si tunc forte transieris faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini ut prefertur. Et ne quod absit propter huiusmodi gratiam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VIII Idus Iulii, pontificatus nostri anno Decimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1073

1351 octubre 24, Vilanova d'Avinyó

Climent VI dispensa, a petició del rei de França (Joan II), els infants Lluís, comte d'Anjou, fill del rei Joan II de França, i Joana, filla de Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), de l'impediment de consanguinitat en quart grau, per contraure matrimoni.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 73.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 329, doc. 666.

CLEMENS VI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Ludovico comiti Andegavensi nato carissimi in Christo filii nostri Iohannis Francie et dilecte in Christo filie Iohanne nate carissimi in Christo filii nostri Petri Aragonum regum illustrium salutem et apostolicam benedictionem. Et si inter illos qui consanguinitatis vel affinitatis linea invicem sunt connexi sacrorum canonum instituta matrimonialem copulam interdicant, summus tamen pontifex ex plenitudine potestatis quam non ab homine obtinet sed a deo considerata personarum et temporum qualitate utiliora prospiciens nonnunquam rigorem mansuetudine maxime circa sublimes personas pro posse regnantium temperet et regnorum et quod negat iuris rigor indulget provide dispensando de gratia speciali. Sane nobis nuper pro parte vestra exhibite petitionis series continebat quod carissimi in Christo filii nostri Iohannes Francie et Petrus Aragonum reges illustres genitores vestri sinceritatem dilectionis que mutuis caritatis affectibus inter ipsos hactenus viguit, renovare nove connexionis federe cupientes vos invicem desiderant matrimonialiter copulari, sed quia quarto consanguinitatis gradu vos invicem contingitis, id efficere non obtenta super hoc dispensatione apostolica non valetis. Quare nobis pro parte vestra fuit humiliter supplicatum ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur prefati Iohannis regis nobis super hoc humiliter supplicantis vestris supplicationibus inclinati, ut vos impedimento quod ex consanguinitate huiusmodi provenit non obstante inter vos vel iidem genitores vestri pro vobis minoribus annis ut asseritur sponsalia et cum ad etatem ad id aptam perveneritis matrimonium libere contrahere et in eo postquam contractum fuerit remanere licite valeatis, vobiscum ex causis premissis et aliis nobis expositis auctoritate apostolica de speciali gratia tenore presentium dispensamus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam decernentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre dispensationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis

FUNDACIÓ NOGUERA

autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIIII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Decimo.

1074

1351 octubre 26, Vilanova d'Avinyó

Climent VI concedeix al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) la dispensa, per aquesta vegada, als paers de Lleida de l'observança del capítol de l'Estatut jurat que prohibeix exigir cap impost als seus ciutadans. La dispensa es fonamenta en el fet que aquests havien donat la seva conformitat a les Corts Generals per a la imposició d'un d'impost amb motiu de sufragar les necessitats de Sardenya.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 74.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 329-330, doc. 667.

CLEMENS VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Preclara tue celsitudinis merita quibus redderis conspectui nostro gratus et zelus devocionis precipue quo nos et Romanam ecclesiam revereris, exposcunt ut votis tuis in hiis maxime per que tuis oportunitatibus consulatur quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Sane pro parte tua fuit nobis expositum quod cum nuper in curiis tuis generalibus sindici communitatum et universitatum castrorum villarum et aliorum locorum regnorum et terrarum tuorum convenientes pro incumbentibus tibi racione maxime regni tui Sardinie necessitatibus comodius supportandis impositionem seu assisium concessissent dilecti filii sindici civitatis Ilerdensis qui cum aliis in curiis ipsis convenerant petitioni pro parte tua eis facte super hoc responderunt, quod licet in civitate ipsorum esset statutum quoddam iuramento vallatum inter cetera continens, quod numquam inibi assisium vel impositio esse possit, tamen ipsi libenter tibi assisium seu impositionem concederent si tu eis dispensationem super iuramento huiusmodi impetrares. Nos igitur in concessione huiusmodi assisii vel impositionis tuam et dicti regni Sardinie utilitatem publicam prosequentes tuis supplicationibus inclinati, serenitati tue ut dilecti filii paciarii et universitas eiusdem civitatis Ilerdensis tibi assisium seu impositionem huiusmodi non obstante iuramento predicto hac vice concedere valeant auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino homi-

FUNDACIÓ NOGUERA

num liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Decimo.

1075

1351 octubre 27, Vilanova d'Avinyó

Climent VI concedeix a l'arquebisbe de Tarragona (Sanç López d'Ayerbe), al bisbe Hug (Desbac), electe d'Urgell, i a l'oficial d'Elna, a petició del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), la facultat per absoldre els seus oficials, familiars, laics i clergues de l'excomunió en la qual han incorregut els que cometeren violència o cooperaren en la detenció de Bernat Alanham, ardiaca de Benasc de l'església de Lleida, legat seu, quan era a Lleida, i de la irregularitat per haver celebrat els oficis divins mentre era present el rei, que estava excomunicat.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 76.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 330, doc. 668.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 354, doc. 2516.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. archiepiscopo Terraconensi et dilectis filiis Hugoni electo Urgellensi ac .. officiali Elnensi salutem et apostolicam benedictionem. Carissimus in Christo filius noster Petrus rex Aragonum illustris nobis significare curavit, quod nonnulli officiales et familiares sui clerici et laici quorum aliqui quondam Bernardum Alanhani archidiaconum Benascensem in ecclesia Ilerdensi apostolice sedis nuncium tunc viventem dei timore postposito et spreta dicte sedis reverencia iniectis in eum manibus temere violentis ceperunt et aliquandiu detinuerunt enormiter, licet restitutus fuisset postmodum libertati et quidam captioni et detencioni huiusmodi dederunt auxilium consilium et favorem penitencia ducti ab excommunicationis sententia quam propter hoc incurrerunt desiderant se absolvi. Quare memoratus rex salutem desiderans officialium et familiarium eorundem ac eos a laborum et expensarum oneribus que in veniendo ad sedem eandem pro absolucionis beneficio ab huiusmodi sentencia obtinendo haberent de necessitate subire, pie compassionis affectu cupiens revelari nobis humiliter supplicavit ut officialium et

FUNDACIÓ NOGUERA

familiarium absolucionem huiusmodi ab eadem sententia committere in partibus dignaremur. Nos igitur erga delinquentes eosdem consideracione regis ipsius rigorem super hoc temperare clemencia et cum eis misericorditer agere intendentes vobis et unicuique vestrum officiales et familiares eosdem clericos et laicos omnes et singulos, qui in captione et detentione huiusmodi ut premittitur excesserunt, si hoc humiliter pecierint ab huiusmodi sentencia auctoritate nostra in forma ecclesie absolvendi iniuncta eis pro culpe modo penitencia salutari ac aliis que de iure fuerint iniungenda et cum clericis qui sic ligati ac hiis eciam qui scientes eundem regem huiusmodi sentencia innodatum coram eo celebrando divina vel immiscendo se illis aut in susceptis ordinibus non tamen in contemptum clavium irregularitatis maculam contraxerunt, super irregularitate huiusmodi eadem auctoritate dispensandi plenam concedimus auctoritate apostolica tenore presencium facultatem.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Decimo.

1076

1351 octubre 27, Vilanova d'Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que aprova el subsidi atorgat a les Corts Generals per l'estament eclesiàstic per sufragar les grans necessitats dels seus regnes, singularment a Sardenya.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 78.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b VINCKE, *Documenta selecta*, p. 403, doc. 536.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 330-331, doc. 669.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes sincere devotionis affectum quo Romanam ecclesiam matrem tuam filialibus studiis revereris, et considerantes etiam quantum tu velut princeps catholicus et ex catholicis parentibus editus libenter ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum intendis statui et honori, dignum ducimus, ut rationabilibus votis tuis quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Sane pro parte tua fuit nobis nuper expositum, quod incumbentibus tibi pro regnorum et terrarum tuorum, presertim regni Sardinie quod a nobis et eadem ecclesia tenes in feudum prospere dirigendo et conservando statu gravibus oneribus

FUNDACIÓ NOGUERA

expensarum, quas evitare non poteras, necessitate compulsus venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos ac dilectos filios electos abbates priores decanos prepositos archidiaconos archipresbiteros et alios ecclesiarum et monasteriorum prelatos et clericos ecclesiasticasque personas seculares et regulares necnon capitula et conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum ac aliorum locorum ecclesiasticorum de regnis et terris eisdem in curiis tuis generalibus et alias requisivisti, ut ipsi pro se ac eorum subditis de dictis regnis et terris de alicuius subventionis auxilio pro huiusmodi oneribus expensarum supportandis commodius providerent, et quod quidam ex eis subvenire tibi sub ea tamen conditione liberaliter concesserunt, si nostrum ad id accederet beneplacitum et assensus. Nos igitur intuentes quod in prosperitate status regnorum et terrarum ipsorum status archiepiscoporum et episcoporum necnon electorum abbatum priorum decanorum prepositorum archidiaconorum archipresbiterorum prelatorum clericorum personarum capitulorum et conventuum ac ecclesiarum monasteriorum et subditorum predictorum etiam prosperatur, tuis supplicationibus inclinati subventiones et subsidia huiusmodi tibi ab archiepiscopis et aliis prelatis ut premittitur concessa rata habemus et grata et nichilominus serenitati tue, ut illi ex eis qui nondum subvenire promiserunt et subvenire voluerint tibi, non obstantibus constitutionibus apostolicis aut aliis contrariis quibuscunque subvenire possint hac vice auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Decimo.

1077

1351 novembre 6, Avinyó

Climent VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que ha rebut el pagament de dos mil marcs d'argent, a través dels familiars reials Bernat d'Olzinellas, doctor en lleis, tresorer, i Hug de Cardona, ciutadà de Barcelona, lliurats a favor del rei Pere, com a cens corresponent a l'any en curs pel feu de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 75.

a Butlla amb fil de cànem.

FUNDACIÓ NOGUERA

b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 331, doc. 670.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, III, p. 222, doc. 5105.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum pro regnis Sardinie et Corsice que a nobis et ecclesia Romana tenes in feudum et pro quibus noster et ipsius ecclesie ligius vassallus existis singulis annis in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum censum duorum milium marcharum bonorum et legalium Sterlingorum solvere ipsi ecclesie tenearis et per dilectos filios Bernardum de Ulzinellis legum doctorem thesaurarium decem milia et Huguetum Cardone civem Barchinonensem familiares tuos trecentos trigintatres florenos et terciam partem unius floreni auri boni ponderis qui sunt in summa duo milia marcharum huiusmodi Sterlingorum qualibet marcharum ipsarum pro quinque florenis auri et duobus grossis Turonensibus argenti et uno quoque florenorum ipsorum pro duodecim grossis Turonensibus argenti etiam computatis eidem ecclesie die dat. presentium pro huiusmodi censu anni unius completi in huiusmodi festo eorundem apostolorum proxime preterito duxeris realiter persolvenda. Nos te de huiusmodi duobus milibus marcharum Sterlingorum per te pro eodem termino ut premittitur persolutus presentium tenore liberamus absolvimus et quittamus.

Dat. Avinione, VIII Idus Novembris, pontificatus nostri anno Decimo.

1078

1351 novembre 11, Avinyó

Climent VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que prengui favorablement Folc de Pereiro, canonge de Barcelona, nomenat legat seu als regnes en substitució del difunt Bernat Alanham, ardiaca de Benasc (diòcesi de Lleida), a l'església de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 77.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 331-332, doc. 671.
c DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 358, doc. 2551.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Attendentes quod quondam Bernardo Alanhani archidiacono Benascensi in ecclesia Barchinonensi in regno tuo apostolice sedis

FUNDACIÓ NOGUERA

nuntio viam universe carnis ingresso non est, qui prosecutioni negotiorum camere nostre vacet. Nos volentes indempnitati eiusdem camere providere dilectum filium Fulconem de Pererio canonicum Barchinonensem apostolice sedis nuntium eidem Bernardo duximus surrogandum. Cum autem prefato Fulconi circa sui prosecutionem officii favor tuus sit non modicum oportunus, serenitatem tuam attente rogamus, quatinus eundem Fulconem in prosecutione commissorum negotiorum eidem sic tui favoris presidio prosequaris sicque ipsum habeas nostre interventionis obtentu propensius commendatum quod nos serenitatem eandem dignis gratiarum actionibus prosequamur.

Dat. Avinione, III Idus Novembris, pontificatus nostri anno Decimo.

1079

1351 desembre 18, Avinyó

Climent VI dóna gràcies el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) pel seu interès per la seva salut durant la malaltia de la qual es troba molt millor.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 79.
a Butlla amb fil de cànem.
b DÉPREZ - MOLLAT, *Clément VI, lettres intéressant les pays autres que la France*, p. 360, doc. 2565.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 332, doc. 672.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Quanta sit tibi ad nos fili carissime caritas etsi multorum operum patuerit hactenus argumentis, nunc tamen ociosa non tepuit dum audito quod nos gravis infirmitas detinebat, nuncium et litteras tuas ad quosdam ex fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus destinasti, ut de statu nostro nova perciperes, et te in passione nostra pati insinuans, que ad recuperande salutis gratiam tua posset filialis devotio liberaliter exhiberes, super quo huiusmodi tue caritatis affectum que hanc tibi solicitudinem indidit, debitis gratiarum actionibus prosequentes, scire te volumus quod licet aliquibus diebus preteritis graviter nos anxiaverit discrasia corporalis, ille tamen pius omnium conditor et redemptor, qui vulnerat et medetur, et in se sperantes erigit sospitate infirmitati nostre, dum fortius seviret, finem imposuit et nos prioris restituit beneficio sospitatis, quamvis adhuc aliqualis debilitatis reliquiis teneamur, vota tua que nobis filiali poteris insinuare fiducia favoribus apostolicis prosequi prestante domino disponentes.

Dat. Avinione, XV Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Decimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1080

1352 febrer 20, Avinyó

Climent VI concedeix a l'infant Joan, primogènit del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) i duc de Girona, la facultat per poder manar celebrar la santa missa abans de l'aurora, quan ho exigeixin els seus assumptes, utilitzant, però, poc l'indult.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 80.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 332, doc. 673.

CLEMENS VI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Iohanni carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris primogenito duci Gerundensi salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur ut te in hiis presertim favorabiliter prosequamur, per que divinis officiis intentus existas et spiritualis salutis tibi proveniat incrementum. Hinc est quod nos oblatis nobis pro parte tua supplicationibus inclinati, ut missam antequam illucescat dies circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negociorum pro tempore ingruencium id exegerit, liceat tibi per proprium vel alium sacerdotem ydoneum facere celebrari, ita quod nec tibi nec sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari, tenore presencium indulgemus. Proviso quod parce huiusmodi concessione utaris, quia cum in altaris officio immoletur dominus noster dei filius Ihesus Christus, qui candor est lucis eterne, congruit hoc non in noctis tenebris fieri sed in luce. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, X Kalendas Marcii, pontificatus nostri anno Decimo.

1081

1352 abril 5, Avinyó

Climent VI prega Bernat de Cabrera, cavaller, i l'exhorta, que procuri inclinar l'ànim del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) cap a la pau amb el Comú de Gènova i el dux de Venècia, entre altres raons perquè la guerra seria molt perjudicial per als interessos cristians d'Orient.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 81.

FUNDACIÓ NOGUERA

a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 333, doc. 674.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Bernardo de Capraria militi salutem et apostolicam benedictionem. Quantum nobis cordi sit nocivam discordiam periculis multis plenam, quam peccatis exigentibus inter dilectos filios Venetorum et Ianuensium communia pacis emulus suscitavit, omnino succidere, cum adhuc esses apud sedem apostolicam constitutus, satis ex verbis que tecum super hoc habuisse recolimus, perpendere potuisti. Et ideo cum nos carissimo in Christo filio nostro Petro regi Aragonum illustri, a quo ipsius negotii dependet effectus, scribamus iuxta formam cedule intercluse, sicut fama referente percepimus, idem rex libenter sanis consiliis acquiescat, attente rogamus per misericordiam dei affectuosius obsecrantes, quatinus apud memoratum regem quod nostris in hac parte precibus annuat pro divine maiestatis reverentia tue consideratione salutis publice utilitatis intuitu et nostre interventionis obtentu des operam efficacem.

Dat. Avinione, Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno Decimo.

1082

1352 abril 18, Avinyó

Climent VI recomana al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) el bisbe Francesc (de Montoliu), electe d'Elna, prior de l'església de Tortosa. La vacant es produí pel trasllat d'Esteve (Malet) de la diòcesi d'Elna a la de Tortosa.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 82.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 333, doc. 675.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Divine retributionis premium et preconium laudis acquiritur, si prelatis ecclesiarum et hiis presertim qui pontificali dignitate prediti fore noscuntur, condignis honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Nuper siquidem ecclesia Elnensis ex eo pastoris regimine destituta quod nos venerabilem fratrem nostrum Stephanum Dertusensem tunc Elnensem episcopum apud sedem apostolicam constitutum a vinculo quo tenebatur eidem Elnensi ecclesie cui tunc preerat, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad Dertusensem ecclesiam tunc vacantem duximus transferendum

FUNDACIÓ NOGUERA

preficiendo eum dicte Dertusensi ecclesie in episcopum et pastorem. Nos volentes eidem Elnensi ecclesie ne dispendia longe vacationis incurreret paterna solicitudine precavere, cum nullus preter nos ea vice de ipsius ecclesie Elnensis ordinatione se intromittere posset pro eo quod nos diu ante vacationem huiusmodi eiusdem Elnensis ecclesie provisiones omnium cathedralium ecclesiarum tunc apud sedem predictam vacantium et inantea vacaturarum dispositioni nostre duximus specialiter reservandas, decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Post deliberationem quam de preficiendo eidem Elnensi ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem demum ad dilectum filium Franciscum electum Elnensem priorem ecclesie Dertusensis in sacerdotio constitutum religionis zelo ac litterarum scientia preditum in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum aliisque multiplicium virtutum meritis prout testimonio fidedigno percepimus insignitum duximus oculos nostre mentis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis de persona eiusdem Francisci ipsi Elnensi ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod dicta Elnensis ecclesia sub ipsius Francisci felici regimine gratia sibi assistente divina in eisdem spiritualibus et temporalibus grata susscipiet incrementa. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus dei ministros et presertim pontificali dignitate preditos benigno favore prosequi ac eosdem verbis et operibus pro eterni regis gloria venerari, excellentiam regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eidem electo ob reverentiam sedis predicte et nostram te sibi reddas favore regio munificum et in suis oportunitatibus gratiosum, ita quod idem electus tue celsitudinis fultus auxilio in commissa sibi cura pastoralis officii possit assidue deo propitio prosperari ac tibi exinde a deo perhennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Decimo.

1083

1352 abril 30, Vilanova d'Avinyó

Climent VI concedeix al prior i al convent del monestir de Sant Jaume de Vallparadís de l'orde de la cartoixa, diòcesi de Barcelona, novament fundat, indulgència per gaudir de tots els privilegis, exempcions, immunitats i gràcies atorgades per la Seu Apostòlica a aquest orde.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, Montalegre, carpeta 31, núm. 1510.
a Butlla perduda.
b SOLER I JIMÉNEZ, *La cartoixa de Sant Jaume de Vallparadís*, p. 38-39, doc. 6.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. priori et conventui monasterii sancti Iacobi Vallisparadisi per priorem soliti gubernari Cartusiensis ordinis Barchinonensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Religionis vestre meretur honestas ut illa vos gratia favorabiliter prosequamur, quam vobis et personis vestri monasterii pro divini cultus augmento fore conspicimus oportuna. Hinc est quod nos dilecti filii .. prioris generalis monasterii Cartusiensis per priorem soliti gubernari Gratianopolitane diocesis vestrisque supplicationibus inclinati, ut in monasterio vestro sancti Iacobi Vallisparadisi Cartusiensis ordinis Barchinonensis diocesis quod de novo asseritur esse fundatum eo devotius divinis laudibus visitatur, quo vos filii prior et conventus ipsius monasterii sancti Iacobi per priorem soliti gubernari maioris libertatis privilegiis fueritis communiti, vobis priori et conventui prefatis singulisque personis dicti monasterii vestri presentibus et futuris ipsique vestro monasterio ut omnibus et singulis privilegiis exemptionibus immunitatibus et gratiis gaudeatis et perfruamini, quibus persone monasteria et loca alia prefati ordinis a sede apostolica eis concessis seu indultis gaudent et etiam perfruuntur auctoritate predicta tenore presentium de speciali gratia indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Kalendas Maii, pontificatus nostri Anno Decimo.

1084

1352 juliol 15, Avinyó

Climent VI dóna gràcies el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) per l'acolliment dispensat a Raterio Roger, familiar i legat seu, enviat per gestionar la pau amb els genovesos i venecians, i al qual ell envia de nou per convocar-lo a una entrevista a Avinyó amb el dux de Venècia i el Comú de Gènova.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 47, núm. 83.
a Butlla amb fil de cànem.

FUNDACIÓ NOGUERA

b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 333-334, doc. 676.
c DÉPREZ - GLÉNISSON, *Clément VI, lettres se rapportant à la France*, III, p. 283, doc. 5366.

Clemens VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius Raterius Rogerii serviens armorum et familiaris noster lator presentium quem ad magnitudinem tuam pro negotio pacis inter te et dilectos filios commune civitatis Ianuensis auctore domino reformande pridie misimus litteras tuas nobis super huiusmodi negotio quas paterna benignitate recepimus, attulit et quam benigne ipsum receperis honoranterque tractaveris seriose ac prudenter expressit. Super quo sincere devotionis affectum qua nos et Romanam ecclesiam matrem tuam filialibus studiis revereris et que in hiis sicut et aliis claris inditiis claruit, dignis prosequimur actionibus gratiarum. Ceterum quia huiusmodi negotium dampna dispendia et pericula gravia quibus occasione discordie tue ac civium predictorum subiacet populus christianus et precipue orientium partium attendentes et memores, quam graviter populum ipsum in congressu partium dominus peccatis exigentibus diebus proximo preteritis flagellavit, gerimus summe cordi apud pietatem tuam et dilectum filium nobilem virum .. ducem Venetiarum ipsosque cives Ianuenses pro huiusmodi reformatione concordie providimus denuo insistendum sperantes, quod ille rex pacificus per quem regio sedes in solio quique mari et ventis imperat et cessare facit spiritum tempestatis tuum et ducis ac civium predictorum corda gratie sue licere mollificans disponet ad pacem et ad concordiam preparabit. Et ideo serenitatem tuam monemus requirimus et hortamur attente rogantes ac per viscera misericordie dei et aspersionis ipsius pretiosi sanguinis attentius obsecrantes, quatinus ea que compendiose premisimus ex quibus plurima circumspectio regia potest elicere intra pectoris tui claustra revolvens et considerans quam gratum prestabis obsequium in huiusmodi concordia deo tuo et quam graviter ipsum offenderes, siquod absit bonum pacis quam a te multi dependere asserunt occasione tui contingeret impediri, aliquos viros probos zelum dei eiusque timoris habentes cum pleno et sufficienti mandato ad tractandum ordinandum et oportunis firmitatibus roborandum huiusmodi concordiam super omnibus que occasionem discordie prestiterunt, ad nos mittere sublimitas tua velit. Ita quod in festo Nativitatis beate Marie virginis futuro proximo infallibiliter hic intersint, ut ipsis tuis ac dictorum ducis et civium nuntiis quos ad idem festum ad nos per speciales litteras et nuncios etiam evocamus, convenientibus invicem coram nobis huiusmodi negotium prestante pacis actore feliciter terminetur. Super quo nobis per eundem Ra-

FUNDACIÓ NOGUERA

terium quem ad te propterea remittendum duximus nobis quicquid agendum duxeris rescribere serenitas ipsa velit. Super negotio denique regni Sardinie et Corsice dictis communi Ianuensi scribimus et cum sicut tuam sic et nostram ac ecclesie Romane interesse in hac parte versetur proponimus dare apud eos operam efficacem, quod iura tua diminutionis ulterius non sentiant detrimenta.

Dat. Avinione, Idus Iulii, pontificatus nostri anno Undecimo.

1085

[.....], Avinyó

Climent VI atorga indulgència a tots el fidels cristians que visitin i donin almoines al mestre i als frares d'un orde per la redempció de captius. (Poc llegible.)

A Montserrat, Arxiu de l'Abadia, Pergamins papals, núm. 21.
a Existeix solament la part esquerra del pergamí. Butlla perduda.

CLEMENS (VI) episcopus servus servorum dei. [Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem]. Quoniam ut ait apostolus[43] [omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit sive] malum, oportet nos diem m[essionis extreme misericordie operibus prevenire ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente domino] cum multiplicato fructu rec[olligere debeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat, parce et] metet, et qui seminat in be[nedictionibus], de benedictionibus et metet[44] vitam eternam. [.....] magistro et fratribus ordinis [.....] captivorum redemptione propr[...] [mo]nemus et hortamur in domino [.....] pro ipsorum captivorum redemptione [.....] vosque per hec alia bona qu[...]. [Nos enim de omnipotentis] dei misericordia et beatorum Pe[tri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus] deo collatis pias eis elemosina [.....] valituris quas mitti per questuarios dis[trictius inhibemus eas si secus actu fuerit carere iuribus decernentes].

[Dat. Avinione, ...,] pontificatus [nostri anno ...].

43. II Corintis 5,10.
44. II Corintis 9,6.

FUNDACIÓ NOGUERA

INNOCENCI VI
(elecció 18 desembre 1352; coronació 30 desembre 1352;
† 12 setembre 1362)

1086

1352-1362

Innocenci VI mana al bisbe de Sant Joan de Mauriena i a l'abat de [...] atorgar una prebenda a Joan de Forges, canonge i preceptor de l'església de Vic.

A Lleida, Arxiu Capitular, Calaix 58, Pergamí 21.
a Plica retallada i mig pergamí cremat. Butlla perduda.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Morinensi et dilectis filiis .. abbati [….] salutem et apostolicam benedictionem. Litterarum scientia vite ac morum honestas […]ilia dilecti filii Johannis de Forgis canonici et precentoris [….] testimonio promerentur ut ad ipsum apostolice liberalitatis gratiam extendamus. Cum itaque canonicatus et […] ipsius ecclesie canonicus et precentor […] dilecti filii nostri Hugonis tituli sancti Laurentii in Damaso presbiteri [cardinalis ….] cum decessit vacavissent et vacare noscer[….] tunc nullusque de illis preter nos ea vice potuisset disponer[…] sonatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica tunc apud dictam sedem vacantia et inantea vacatura collation[...] quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Nos volentes dicto Johanni premissorum meritorum […] suo nobis super hoc humiliter supplicantis gratiam facere specialem canonicatum et prebendam cum huiusmodi ann[….] ac animarum cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica dicto Johanni auctoritate con[....] manis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum erat forsan hactenus vel imposterum contingeret attempt[....]. Non ob[...] vel quacumque firmitate alia roboratis aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicatus prebendis ac dignitatibus personatibus vel officiis in dicta ecclesia speciales aut aliis beneficiis ecclesiasticis illis part[ibus ....] et decretum vel alias quomodo libet sit processum, quibus omnibus in assecutione canonicatus et prebende ac [...] assecucionem canonicatuum et prebendarum dignitatum personatuum officiorum et beneficiorum aliorum preiudica[...] vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel previsionem alicuius minime teneantur et ad id com[....]ciis ipsius ecclesie aut beneficiis aliis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quantus aliam displ[...]

FUNDACIÓ NOGUERA

ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel [....] gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in dictis litteris me[….] iuramentum dummodo in absencia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesserit corporaliter ille[…. ….]dem Ilerdensis ecclesiis quandam preposituram seu mensatam que nec dignitas nec personatus sed simplex officium [….] tus Cuintacinta librarum Jaccencium secundum taxacionem decime valorem annuum non excedit ac parrochi[….]. Precentoriam pacifice fuerit assecutus dictam parochialem ecclesiam quam obte[….] averit discretione vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel [….] prebende cum dictis annexis ac precentorie ecclesie Vicensis uniumque et pertinentiarum predictorum induc[….] racorem pro eo in eadem ecclesia ad dictam prebendam cum eisdem annexis recipi in canonicum et in fratrem [….] ad dictam precentoriam ut est moris admitti sibique de ipsorum canonicatus et prebende ac pre[….] dictis, seu si prefatis Episcopo et Capitulo vel [….] suis aliis communiter vel divisim a dicta sede sit indultum [….] de verbo ad verbum de indul[…. ….] reppell[….].

[….. ……] Pontificatus […..].

1087

1352 desembre 24, Avinyó

Innocenci VI exhorta el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que, per causa dels múltiples assumptes que el reclamen amb motiu de la seva recent elevació a la Seu Apostòlica, d'acord amb la comissió papal nomenada pel seu antecessor i els legats enviats a Gènova i Venècia, si bé contra el semblant dels seus, ha acordat una treva fins a l'octava de la Purificació en la lluita que sostenen. Li prega que l'observi i enviï poders suficients als seus missatgers. La comissió papal estava integrada pels cardenals Pere (Després) de Palestrina, Elies Talleyrand (de Pèrigord) d'Albano, Guillem (d'Aure) de Sant Esteve in Monte Celio, i Egidi (Àlvarez d'Albornoz) de Sant Climent.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 1.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 336, doc. 681.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 334, doc. 5963.

Innocentius electus (VI). Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sincere

FUNDACIÓ NOGUERA

caritatis affectus, quo ad tua et publica commoda procuranda inducimur et ex officio servitutis iniuncte quodam districtiori debito obligamur, exegit a nobis ut Romane ecclesie consuetudine qua solet, quod littere novam promotionem Romani pontificis nuntiantes alios ipsius presertim ad principes precedant litteratorie visitationis affatus consuetudine non servata. Prius tibi scriberemus ut pater quam ut est ex alto premissum nos in tuum et universalem patrem tibi nuntiaremus assumptum. Sane felicis recordationis Clemens papa VI predecessor noster pericula gravia que inter te ac dilectos filios Ianuense et Venetiarum communia pacis emulo procurante orta discordia non solum partibus sed universaliter toti christiano populo et presertim orientalium partium preiudicialiter admodum minabatur considerans anxie, et eis per oportuna remedia cupiens salubriter obviare demum post multos labores per eum super hoc diligenter adhibitos et vias exacte quesitas tuis et dictorum communium nunciis ad instantiam suam convenientibus coram eo venerabilibus fratribus Petro Penestrino et Talayrando Albanensi episcopis et dilectis filiis nostris Guil(e)lmo sancti Stephani in Celiomonte ac Egidio sancti Clementis tituli presbiteris cardinalibus commisit atque mandavit, ut accersitis eisdem tuis ac communium predictorum nunciis coram ipsis cum eis que ad pacem forent diligenter exquirerent et prosequi adhibita solicitudine debita procurarent eidem predecessori que reperirent super hoc postmodum relaturi. Et deinde dictis nunciis coram episcopis et cardinalibus constitutis eisdem et per eos mandatis et procuratoriis eorum exhibitis hinc et inde ipsisque per dictos episcopos et cardinales inspectis eis concorditer visum fuit ad hoc ut pacis negotium feliciorem haberet deo dirigente progressum et eo favente solidus vallaretur, quod procuratoria reficerentur huiusmodi iuxta formam quam tibi et communibus pro eo de conscientia et mandato predecessoris ipsius transmiserunt eisdem, ut nulla in eis discrepantia nullaque varietas que posset impedimentum huiusmodi pacis afferre negotio aliquatenus notaretur et sic refecta remitterentur celeriter nuntiis antefatis. Tandem eodem predecessore tela vite succisa in domino quiescente nos ad apicem dignitatis apostolice licet insufficientibus meritis divina dispositione dignanter potius quam digne vocati attendentes, quod propter vacationem ipsius ecclesie huiusmodi tam salutare negotium necessarie caruerat aliquandiu promotionis effectu [...] nos propter occupationes diversas et varias quas inducit negotium confluentium undique in hoc presertim assumptionis nostre primordiis multitudo et ex eo etiam quod huiusmodi mandatum seu procuratorium tuum nondum remis[..as] eidem negotio dare utiliter operam sicut in votis

FUNDACIÓ NOGUERA

precipue gerimus minime poteramus et ei quod dedit consideratio utilitatis publice inchoari oportunam quinimo necessariam prosecutionem deesse volentes matura et debita cum fratribus nostris ipsius ecclesie cardinalibus super hoc deliberatione prehabita inter te dictosque communia ac tuos et eorum vassallos subditos necnon cives districtuales et adiutores ac insuper cum habentibus tecum et cum eis confederationem unionem ligam et quamcunque aliam pactionem quocumque nomine censeatur treugas usque ad octavam diem proxime futurum festum Purificationis beate Marie virginis immediate sequentem duximus auctoritate apostolica indicendas dictorum nunciorum tuorum consensu ad id nullatenus accedente, district[ius] inhibentes ne alterutra partium contra alteram eisdem durantibus treugis per se vel alium seu alios directe vel indirecte aliquid attemptare presumeret quoquomodo ac eos omnes et singulos, siqui forte contrarium facerent, excommunicationis sententiam innodantes ut interim omni prorsus occasione vel causa que impedimenti cuiuslibet obicem posset, quod avertat dominus, dispositis ordinatisque parare principiis omnino sublata ad votivam ipsius consumationem negotii via facilior et progressus liberior haberetur. Et quamvis teneamus indubie fili carissime, quod tu velut pacis amicus ordinationem nostram circa treugarum indictionem huiusmodi inconcusse servabis et quod sicut utilitatis publice que ex pace huiusmodi nascetur amator in huius anxie concupite pacis negotio votis nostris et precum primitiis humiliter et effectualiter condescendes, quia tamen habet sincerus amor hoc proprium ut in rebus concupitis etiam certis stimulis solicitudinis urgeatur, serenitatem tuam requirimus et hortamur attentius in domino deprecantes ac per viscera misericordie sue et ipsius aspersionem pretiosi sanguinis obsecrantes, quatinus treugas huiusmodi velis pro divina et nostra ac apostolice sedis reverentia et ipsius publice utilitatis obtentu gratanter suscipere illasque inviolabiliter observare ac mandare et facere observari ac insuper eisdem nunciis tuis sufficiens mandatum iuxta formam tibi per eosdem episcopos et cardinales ut premittitur destinatam quamcitius poteris destinare ut huiusmodi memorate pacis negotium votive consumationis exitu prestante domino terminetur. Nec mireris si bulla non exprimens nomen nostrum est appensa presentibus, que ante coronationis nostre solennia scripte fuerunt, quoniam Romani pontifices predecessores nostri ante coronationem eorum scribentes consueverunt huiusmodi bulla uti.

Dat. Avinione, VIII Kalendas Ianuarii, suscepti a nobis apostolatus officii anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1088

1353 febrer 1, Avinyó

Innocenci VI comissiona el bisbe d'Osca (Pere de Clasquerí), i li mana, per tal que, escoltats el mestre i els frares del monestir del castell de Montesa, diòcesi de València, informi la Seu Apostòlica sobre la inefícàcia d'aquest orde de Calatrava per a la defensa de les fronteres de València, fonamentat en el fet que, el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) sol·licita que es fusioni amb la de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 2.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 334, doc. 677.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 336, doc. 5969.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Oscensi salutem et apostolicam benedictionem. Dudum pro parte carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris exposito felicis recordationis Clementi pape VI predecessori nostro, quod cum pie memorie Iohannes papa XXII predecessor noster ad clare memorie Iacobi Aragonum regis avi sui supplicationis instantiam monasterium in castro de Montesia Valentine diocesis infra regnum suum Valentie consistente de novo ad honorem dei et exaltationem catholice fidei et depressionem hostium fidei christiane eidem regno vicinantium, in quo fratres ordinis Calatravensis ad quos ipse rex tunc afficiebatur pro defensione regni Valentie ac fidelium incolarum ipsius ab ipsorum infidelium periculosis insultibus collocari deberent, ordinavisset construendum et propterea ipsi monasterio extunc omnia et singula bona et iura que quondam ordo Templi tempore captionis de fratribus ipsius ordinis Templi facte et quicquid etiam hospitale sancti Iohannis Ierosolimitani tempore ordinationis predicte quibusdam tunc expressis bonis dumtaxat exceptis in eodem regno Valentie habebant vel ad ordinem et hospitale predicta pertinebant seu pertinere poterant quoquo modo sub certis modis donavisset imperpetuum et etiam univisset, ipse Petrus rex diligenter attendens quod sicut experientia didicerat, cause predicte que ad fundationem dicti monasterii supplicantem et ordinantem induxerant supradictos presertim circa defensionem dicti regni, cum fratres ipsius monasterii ad id in numero et potentia minus sufficientes existerent speratum fructum non habuerant hactenus nec habebant et quod huiusmodi defensio per fratres dicti hospitalis qui tam in premisso Valentie quam aliis regnis et dominiis dicti regis potentes existunt, potuisset et posset melius exerceri, proque etiam iusticie zelo considerans quod

FUNDACIÓ NOGUERA

premissa que per eundem Iohannem predecessorem circa dicti monasterii regimen ordinata fuerant per dictum regem Iacobum avum suum ex affectione predicta quam ad prefatum Calatravensem ordinem habebat, non absque magno preiudicio hospitalis predicti pro eo maxime quod dictum monasterium tam hospitalis quam ordinis Templi predictorum bonis dotatum fuerat et attentis etiam quibusdam tractatibus habitis in concilio Viennensi forsan minus iuste fuerant procurata quodque etiam extunc monasterium ipsum nullis aliis bonis seu redditibus fuerat ampliatum ex predictis et nonnullis aliis causis etiam tunc expressis pie desiderabat, quod dictum monasterium de Montesia pro divini cultus ac exaltationis fidei et defensionis predictorum maiorisque religionis et hospitalitatis augmento et utilitate etiam dicti monasterii per apostolicam sedem eidem hospitali cum omnibus suis iuribus et pertinentiis imperpetuum uniretur, ita quod decetero per fratres dicti hospitalis imperpetuum regi deberet ac etiam gubernari ac pro ipsius Petri regis parte eidem Clementi predecessori humiliter supplicato ut unionem predictam et alia ad hec expedientia facere dignaretur, dictus predecessor tam cum quibusdam ex fratribus suis sancte Romane ecclesie cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam nonnullis aliis de huiusmodi negocio deliberare cepit prout ipsius negocii qualitas requirebat ipsoque postmodum sicut domino placuit viam universe carnis ingresso nobisque ad apicem summi divina favente gratia apostolatus assumptis pro parte dicti Petri regis fuit etiam nobis humiliter supplicatum, ut in huiusmodi inchoato per eundem Clementem predecessorem negotio procedere dignaremur. Nos itaque de premissis rationibus seu causis ad hec dictum Petrum regem moventibus certam noticiam non habentes et super illis volentes diligentius informari, fraternitati tue de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus vocatis magistro et fratribus dicti monasterii de Montesia de ipsis et aliis quibuscunque rationibus seu causis que circa huiusmodi negocium pro parte dicti Petri regis coram te proposite fuerint et etiam declarate et aliis omnibus negocium ipsum concernentibus quoquo modo te diligenter simpliciter tamen et de plano informare nobisque quecunque per informationem huiusmodi reperies tuis litteris harum seriem continentibus tuoque sigillo munitis quantotius intimare procures, ut super hiis providere consultius valeamus. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint per censuram ecclesiasticam appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere, contradictores censura simili appellatione postposita compescendo. Non obstante si aliquibus communiter vel divisim ab apostolica sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras

FUNDACIÓ NOGUERA

apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

Dat. Avinione, Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Primo.

1089

1353 març 14, Avinyó

Innocenci VI atorga a Ponç de Fenollet, canonge de Lleida, una canongia i una prebenda a l'església de Lleida, vacants per la resignació de Guillem (d'Aura) cardenal prevere del títol de Sant Esteve in Monte Celio.

A Lleida, Arxiu Capitular, Pergamins de Llibres, Calaix A48, ON-289.
a Butlla perduda.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Pontio de Fonollet canonico Ilerdensi salutem et apostolicam benedictionem. [….]tentium congruo favore prosequitur et notis eorum que a ratione tumite non discedant et dilectus filius Rogerius Piccarelle Ilerdensium ecclesiarum canonicatus et prebendas quas […] permutare in manibus dilecti filii nostri Guillermi tituli sancti Stephani in Celiomonte prebiteri dos idem cardinalis resignationet huiusmodi apud dictam sedem de speciali mandato nostro super hoc [….. …] idem prefatam duxerit admittendas. Nos votis tuis in hac parte favorabiliter annuentes predictos canonicatum et prebendam ecclesie Ilerdensis per huiusmodi resignacionem vacantes cum pre[….]io iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et de illis etiam providemus, decernentes prout est irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan est hactenus vel imposterum contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscunque consuetudinibus et statutis dicte ecclesie Ilerdensis contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia Ilerdensis in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant. Seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie Ilerdensis spetiales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus te in assecucione predictorum canonicatus et prebende ecclesie Ilerdensis volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem canonicatuum et prebendarum ac beneficiorum aliorum

FUNDACIÓ NOGUERA

preiudicium generari, seu si venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Ilerdensibus vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum quod ad recepcionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de canonicatibus et prebendis eiusdem ecclesie Ilerdensis ac aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem provisionem presentationem seu quamvis aliam disposicionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel spetiali cuiuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel diferri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Seu si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie Ilerdensis solitum iuramentum dummodo in absencia tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud prestes. Seu quod in Valentinensem canonicatum sub expectacione prebende ac prepositure et dignitatis et in Vicensem sacristiam et in de Xativa ecclesiis perpetuam capellaniam sine cura necnon capellaniam seu prestimonium de Otina et quedam simplicia beneficia de Arters et de Fraxeneto Valentinensis Vicensis et Gerundensis diocesium nosceris obtinere. Nostre tamen intentionis existit quod in predictis canonicatu et prebenda ecclesie Ilerdensis pe[…] ut premittitur tibi collatis ex collatione nostra beneficia de nullum tibi ius quomodo libet acquiratur nisi tu et predictus Rogerius tempore resignationum huiusmodi ius haberetus in canonicatibus et prebendis ecclesiarum Ilerdensis et Gerundensis predictarum per vos taliter resignatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collacionis provisionis et constitucionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, II Idus Martii, pontificatus nostri anno Primo.

1090

1353 juny 5, Vilanova d'Avinyó

Innocenci VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que enviï missatgers a la Seu Apostòlica a la primeria d'agost, a fi de solucionar les seves lluites amb Gènova i Venècia, autoritats que també ha convocat.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 3.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 334-335, doc. 678.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pericula gravia que orta peccatis exigentibus inter te ac dilectos filios Veneciarum et Ianuensium communia amara discordia intulit anxie recensentes et que probabiliter illatura timetur, non sine amaritudine intuentes curis solicitamur assiduis et continue solicitudinis stimulis perurgamur, ut huiusmodi nocivam discordiam in qua non solum partium sed universalia christianitatis deploramus dispendia dampnaque deflemus, possimus omnino succidere et causas illius quaslibet summovere. Et ideo licet laboribus pluribus quos pro illius supputatione studio pie matris Romana subivit ecclesia non successerit hucusque desideratus effectus. Propterea tamen huiusmodi tam salutari negocio necessarie prosecutionis instanciam nequaquam subducendam esse censuimus, quinimo eo continuandum instancius eo efficacius prosequendum quo earundem parcium et ipsius christianitatis precipue parcium orientis discrimina veremur amarius et quasi palpabiliter prothdolor imminere sentimus. Sperantes igitur quod ille rex pacificus qui cogitationes pacis et non afflictionis se cogitare testatur quique intumescentes fluctus et spiritus tempestatis, virtutis sue potentia mitigat et aspera queque in plana convertit eidem negocio quamquam dilatum felicem et desideratam finem imponet, serenitatem tuam requirimus et hortamur illam attente rogantes ac per viscera misericordie dei attentius obsecrantes, quatinus prudenter attendens quam gratum creatori tuo prestabis obsequium, si te in hoc presertim negocio pacis ostendas amicum et exhibeas concordie zelatorem et considerans proinde, quod in conspectu domini dei tui tanto decet humiliare te amplius quanto ipse magnitudinem tuam felicioribus successibus fecundavit, animum tuum habilites ad concordiam et disponas ad pacem ac nuncios tuos cum pleno et sufficienti mandato ad huiusmodi pacem et concordiam reformandum divine propiciationis intuitu publice utilitatis consideratione ac nostre interventionis obtentu cum celeritate transmittas. Ita quod infra principium mensis Augusti futuri proximo prestante domino hic intersint, ut eis et dictorum communium nunciis quos ad eandem sedem petimus eciam destinari quosque venturos confidimus et speramus convenientibus invicem apud illam discordie huiusmodi per amabilis et deo grate ac mundo perutilis pacis reformationem finis imponatur optatus tuque humane laudis preconia et eterne retributionis premia merearis.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Nonas Iunii, pontificatus nostri anno Primo.

1091

1353 setembre 29, Avinyó

Innocenci VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que enviï plenipotenciaris a la Seu Apostòlica per la festa de Sant Andreu (30 de novembre), a fi de solucionar les seves lluites amb Gènova i Venècia, autoritats que ha convocat igualment. El papa espera que la victòria naval obtinguda sobre la flota genovesa serà un motiu més gran per procurar la pau, amb aquesta finalitat li envia Rostang d'Ansedina, de l'orde dels predicadors, mestre en teologia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 4.
a Butlla amb fil de cànem.
b GASNAULT - LAURENT, *Innocent VI, lettres secrètes et curiales*, I, p. 186, doc. 571.
c ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 28-29, doc. 34.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 335, doc. 679.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Pertulit ad nos multorum fidedigna relatio, quod nuper tuis ac dilectorum filiorum nobilis viri .. ducis Veneciarum et communis civitatis Ianuensis gentibus navali prelio laborantibus invicem multos profundum absorbuit, multos gladius devoravit, in quo deflemus admodum christianorum discrimina corporum et animarum potius deflenda pericula mente saucii vehementius deploramus. Sane quanquam eisdem gentibus tuis feliciter prospereque successisse dicatur et per consecutionem victorie cum mundo sentientibus titulis tuis honor videatur adauctus, credimus tamen quod tu sicut princeps catholicus deum timens eidem christiano populo in iactura tam gravi compateris et quod huiusmodi prosperitatis ac felicitatis eventum ab eo a quo est omnis victoria in humilitate spiritus recognoscens sibique devotas et debitas grates agens, animum tuum nulla propterea elatione temptari, nullo protinus erigi tumore permittis, imo confidimus et speramus quod eo pocius et promptius mentem regiam disponeas ad pacem quo regibus esse proprium consuevit prostratis parcere, humiliatis indulgere populis et in subtractos ulterius non sevire. Ideoque serenitatem tuam monemus requirimus et hortamur in domino illam attente rogantes ac per viscera misericordie dei attentius obsecrantes, quati-

FUNDACIÓ NOGUERA

nus ea que compendiose premisimus pia mente recogitans et attente debiteque considerans quantum ex discordia ipsa favoris addimitur pusillo gregi dominico, populo scilicet christiano partium Orientis, quantumque illi discrimen imminet, dum persecutores eius crudeles, videlicet crucis hostes, intuentes eos quorum potentia et virtute ipsorum reprimi consuevit audatia invicem dissidere ac per hoc eundem populum consuetis presidiis destitutum, captata oportunitate temporis, in populum ipsum immaniter seviunt et libenter insurgunt, cum ipsis communi Ianuensi pacem et concordiam pius et benignus acceptes, mittens ad sedem apostolicam circa festum sancti Andree apostoli futurum proximo aliquos probos viros, timentes deum et zelum pacis habentes, nuntios tuos, cum quibus plenam potestatem habentibus, convenientibus etiam dictorum communium nunciis, quos ad eandem sedem similiter convocamus, huiusmodi prestante deo iniatur pax et eo favente concordia roboretur, memor quod ille verus victor est qui pietate vincitur et qui pietati servit vere dominus comprobatur. Ceterum ut nostra super hoc tibi affectio, quam zelus et consideratio publice utilitatis accendit, clarius innotescat, dilectum filium Rostagnum de Anseduna ordinis fratrum Predicatorum magistrum in Theologia ad te providimus destinandum, adicientes huiusmodi precibus ut que ipse tibi super hoc pro parte nostra retulerit, credas indubie illaque ad effectum sperate consumationis adducas.

Dat. Avinione, III Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Primo.

1092

1353 novembre 6, Avinyó

Innocenci VI recomana al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) el professor Guerau dels framenors, bisbe electe de Cività/Tempio, i la seva església. En morir el bisbe Andreu de Caorle, el capítol l'elegí successor, confirmat pel cardenal bisbe Guiu de Porto, legat pontifici en aquella regió i consagrat pel patriarca Andreu de Grado; però el papa es reservà la provisió de l'esmentada seu i la proveí a Bartomeu mentre nomenava Guerau per a la de Cività/Tempio, vacant pel trasllat de Tomàs dels framenors a Cagli.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 5.

a Butlla amb fil de cànem.

b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 335-336, doc. 680.

c *Schedario Baumgarten*, III, p. 342, doc. 5987.

FUNDACIÓ NOGUERA

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gratie divine premium et preconium humane laudis acquiritur, si per seculares principes ecclesiarum presertim ecclesiarum cathedralium regimini presidentibus oportuni favoris presidium et honor debitus impendatur. Dudum siquidem felicis recordationis Clemens papa VI predecessor noster cupiens ecclesie Caprulensi cuius tunc regimini bone memorie Andreas episcopus Caprulensis presidebat, cum eam quovis modo vacare contingeret, per apostolice sedis providentiam ydoneam preesse personam provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni sue ea vice specialiter reservavit, decernendo extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac deinde prefata ecclesia per obitum eiusdem Andree episcopi qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta dilecti filii capitulum eiusdem ecclesie reservationis et decreti predictorum forsan ignari dilectum filium Gerardum episcopum Civitatensem ordinis Minorum professorem in sacerdocio constitutum in Caprulensem episcopum licet de facto alias tamen canonice et concorditer elegerunt, dictusque Gerardus reservationis et decreti predictorum etiam inscius electioni huiusmodi de superioris sui licentia consentiens obtinuit per venerabilem fratrem nostrum Guidonem episcopum Portuensem tunc tituli sancte Cecilie presbiterum cardinalem in partibus illis apostolice sedis legatum auctoritate legationis sue electionem huiusmodi confirmari ac per bone memorie Andream patriarcham Gradensem de mandato eiusdem legati rite tamen alias munus eidem Gerardo consecrationis impendi. Postmodum vero idem predecessor de persona venerabilis fratris nostri Bertolini episcopi Caprulensis ipsi Caprulensi ecclesie de consilio fratrum suorum sancte Romane ecclesie cardinalium, de quorum numero tunc eramus, auctoritate apostolica providit et eum prefecit eidem ecclesie in episcopum et pastorem, et sic dictus Gerardus episcopus nullius ecclesie remansit ac deinde dicto predecessore sicut domino placuit de hac luce subtracto et nobis ad apicem summi apostolatus assumptis ecclesiaque Civitatensi ad eandem Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ex eo pastoris solacio destituta, quod nos venerabilem fratrem nostrum Thomam Callensem tunc Civitatensem episcopum ad sedem apostolicam constitutum a vinculo quo tenebatur eidem Civitatensi ecclesie cui tunc preerat de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine absolventes ipsum ad ecclesiam Callensem tunc vacantem duximus transferendum preficiendo eum ipsi Callensi ecclesie in episcopum et pastorem. Nos ad celerem provisionem eiusdem Civitatensis ecclesie de qua nullus preter nos ea vice disponere poterat pro eo quod nos ante vacationem

FUNDACIÓ NOGUERA

huiusmodi ipsius ecclesie Civitatensis provisiones omnium ecclesiarum cathedralium tunc apud sedem apostolicam quocunque modo vacantium et vacaturarum imposterum apud eam dispositioni nostre reservantes decrevimus extunc irritum et inane si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ne ipsa Civitatensis ecclesia longe vacationis subiaceret incommodis paternis et solicitis studiis intendentes ac cupientes talem eidem Civitatensi ecclesie presidere personam que sciret vellet et posset eam preservare a noxiis et adversis et in suis manutenere iuribus et etiam adaugere, post deliberationem quam de preficiendo eidem Civitatensi ecclesie personam huiusmodi cum dictis fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dictum Gerardum consideratis grandium virtutum suarum meritis quibus personam suam altissimus insignivit, convertimus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona ipsius Gerardi ipsi Civitatensi ecclesie de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus providendum ipsumque illi prefecimus in episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius Civitatensis ecclesie sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis quod dirigente domino actus suos prefata Civitatensis ecclesia per dicti Gerardi episcopi industrie et circumspectionis fructuosum studium regetur utiliter et prospere dirigetur grataque in eisdem spiritualibus et temporalibus auctore domino suscipiet incrementa. Cum itaque fili carissime sit virtutis opus dei ministros et presertim dignitate pontificali preditos benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro eterni regis gloria venerari, excellentiam regiam rogamus et hortamur attente, quatinus eundem Gerardum episcopum et prefatam ecclesiam Civitatensem cure sue commissam habens pro apostolice sedis et nostra reverentia propensius commendatos ipsos benigni favoris auxilio prosequaris, ita quod idem episcopus tue celsitudinis fultus presidio in commisso sibi cure pastoralis officio possit deo propicio prosperari ac tibi exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Dat. Avinione, VIII Idus Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

1093

1354 gener 21, Avinyó

Innocenci VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que els seus oficials no molestin ni retinguin retribucions al degà i capítol d'Urgell,

FUNDACIÓ NOGUERA

plens de càrregues per no pagar el subsidi voluntari que Climent VI li facultà cobrar als prelats i persones eclesiàstiques.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 6.
a Butlla amb fil de cànem.
b VINCKE, *Documenta selecta*, p. 411, doc. 545.
c GASNAULT - LAURENT, *Innocent VI, lettres secrètes et curiales*, II, p. 14, doc. 737.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 336-337, doc. 682.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Innotuit nobis fidedigna relatione quorundam, quod licet felicis recordationis Clemens papa VI predecessor noster concessisset tibi, quod a prelatis et personis ecclesiasticis regni tui, volentibus dumtaxat subvenire tibi, posses recipere subsidium semel tantum, et nonnulli ex prelatis et personis eisdem tibi post concessionem huiusmodi certam subventionem duxerint faciendam, tamen dilecti filii .. decanus et capitulum ecclesie Urgellensis pressi multiplicium onerum sarcina subvenire tibi nec voluerunt nec volunt nec potuerunt etiam neque possunt, et quod officiales et ministri tui formam concessionis transgredientes ipsius dictos decanum et capitulum ad subventionem tibi faciendam compulerunt et compellunt indebite et iam elapso biennio redditus eorum ecclesiasticos arrestatos sub manu tua regia tenuerunt et tenent ipsosque multis aliis afflixerunt dampnis et incomodis et affligunt. Cum autem fili carissime non liceat dictis officialibus et ministris tuis a dictis decano et capitulo nolentibus subvenire tibi recipere aliquid violenter, imo excomunicationis sententia percellat auctoritas canonum exactores, serenitatem tuam attente rogamus, quatinus dictos officiales et ministros facte tibi concessionis huiusmodi abusores, quod ab omni molestia et gravamine dictis decano et capitulo inferendis propterea prorsus abstineant, pro reverentia dei et nostre interventionis obtentu ac tue consideratione salutis arceas et compescas.

Dat. Avinione, XII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Secundo.

1094

1354 gener 31, Avinyó

Innocenci VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que ha rebut l'homenatge pel feu de Sardenya, prestat en el seu nom pels cavallers Llop de Gurrea i Bernat de Tous, de les diòcesis d'Osca i de Vic, procuradors seus.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 7.
a Butlla amb fil de cànem.
b RAINALDI, *Annales ecclesiastici*, XVI, p. 355, cap. 14.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 337, doc. 683.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Significamus tibi quod dilecti filii nobiles viri Lupus de Gurrea et Bernardus de Thous milites Oscensis et Vicensis diocesium procuratores et nuntii tui habentes a te ad infrascripta omnia plenum sufficiens et speciale mandatum per patentes litteras tuas sigillo tuo regio in pendenti sigillatas et publica manu scriptas, ut prima facie apparebat, in nostra et fratrum nostrorum presentia personaliter constituti, obtulerunt se paratos nomine tuo nobis pro regno Sardinie et Corsice, quod a nobis et ecclesia Romana tenes in feudum et pro quo noster et ipsius ecclesie ligius vassallus existis, facere ligium homagium et prestare fidelitatis debite iuramentum iuxta formam conventionum habitarum inter eandem ecclesiam et clare memorie Iacobum regem Aragonum avum tuum in concessione de ipso regno memorato Iacobo regi per eandem ecclesiam dudum facta et quod nos huiusmodi oblatione ipsorum procuratorum tuorum audita benigne, ac subsequenter de mandato nostro lectis conventionibus ipsis coram dictis procuratoribus seriose, ipsisque illas quo supra nomine se offerentibus servaturos, nos ab eis huiusmodi homagium et iuramentum iuxta huiusmodi formam conventionum recepimus predictarum, in testimonium receptionis huiusmodi magnitudini tue presentes literas concedentes.

Dat. Avinione, II Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Secundo.

1095

1354 febrer 24, Avinyó

Innocenci VI aconsella el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i li prega, que desisteixi dels seus propòsits d'envair el comtat de Provença, pertanyent a la reina Joana de Sicília, en cas que aquest rumor sigui cert, com semblen confirmar els seus preparatius de naus i tropes.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 8.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 337, doc. 684.

FUNDACIÓ NOGUERA

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatem tuam intra nostra et apostolice sedis precordia recumbentem, tanta dilectionis teneritate prosequimur tantaque cura illius conservationem honoris et status reddimur attentione soliciti et paterna diligentia vigilamus, quod cum aliqua indecentia de illa percipimus quamvis sumus de relatis increduli continere non possumus qum illa de tue circumspectionis noticiam deducamus. Nuper siquidem in partibus istis quidam rumor invaluit et usque ad nostram audienciam est perlatus, quod excellencia tua sub alio conficto colore classem parat et exercitum congregat, ut terras comitatus provincie ad carissimam in Christo filiam nostram Iohannam Sicilie reginam illustrem apostolice sedis pro regno Sicilie subditam et feudatariam pertinentes invadat hostiliter, quamvis non iustam hostilitatis habere materiam reputeris, cum nec tu nec progenitores tui in terris ipsis ius aliquod duxeritis vendicandum. Licet igitur fili carissime talia que si vera essent velut iniusta regem regum per quem regnant reges et principes dominantur, possent offendere apostolicam sedem eiusdem regine matrem et dominam provocare totamque Romanam curiam ac terras Romane ecclesie eidem vicinas provincie concitare de tua circumspecta magnificentia non credamus nec credere debeamus, nichilominus tamen quia pacis emulus per inconsulta consilia nititur frequenter inficere mentes puras te sinceris exhortamur affectibus et paternis suasionibus admonemus, quatinus sic munias prudencia mentem tuam sicque eam ab alienorum cupiditate cohibeas, quod cuiusquam seductivo consilio ad premissa vel similia nullatenus inducaris predictorum laudandorum progenitorum tuorum, qui propriis bonis contenti inter alios principes orbis terre multe laudis gloria claruerunt, laudabilior imitator existens non queras presertim per modum illicitum aliena. Speramus enim in domino quod si huiusmodi nostris exhortationibus acquiescas, regna tua in votiva prosperitate servabit et in perditorum recuperatione felici suam tibi graciam largietur.

Dat. Avinione, VI Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Secundo.

1096

1354 març 16, Avinyó

Innocenci VI prega i implora al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que no gravi amb impostos als prelats i persones eclesiàstiques, i que no permeti desconsideracions i ofenses contra elles.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 9.
a Butlla perduda.
b GASNAULT - LAURENT, *Innocent VI, lettres secrètes et curiales*, II, p. 44, doc. 818.
c ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 51-52, doc. 58.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 338, doc. 685.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Credimus carissime fili quod sicut princeps catholicus deum timens ab eo per quem reges regnant recognoscis te regem in gentibus constitutum, credimus quod beneficiorum ipsius gratus acceptor in semitam mandatorum eius dirigens gressus tuos sibi pro hiis que retribuit tibi devota mentis tributa persolvis, credimus quod discrete considerans creatorem redemptoremque tuum in membris eius, prelatis videlicet et personis ecclesiasticis, honorandum eos honorificencia debita veneraris, nec revocamus in dubium quod successus prosperos, quibus fecundavit te ipse largitor bonorum omnium et omnium collator bonorum, commemorans reverenter et attribuens illos sibi ei laudationum debita vota reddis et tanto ad beneplacita eius assurgis promptior tantoque ferventior ad obsequia inveneris illius quanto sicut circunspectus et prudens nosti, quod ab eo cui plus conceditur exigitur amplius et quod donis adauctis donorum "etiam "crescunt rationes. Propter quod non indigne miramur, quod sicut habet multorum nobis pro honore tuo molesta relatio, que multiplicatis relatoribus crescit in famam, tu iniquis et pravis consiliis inclinatus prelatis et personis eisdem non solum benigne prosecutionis auxilium in oportunitatibus subtrahis, imo a decimalibus et aliis subsidiis, que ab eis ex concessione ac licencia sedis apostolice percepisti et percipis, oculos debite considerationis avertens, ipsos cum quibuscunque laicis subditis tuis impositionibus et oneribus publicis contra xanctiones canonicas aggravari et aliis angariari molestiis importabiliter pateris in proprie salutis et fame dispendium, universalis ecclesie preiudicium lesionem ecclesiastice libertatis plurimorum scandalum et divine maiestatis offensam. Et ideoque serenitatem tuam attente rogamus tibi ex paterne dilectionis plenitudine sinceris affectibus suadentes, quatinus hec que descripsimus affectione recipiens filiali et in stateram debite considerationis appendens, sic huiusmodi que ipsis prelatis et personis dicuntur illata gravamina proinde revoces sicque eos benivolencie regie favoribus prosequaris, quod sinistris obloquiis operatione contrarii superatis zelus tue devotionis ad deum clarior et purior semper eniteat tuque in presenti attollaris claris fame preconiis et in futuro eterne vite gloria premieris.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. Avinione, XVII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Secundo.

1097

1354 març 18, Avinyó

Innocenci VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que ha rebut els seus ambaixadors, Llop de Gurrea i Bernat de Tous, i ha despatxat favorablement la major part dels seus assumptes, i li prega que procuri que no s'atempti contra la immunitat eclesiàstica als seus regnes, sinó que la defensi i l'amplifiqui.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 10.
a Butlla amb fil de cànem.
b GASNAULT - LAURENT, *Innocent VI, lettres secrètes et curiales*, II, p. 46, doc. 823.
c ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 54-55, doc. 60.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 338, doc. 686.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dilectos filios nobiles viros Lupum de Gurrea et Bernardum de Thous milites nuncios tuos ad sedem apostolicam destinatos et litteras magnitudinis tue nobis exhibitas per eosdem consideratione tua benigne recepimus et tam eis que huiusmodi littere continebant, quam hiis que dicti nuncii tui nobis pro parte tua prudenter et provide retulerunt, diligenter auditis et super eis cum fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus deliberatione habita diligenti in illis votis tuis, que non libenter ab exauditione repellimus, duximus quantum cum deo potuimus annuendum, sicut ab eisdem nunciis qui ad te de nostro beneplacito revertuntur audies plenius viva voce. Tu vero carissime fili exuberantem erga te Romane ecclesie matris tue filiali gratitudine considerans caritatem, ecclesiam ipsam in filias et membra sua, ecclesias videlicet et personas ecclesiasticas regnorum tuorum, quibus eam prefecit divina potentia et que in regnis ipsis contra libertatem ecclesiasticam multipliciter aggravari dicuntur, honores, earum iura custodias, conserves privilegia, libertates amplifices et immunitates infringi nullatenus patiaris. Sic etenim creatori et redemptori tuo, per quem principaris et regnas, te reddes acceptum, sic solium tuum clarius efficies et thronum fortius roborabis ipseque redemptor tuus, cui nunquam sine remuneratione servitur, ad rependia tibi benigne consurgens dies tuos in sua que omnem sensum exube-

FUNDACIÓ NOGUERA

rat pace disponet et cum dies resolutionis advenerit inter sanctos et electos suos te ad eterna tabernacula introducet.

Dat. Avinione, XV Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Secundo.

1098

1354 març 29, Avinyó

Innocenci VI prega a la reina Elionor d'Aragó que influeixi prop del seu espòs, el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), per tal que alliberi i admeti a favor seu i la seva gràcia el fill del rei Jaume III de Mallorca.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 11.
a Butlla amb fil de cànem.
b ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 68-69, doc. 68.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 338-339, doc. 687.
d GASNAULT - LAURENT, *Innocent VI, lettres secrètes et curiales*, II, p. 58, doc. 853.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Alionore regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Compatientes dilecto filio nobili viro .. nato clare memorie Iacobi regis Maioricarum qui aliene culpe indebitas penas luit et cupientes attente ipsum non solum libertati restitui sed carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris viri tui gratia et prosecutionibus confoveri, eundem virum tuum per alias nostras litteras deprecamur et alias sepe rogavimus, ut ad ipsum nobilem ianuam misericordie sue benignius aperiat eumque libertati donet et habeat propense ac favorabiliter commendatum, ut fiat dei gratia dignior si prefato nobili quem patris iniquitatem portare non decet gratiosus existat. Ideoque serenitatem tuam attente rogamus, quatinus apud eundem regem Aragonum quod nostris in hac parte precibus annuat, divine propitiationis intuitu et nostre interventionis obtentu, des operam efficacem, indubie tenens quod si misericors fueris iuxta evangelicam veritatem beatam misericordiam consequeris.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Secundo.

1099

1354 maig 26, Vilanova d'Avinyó

Innocenci VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que no posi obstacles a la recuperació de les illes de Sicília i adjacents, projectada pels seus reis, Lluís i Joana.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 12.
a Butlla amb fil de cànem.
b GASNAULT - LAURENT, *Innocent VI, lettres secrètes et curiales*, II, p. 99, doc. 962.
c ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 108, doc. 97.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 339, doc. 688.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. In pace que inter Aragonum et Sicilie reges qui tunc erant, dudum sicut accepimus reformata actum specialiter dicitur extitisse, quod rex Aragonum qui esset pro tempore regi Sicilie ad recuperationem Sicilie et aliarum adiacentium insularum, que de regno Sicilie fore noscuntur quomodolibet intendenti per se vel alium seu alios nequaquam obsisteret nec impedimenta aliqua ministraret. Quod carissimi in Christo filii nostri Ludovicus rex et Iohanna regina Sicilie illustres debite attendentes id ad noticiam tuam per litteras et nuncios suos deferunt, ut tu formam pacis ipsius eo custodias diligentius et facias custodiri, quo forma ipsa tibi recenter exposita fuerit magis nota. Et ideo serenitatem tuam attente rogamus, quatinus eisdem regi et regine circa recuperationem huiusmodi laborantibus insularum pro nostra et apostolice sedis reverencia et tui honoris intuitu nullatenus te opponas nec permittas negocium recuperationis huiusmodi per quoscunque subditos tuos quomodolibet impediri, voluntatem tuam nobis per tuas litteras rescripturus.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Secundo.

1100

1354 agost 12, Vilanova d'Avinyó

Innocenci VI prega i demana al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que es doni per satisfet i no escolti les falses notícies de l'incident ocorregut al palau d'Avinyó quan ell n'era absent. El fet fou que els familiars de Bernat (de Torre), cardenal diaca de Sant Eustaqui, insultaren els de Llop de Gurrea i Bernat de Tous, nobles cavallers, ambaixadors seus, en un altercat que tingueren. El papa ja els ha castigat amb assots públics sense arribar a l'efusió de sang, a fi d'evitar irregularitats canòniques, i amb el desterrament perpetu.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 13.
a Butlla amb fil de cànem.

FUNDACIÓ NOGUERA

b GASNAULT - LAURENT, *Innocent VI, lettres secrètes et curiales*, II, p. 133, doc. 1066.
c ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 121-122, doc. 113.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 339-340, doc. 689.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Credimus carissime fili ad tuam iam pervenisse noticiam qualiter diebus non longe preteritis morantibus nobis extra Avinionem, prout moramur adpresens, inter quosdam dilecti filii nostri Bernardi sancti Eustachii diaconi cardinalis et dilectorum filiorum nobilium virorum Lupi de Gurrea et Bernardi de Thous militum ambassiatorum tuorum, familiares, procurante scandali patre ac seminatore dissidii, fuit exorta commotio, propter quam aliqui ex eisdem familiaribus dicti cardinalis in impetum concitati, apostolice sedis reverencia vilipensa et libertate Romane curie violata, in eosdem ambassiatores modeste ac pacifice in ipsorum hospicio residentes inconsultis et temerariis motibus insultarunt, eodem inscio cardinali, nec ignorare te volumus quod nos ex hiis, postquam ad noticiam nostram deducta fuerunt, respersi amaritudine gravi et repleti displicentia vehementi, eorundem ambassiatorum iniuriam nostram propriam reputantes, statim patratores excessus huiusmodi clericos et laicos capi et secundum iusticiam rigide, citra tamen vindictam sanguinis ne aliqui ex fratribus nostris qui captioni et punicioni huiusmodi consilium dederant irregularitatis periculo subiacerent, puniri mandavimus, ut reos criminis sic animadversio digna corriperet quod eis esset ad penam et aliis ad terrorem. Et factum est quod aliqui ex insultantibus ipsis qui haberi potuerunt, fuerunt fustigati publice, reliquis perpetuo banno suppositis, quos consciencie lese pavor per fuge subsidium subduxit merite ultioni. Hec igitur magnitudini tue, ne lingua tercia tuam circumveniret in hiis fermento mendacii puritatem in veritatis sinceritate scribentes, serenitatem tuam attente rogamus et petimus, quatinus prudenter attendens quod necesse est ut scandala veniant et quod licet preterita revocari nequeant, tamen quantum potuit et licuit satisfactum est iusticie in hac parte, sic turbationem et displicenciam que se tuis ex hiis ingessit precordiis mansuetudine reprimas et magnanimitate repellas, quod te velut filium benedictionis et gratie paternis effectualiter acquievisse precibus gaudeamus.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, II Idus Augusti, pontificatus nostri anno Secundo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1101

1355 març 1, Avinyó

Innocenci VI exhorta el rei Carles II de Navarra a prestar favor i auxili al mestre i als frares de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem per tal que puguin agafar diners de les pensions als desobedients.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, carpeta 29, núm. 36.

a Butlla perduda.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Carolo regi Navarre illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gerentes in intimis cordis nostri ad dilectos filios magistrum et fratres hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani, qui pro defensione catholice fidei Terreque sancte subsidio exponunt indefessis laboribus iugiter se et sua paterne dilectionis affectum, ad ea serenitatem regiam nostris litteris libentius excitamus, per que ipsorum consulatur profectibus et incommoditatibus obviatur. Sane nuper eorundem magistri et fratrum conquestione percepimus, quod licet dilecti filii priores castellani baillivi preceptores et administratores domorum et locorum fratresque et subditi regulares hospitalis eiusdem ad solvendum prefatis magistro et fratribus pensiones seu responsiones ac tallias et alia deneria eis imposita pro fidei catholice defensione Terreque sancte predictarum subsidio iuxta ipsius hospitalis observantias et statuta efficaciter teneantur. Nonnulli tamen priores castellani baillivi preceptores administratores fratres et subditi supradicti spiritu rebellionis asumpto pensiones seu responsiones et tallias huiusmodi aliaque deneria, ad que exhibenda eisdem magistro et fratribus iuxta eadem statuta et observantias sunt astricti, prefatis magistro et fratribus nonnullis quesitis coloribus solvere recusarunt hactenus et recusant et pr[.....]liter exhibere. Nonnulli etiam ipsorum mala malis attendentes preter et ab[.....]tem et licentiam ac contra inhibitionem suorum superiorum [.....] pecunias et alia recipiunt a creditoribus diversis domos et alia ipsius hospitalis oblig[... ..] facto in animarum suarum et eiusdem Terre sancte dispendium [....] magistri et fratrum ac hospitalis incommodum et evidens detrimentum. Cum igitur magistro et fratribus supradictis in premissis persolvendis et exhibendis eisdem prefatisque eorum tollendis dispendiis atque dampnis favor tuus sit plurimum oportunus, serenitatem regiam rogamus attentius et in domino exhortamur, quatinus eisdem magistro et fratribus ut pensiones seu responsiones tallie et deneria huiusmodi a prefatis inobedientibus prout iustum est integre persolvantur et exhibeantur eisdem subtracto inobedientibus ipsis quorumlibet presidio quodque iidem magister et fratres vel eorum domus seu loca huiusmodi

FUNDACIÓ NOGUERA

obligationum de iure iuribus non subsistentium pretextu nullatenus opprimantur pro nostra et apostolice sedis reverentia prestent favorem regium et auxilium oportunum, taliter quod proinde serenitatem eandem attollere dignis laudibus valeamus.

Dat. Avinione, Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Tertio.

1102

1355 abril 8, Avinyó

Innocenci VI prega i implora al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que enviï plenipotenciaris a la Seu Apostòlica abans del dia 15 del mes de juny vinent a fi de concertar la pau amb Gènova i Venècia, utilíssima a ells i a tota la cristiandat, sobretot la d'Orient.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 14.

a Butlla amb fil de cànem.

b GASNAULT - LAURENT, *Innocent VI, lettres secrètes et curiales*, III, p. 68-69, doc. 1452.

c ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 154-155, doc. 146.

d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 340, doc. 690.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Negotium pacis inter te ac dilectos filios Venetiarum et Ianuense communia auctore domino reformande precipuo favore prosequimur et ad consumationem illius eo amplius excitamur quo tua et ipsorum communium dissensio multa non solum tibi et eis, sed universaliter toti populo christiano precipue partium orientis peccatis exigentibus iam hactenus dispendia et pericula intulit et nisi opitulante deo extincta fuerit plura illatura non tam verisimiliter quam probabiliter comminatur. Quibus nos occurrere cupientes et sperantes quod pacis actor super tot calamitatibus quot huiusmodi dissensio eidem populo christiano peperit miseratus nostras et aliorum fidelium Christi supplicationes et preces ab exauditionis optate gratia non repellet, providimus negotium ipsum assumere denuo promovendum. Et ideo serenitatem tuam attente requirimus et rogamus ac per viscera misericordie dei obsecramus attentius, quatinus huiusmodi pericula et dispendia preterita iam in debitam considerationem adducens et erigens intuitum ad ea que dissensio ipsa, ut premittitur, comminatur aliquos probos viros timentes deum et zelum pacis habentes cum pleno et sufficienti mandato ad huiusmodi pacis negocium terminandum pro reverentia dei, publice utilitatis intuitu et nostre interventionis

FUNDACIÓ NOGUERA

obtentu velis omnino ad sedem apostolicam destinare, ita quod infra quintandecimam diem mensis Iunii futuram proximo infallibiliter hic intersint, ut eis ac dictorum communium nuntiis, quos ad eandem sedem dicta die similiter convocamus, convenientibus invicem, idem negotium prestante domino terminetur. Et quoniam sine dictis communi Venetiarum aliqua inter te ac eosdem commune Ianuenses sunt terminanda negocia, que utpote te et commune Ianuense predictos respicientia tantum dictorum communis Venetiarum non requirunt consensum in aliquo vel dissensum precibus nostris adicimus ut non expectato predictorum nuntiorum ipsorum communis Venetiarum adventu, missionem ipsorum nuntiorum tuorum nulla velis ratione differre. Confidimus enim quod ipse qui concordiam in sublimibus suis parat operationibus nostris prestante gratiam et infundente virtutem, sic tua et dictorum communis Ianuensium concordia disponetur, quod ad eam et per consequens ad tuam et dictorum Venetorum et Ianuensium pacem progressum prosperum habebimus et felicem exitum consequemur.

Dat. Avinione, VI Idus Aprilis, pontificatus nostri anno Tercio.

1103

1355 juliol 5, Avinyó

Innocenci VI mana al bisbe de Catània (Joan de Luna) que dispensi de l'impediment de consanguinitat en quart grau Manfred, fill de Balasc d'Alagó, comte de Mistretta, per contreure matrimoni amb la noble Luquina, filla del difunt Pere de Montcada, de la seva diòcesi, en cas que siguin certes les raons al·legades.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 48, núm. 15.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 340, doc. 691.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Cathaniensi salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Manifridi nati dilecti filii nobilis viri Blasci de Alagona comitis Mistrete et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Luchine nate quondem Periconeti de Montecathono domicelle tue diocesis petitionis series continebat, quod ipsi certis ex causis desiderant invicem matrimonialiter copulari et de utriusque ipsorum communi amicorum consensu per verba legitima de presenti invicem matrimonium contraxerunt, dumtamen eis hoc ex apostolice sedis dispensatione liceat, sed quia quarto consanguinitatis gradu invicem

FUNDACIÓ NOGUERA

sunt coniuncti ad ipsius matrimonii consummationem dispensatione apostolica super hoc non obstante procedere pretermittunt, quare pro parte ipsorum Manifridi et Luchine nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de oportune dispensationis beneficio dignaremur. Nos itaque certis ex causis nobis expositis huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tue de qua specialem in domino fiduciam obtinemus per apostolica scripta mandamus, quatinus si est ita cum eisdem Manifredo et Luchina ut impedimento quod ex huiusmodi consanguinitate provenit non obstante matrimonium inter se libere contrahere et in eo postquam contractum fuerit licite remanere valeant apostolica auctoritate dispenses, prolem suscipiendam ea huiusmodi matrimonio legitimam nunciando.

Dat. Avinione, III Nonas Iulii, pontificatus nostri anno Tercio.

1104

1356 gener 5, Avinyó

Innocenci VI concedeix al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) indulgència per poder manar celebrar missa, resada o cantada, en llocs d'entredit, a porta oberta i tocant les campanes, si no ha donat ell motiu a tal censura, i siguin expulsats del temple els excomunicats i altra gent afectada d'entredit personal.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 17.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 341, doc. 692.

INNOCENTIUS (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Celsitudinis tue preclara devotio promeretur, ut votis tuis in hiis presertim que ad tue salutem anime cedere valeant quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut si forsan ad loca ecclesiastico supposita interdicto aut in quibus alias a divinis cessatur officiis te contigerit declinare, liceat tibi in illis etiam apertis ianuis excommunicatis et interdictis exclusis pulsatis campanis et alia vel summissa voce missas et alia divina officia in tua presentia facere celebrari, dum modo tu interdicto vel cessationi huiusmodi causam non dederis nec id tibi contigerit specialiter interdici, serenitati tue tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare

FUNDACIÓ NOGUERA

presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

1105

1356 juny 8, Vilanova d'Avinyó

Innocenci VI recomana al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) l'abat Francesc, electe del monestir de Sant Pere de Besalú de l'orde de sant Benet, diòcesi de Girona, diaca, sagristà de Santa Maria d'Amer. La vacant es produí pel trasllat del seu antecessor Bernat a l'abadiat de Sant Esteve de Banyoles, de la mateixa diòcesi.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 18.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 341, doc. 693.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Divine retributionis premium et preconium humane laudis acquiritur, si personis ecclesiasticis et hiis presertim que sunt dignitatis titulo insignite condignis honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Nuper siquidem monasterio sancti Petri de Bisulduno ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinente ordinis sancti Benedicti Gerundensis diocesis vacante, pro eo quod nos de persona dilecti filii Bernardi sancti Stephani de Balneolis ordinis et diocesis predictorum tunc eiusdem sancti Petri monasteriorum abbatis eidem monasterio sancti Stephani tunc vacanti duximus providendum ipsumque eidem monasterio sancti Stephani prefecimus in abbatem. Nos attendentes quod nullus de ipsius monasterii sancti Petri provisione preter nos ea vice se intromittere poterat pro eo quod diu ante vacationem huiusmodi provisiones omnium ecclesiarum et monasteriorum per promotiones per nos imposterum faciendas de prelatis eorum ubicunque consistentibus ad aliorum ecclesiarum et monasteriorum regimina tunc vacantium et vacaturarum inantea dispositioni nostre reservantes decrevimus extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac de provisione eiusdem monasterii sancti Petri celeri et felici ne longe vacationis exponeretur incommodis paternis et solicitis studiis cogitantes post deliberationem quam de preficiendo eidem monasterio sancti Petri personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Franciscum

FUNDACIÓ NOGUERA

abbatem dicti sancti Petri tunc sacristam beate Marie de Amerio ordinis et diocesis predictorum monasteriorum diaconatus ordine constitutum, cui apud nos de religionis zelo litterarum scientia, vite munditia et aliis multiplicium virtutum meritis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, convertimus oculos nostre mentis quibus omnibus attenta moderatione pensatis de persona eiusdem Francisci eidem monasterio sancti Petri de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providimus ipsumque illi prefecimus in abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sancti Petri eidem Francisco in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo firma spe fiduciaque conceptis quod dirigente domino actus suos dictum monasterium sancti Petri per eiusdem Francisci circumspectionis studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur. Cum itaque carissime fili sic virtutis opus dei ministros benigno favore prosequitur et eos verbis et operibus pro regis eterni gloria venerari, serenitatem tuam rogamus et hortamur attente quod eundem Franciscum abbatem et commissum sibi monasterium sancti Petri habens pro nostra et dicte sedis reverentia propensius commendatos ipsum Franciscum abbatem sic benivole prosequaris, quod tui favoris auxilio in commisso sibi monasterii sancti Petri predicti regimine possit deo propicio prosperari ac exinde a deo perennis vite premium et a nobis condigna provenit actio gratiarum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VI Idus Iunii, pontificatus nostri anno Quarto.

1106

1356 desembre 24, Avinyó

Innocenci VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que ha promogut al cardenalat el seu recomanat Nicolau (Roselli, cardenal prevere de Sant Sixt) de l'orde dels predicadors, prior en altre temps a la província d'Aragó.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 16.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 342, doc. 694.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Delectat nos fili carissime vota regia favoribus apostolicis prosequi, sed ea libenter ex auditionis optate gratia prevenimus, in quibus sicut tua sic eciam dei beneplacita et militantis ecclesie cui actore domino

FUNDACIÓ NOGUERA

licet insufficientibus meritis presidemus, honorem credimus promovere. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, dilectum filium nostrum Nicolaum olim priorem fratrum ordinis Predicatorum provincie Aragonie, quem nobis tam tua quam aliorum plurimum testimonia fidedigna de multis et claris virtutum titulis commendarunt, in ipsius ecclesie cardinalem duximus assumendum.

Dat. Avinione, VIIII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

1107

1357 abril 17, Avinyó

Innocenci VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que desisteixi de la guerra que amenaça esclatar entre ell i el rei Pere I de Castella i Lleó (el Cruel), i amb aquesta finalitat li envia els legats Guillem (de la Jugie), cardenal diaca de Santa Maria in Cosmedin, i el bisbe Bertran de Comenge, als quals ha encarregat que, de pas per aquelles terres, reiterin al rei de Castella la mateixa reconvenció de paraula.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 19.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 342, doc. 695.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ad audientiam nostram infesto rumore perveniens suborta inter te et carissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Castelle et Legionis illustrem pernitiosa commotio nostrum graviter turbavit animum amaricavit et mentem. Et ilico per dilectum filium Guillermum sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem apostolice sedis legatum ac venerabilem fratrem nostrum Bertrandum episcopum Convenarum dicte sedis nuntium ad utramque partium propter hoc specialiter destinatum, serenitatem tuam super sedanda discordia huiusmodi paternis affectibus salubriter amovendum duximus et rogandum. Verum sicut nuper non sine graviori turbatione percepimus pacis emulus humani generis inimicus nostras dictorumque legati et nuntii in hoc suasiones exsuperans sic utriusque partis animos concitavit, quod iusticie semita pacisque dulcedine omnino contempta et conflatis undique viribus utraque partium ad congressus hostiles se preparat se suosque subditos et amicos maximis periculis exponendo, ex quorum auditu nos quem more patris benivoli non pretereunt incommoda filiorum

FUNDACIÓ NOGUERA

graves pertulimus in intimis punctiones fidelium animas perditioni et corpora excidiis exposita deplorantes. Quocirca serenitatem tuam preces addentes precibus et hortationes hortationibus cumulantes rogamus et hortamur in filio dei patris et per ipsius misericordiam obsecramus, quatinus solerter attendens quam sit onusta periculis quantaque discrimina secum trahat huiusmodi dampnanda dissensio quantumque ex hoc Christi fidelibus contristationis et dampni et infidelibus exaltationis et gaudii materia preparetur tuumque mansuetudine animum temperans pro divina et apostolice sedis et nostra reverentia a dicto congressu te retrahas et omnino desistas ac ad pacem reformandam per quam regna crescunt et populi sub tranquillitate proficiunt cum dicto rege Castelle cui super hoc scribimus te convertas in hoc preces nostras taliter impleturus, quod ipse rex regum qui extollit pacificos et deprimit inquietos, tue celsitudinis exaltet solium prosperitatem adaugeat ac regnum in tranquillitate custodiat tibique salutis eterne premia largiatur. Nosque et sedes predicta ad omnia que tui honoris et status augmentum respiciant propensius inclinentur.

Dat. Avinione, XV Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Quinto.

1108

1357 juny 9, Vilanova d'Avinyó

Innocenci VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que enviï plenipotenciaris a la Seu Apostòlica per tot el dia primer del setembre vinent, per tractar de la pau amb Gènova.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 20.
a Butlla perduda.
b GASNAULT - GOTTERI, *Innocent VI, lettres secrètes et curiales*, V, p. 97, doc. 2794.
c ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 290-291, doc. 287.
d MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 342-343, doc. 696.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Licet concordie bonum inter te et dilectos filios commune civitatis Ianuensis actore domino reformande hucusque peccatis exigentibus impediverit sicut dolenter referimus pacis hostis, sperantes tamen in auxilio gratie dei qui in se sperantes non deserit, quod ipse eiusdem hostis fraudibus superatis super huiusmodi negocio piis fidelium Christi votis misericorditer condescendet, sub fiducia eius negotium ipsum decrevimus resumendum. Et ideo serenitatem tuam

FUNDACIÓ NOGUERA

attente precamur, quatinus animum tuum habilitans et disponens ad pacem aliquos viros probos timentes deum et zelum pacis habentes cum pleno et sufficienti mandato ad concordiam huiusmodi reformandam ad sedem apostolicam pro reverentia dei publice utilitatis intuitu et nostre intercessionis obtentu destinare sublimitas tua velit, ita quod die prima proximo futura mensis Septembris, quo die dictorum communis quibus super hoc scribimus, speramus coram nobis nuntios affuturos deo propitio hic intersint.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v Idus Iunii, pontificatus nostri anno Quinto.

1109

1357 juny 27, Vilanova d'Avinyó

Innocenci VI mana al bisbe de Vic (Ramon de Bellera) que decreti a l'església de Vic dividir les porcions dels fruits, rèdits i productes entre els diversos canonges, tant presents com absents.

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 37-1-12.
a Butlla amb fil de cànem.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Iuxta pastoralis officii debitum ecclesiarum omnium et personarum in eis domino famulantium utilitatibus cupimus quantum cum deo possumus salubriter providere. Ad nostrum siquidem nuper pervenit auditum quod in ecclesia Vicensi alique prepositure existunt, ex quarum proventibus certe porciones canonicis ipsius ecclesie qui in ea protempore personaliter resident seu etiam qui ab ipsa absentes existunt, dumtamen absentes ipsi ex privilegio vel alias in absencia fructus redditus et proventus canonicatuum et prebendarum quos in eadem ecclesia obtinent licite recipere possint et debeant ministrari consueverunt et quod facultates dictarum prepositurarum adeo diminute existunt, quod ex earum proventibus portiones huiusmodi omnibus predictis canonicis residentibus et absentibus nequeunt prout consueverant ministrari, propter quod divinus cultus non modicum diminuitur in ecclesia supradicta. Nos igitur volentes prout ad nostrum spectat officium super premissis de oportuno remedio providere ac congruum reputantes quod canonici ipsius ecclesie in ea personaliter residentes suas cum integritate recipiant porciones, fraternitati tue de qua in hiis et aliis gerimus in domino fiduciam specialem per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus si est ita auctoritate nostra sta-

FUNDACIÓ NOGUERA

tuas quod canonicis ipsius ecclesie qui in ea protempore personaliter resederint huiusmodi portiones de dictis proventibus ipsarum prepositurarum ante omnia integraliter ministrentur et quod deinde residuum ipsorum proventuum inter alios eiusdem ecclesie canonicos qui ab eadem ecclesia protempore absentes fuerint et prebendarum quas in ipsa ecclesia obtinuerint fructus redditus et proventus licite recipere possint et debeant pro rata eorum quemlibet contingente dividatur. Volumus tamen quod huiusmodi statutum et ordinatio ad venerabiles fratres nostros cardinales sancte Romane ecclesie qui nunc sunt et qui erunt pro tempore ratione canonicatuum et prebendarum quos in dicta ecclesia obtinent et inantea obtinebunt, cum ipsi nedum predicte sed etiam aliarum quarumcunque ecclesiarum utilitates et commoda indefesse procurare noscantur se aliquatenus non extendant ac insuper irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, V Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Quinto.

1110

1357 juliol 29, Avinyó

Innocenci VI concedeix a l'infant Joan, primogènit del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) i duc de Girona, el privilegi de poder manar celebrar la santa missa resada en llocs d'entredit, a porta tancada, exclosos els excomunicats, sense tocar les campanes, en veu baixa i presents els seus familiars.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 21.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 343, doc. 697.

INNOCENTIUS (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Iohanni primogenito carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris duci Gerundensi salutem et apostolicam benedictionem. Eximie tue devotionis sinceritas promeretur, ut votis tuis in hiis presertim, que ad tue salutem anime cedere valeant quantum cum deo possumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut si forsan ad loca ecclesiastico supposita interdicto te contigerit declinare, liceat tibi in illis clausis ianuis excommunicatis et interdictis exclusis non pulsatis campanis et summissa voce in tua et familiarium tuorum presentia facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto nec id tibi vel illis contigerit specia-

FUNDACIÓ NOGUERA

liter interdici, tibi tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Quinto.

1111

1357 novembre 17, Avinyó

Innocenci VI exhorta el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i li prega, per tal que, vist que no han causat efecte les seves reconvencions de pau entre ell i el rei Pere I de Castella i Lleó (el Cruel), fetes per lletra i ambaixada, com la del cardenal diaca Guillem (de la Jugie) de Santa Maria in Cosmedin, com a mínim que s'abstingui d'aliances amb els infidels com la que es diu que ha concertat amb el rei de Bellamarino i altres.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 22.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 343-344, doc. 698.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Serenitatem tuam sepius tam per dilectum filium nostrum Guilelmum sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem apostolice sedis legatum et nonnullos alios eiusdem sedis nuntios quam per nostras litteras rogasse ac monuisse recolumus, ut ad pacem cum carissimo in Christo filio nostro Petro rege Castelle et Legionis illustri provide ac laudabiliter iniendam tuam disponeres voluntatem, quod et si nuncusque effectum non habuisse sicut obtavimus deleamus, ex eo tamen gravius dolere et admirari compellimur, quod sicut accepimus ad exequendum animi tui motum contra eundem regem Castelle certas confederationes cum rege de Bellamarino et aliis infidelibus partium illarum iniisti seu inire proponis, nam quod si rumor huiusmodi veritatem contineat, quantum id deo et apostolice sedi ac fidelibus cunctis displicere merito debeat, et quantum inde fides ledatur catholica tuique fama nominis denigetur, quantumque etiam tibi et regno tuo ceterisque Christi fidelibus discrimen immineat diligenter attendat tua regia celsitudo. Considera etiam fili carissime quomodo de ipsis infidelibus confidere valeas et qualiter si cum ipsorum favore belligeras, superne gratie tibi deficiente presidio sicut verisimiliter est credendum, poteris

FUNDACIÓ NOGUERA

triumphare quodque si forsitan id superna permitterent infideles, ipsi nullam tibi servabunt, cum fidem non habeant pactionem tuque etiam postmodum cum regnis tuis maiori discrimini proculdubio subiacebis. Quis autem princeps catholicus talia cum infidelibus hactenus tractare presumpsit, que ne iuxta dictum apostoli iugum duci cum infidelibus prohibentis conventio Christi ad Bellial que societas lucis ad tenebras et que pars fidelis cum infidelibus esse potest. Certe nisi hostis antiqui aut inprudentium depravata suggestio fidei tue sinceritatem obnubilent premissa in tam catholici principis mentem potuisse pertingere non putamus. Eandem ergo serenitatem tuam hortamur monemus et rogamus attente, quatinus in hiis sano te ducens consilio et in salvatoris domini Ihesu Christi fiduciam tuam tenens ab huiusmodi detestandis et pernitiosis confederationibus te omnino retrahas et quecumque inde pro parte tua cum illis facta forent, que nos etiam prout sunt nulla et irrita nuntiamus, studeas revocare. Et insuper ad pacem et concordiam per quam regna proficiunt et populi colletantur cum ipso rege Castelle salubriter iniendam tuum inclines animum et promptum quantum decet et expedit exhibeas cum effectu operis voluntatem. In hoc beneplacitis nostris taliter obsecundans, quod nos qui de hoc eisdem regi Castelle et legato et aliis etiam scribimus, tuam exinde devotionem in domino commendare possimus tuosque honorem et statum favorabilius prosequi teneamur.

Dat. Avinione, XV Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Quinto.

1112

1357 novembre 17, Avinyó

Innocenci VI prega al noble Bernat de Cabrera, cavaller, conseller del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, perquè influeixi prop d'aquest per tal d'inclinar-lo a la pau amb el rei Pere I de Castella i Lleó (el Cruel), o com a mínim perquè no concerti lligues amb reis infidels, com el de Bellamarino.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 23.
a Pergamí molt deteriorat. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 344, doc. 699.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. [Dilecto filio] nobili viro Bernardo de Capraria militi carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris consiliario salutem et apostolicam benedictionem. Ingra[... s]uper relatione percepimus quod carissimus

FUNDACIÓ NOGUERA

in Christo filius noster Petrus rex Aragonum illustris ut contra carissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Castelle et Legionis illustrem sibi vires instaure[..]ere valeat, animi sui motum cum rege blasfemo de Bellamarino et aliis illarum partium infidelibus et etiam nominis inimicis certa [...]pnabiles confederationem et ligam iniit seu inire proponit, et tractat e[...]us si relata huiusmodi coat[....] veritatem non modicum admirari et dolere compellimur gravia exinde animarum et corporum [...]cula verisimiliter [...]ates. Eapropter nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente, quatinus diligenter attendens quantum confed[...] huiusmodi [...] et apostolice sedi cunstisque Christi fidelibus debeant displicere et quantum exinde [...] disc[...] regi Ara[...] subdi[...] regnis et terris dictisque fidelibus evenire quantumque etiam tue et aliorum [... ...] attente considerans, quatinus et quanta ex dictorum catholicorum principum discordia [....] regem tuum Aragonum consilio et inductione salubribus diligenter ins[... ...] quecunque inde facta forent penitus revocando et ad pacem et concordiam [...]cum d[...] effectualiter [...] sic quod ipse inde apud deum et homines perpetuam laudem [...] et gloriam.

Dat. Avinione, XV Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Quinto.

1113

1358 març 27, Avinyó

Innocenci VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que enviï nous missatgers per concertar la pau amb el rei Pere I de Castella i Lleó (el Cruel) o doni plens poders a Francesc de Perelló, cavaller, i Francesc Roma, doctor en lleis, legats seus, que són a la Cúria Apostòlica, amb motiu del procés obert pel cardenal diaca Guillem (de la Jugie) de Santa Maria in Cosmedin, legat de la Seu Apostòlica, contra el rei de Castella i la vista del qual ha quedat ajornada fins d'aquí a dos mesos i mig; mentrestant, resten dipositats a les mans del papa les ciutats i els castells que mútuament s'haguessin usurpat, fins a la resolució del plet.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 24.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 344-345, doc. 700.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Venientibus nuper ad apostolicam sedem dilectis filiis nobilibus viris Bernardo de Capraria milite et Francisco Rome legum

FUNDACIÓ NOGUERA

doctore serenitatis tue et certis aliis carissimi in Christo filii nostri Petri regis Castelle et Legionis illustris ambaxiatoribus et nunciis et per eos super negocio processuum per dilectum filium nostrum Guilelmum sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem in partibus illis apostolice sedis legatum contra eundem regem Castelle habitorum factis contrariis hincinde petitionibus sepius coram nobis. Tandem nos qui more patris benivoli quem non pretereunt incommoda filiorum manifesta pericula, que non solum utrique vestrum vestrisque regnis et subditis sed et toti christianitati propter infideles nobis finitimos et infestos verisimiliter eventura conspicimus formidamus. Cupientes inter vos quaslibet amputare discordias et concordiam reformare prefatos processus usque ad proximos duos et dimidium menses absque novitate aliqua facienda de ipsis decrevimus sic manere et ut principalium pocius questionum negocia inter nos deo auctore salubriter terminare possimus, in presentia dictorum ambaxiatorum ordinavimus, quod civitas castra et quecunque alia loca tua per ipsum regem Castelle noviter occupata et econverso siqua tu de suis de novo forsitan occupasses, in nostris seu illorum vel illius quos vel quem ad hoc deputandos duxerimus ponantur manibus, prout alias de ipsis in manibus dicti legati ponendis de consensu utriusque partis fuerat ordinatum. Quocirca eandem serenitatem tuam rogamus et hortamur attente in filio dei patris, quatinus pro ipsius divine maiestatis ac nostra et apostolice sedis reverentia necnon pro tuarum quiete gentium et regnorum et consolatione timentium ex hac dissensione periculum fidelium christianorum ad pacem et concordiam cum dicto rege Castelle iniendam tuum inclinans animum et disponens omnimodam voluntatem castra et alia loca dicti regis siqua forsan sint per celsitudinem tuam noviter ut premittitur occupata in manibus nostris ponas et cum dicti nuncii tui qui commissa sibi per te nobis tam prudenter quam fideliter retulerunt, ad negocium dicte concordie ut dicebant mandatum sufficiens non haberent et propterea ad tuam celsitudinem revertantur ipsos vel alios nuncios tuos cum sufficienti mandato ad huiusmodi pacem et concordiam reformandam super quibuscunque principalibus negociis de quibus ut prefertur foret dissentio inter vos ad nostram presentiam infra eundem terminum mittere non postponas. Nosque prefato regi Castelle scribimus ut de civitate castris et locis tuis per eum noviter occupatis in eisdem manibus nostris ponere non ommittat. Sic ergo carissime filii omni pravo consilio et suggestione malivola proculpulsis nostris in hac parte exhortationibus acquiescas et ommissis fidelium guerris ad inpugnationem infidelium preditorum sic magnifice et potenter intendas, quod inde rex regum tuum regnum exaltet solium et prosperitatem continuis augeat incrementis. Nosque et sedes predicta qui tuam celsitudinem cupimus gratiosis

FUNDACIÓ NOGUERA

semper favoribus promovere, ipsam cum dignis laudibus favorabilius et gratiosius prosequi delectemur.

Dat. Avinione, VI Kalendas Aprilis, pontificatus nostri anno Sexto.

1114

1358 maig 11, Avinyó

Innocenci VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, a precs de Tomàs de Patrinhani, ambaixador del Comú i poble d'Ancona, que obligui els seus súbdits, els pirates Joan de Procida, patró de la galera Santa Eulàlia, Pere Bernat, de la galera de Sant Salvador, Huguet de Lancea Talatarn, Guillem Pere de Rexach i Francesc Alberich, de la galera de Sant Joan, a restituir les naus, queviures, diners i altres béns robats a Nicolau Polluti, prop de l'illa de Rodes, i a altres mercaders d'Ancona al port de Pulla, en diverses ocasions.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 25.
a Butlla perduda.
b ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 323-324, doc. 322.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 345, doc. 701.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sicut dilexit te dominus et usque in finem te diliget ut speramus virtute divina stabiliens regnum tuum, ut subditus tibi populus sedeat in pacis pulcritudine et requie opulenta, cui te decet pre viribus usque in finem continue complacere ut vere repromissionis perseverantie coronam iusticie et bravium salutis perenne consequi deum diligentibus valeas repromissa. Sane nuper ex parte communis et populi civitatis Anconitane ad nos et Romanam ecclesiam pleno iure absque medio pertinentis per dilectum filium nobilem virum Thomam de Patrinhanis domicellum dicti communis ambaxiatorem nobis extitit humiliter supplicatum, ut cum dampnationis filii Iohannes de Procida sancte Eulalie, Petrus Bernardi sancti Salvatoris, Huguetus de Lancea Talatarii, Guillermus Petri de Raxath et Franciscus Alberici sancti Iohannis galearum patroni pirate maritimi incole regni tui cum eorum complicibus dilectum filium Nicolaum Polluti prope insulam Rodi et nonnullos alios mercatores Anconitanos in portu Palacie diversis vicibus multis mercibus bonis iocalibus pecuniis navigiis et rebus aliis immaniter spoliarunt et secum spolia nequiter asportarunt in ipsorum communis et populi ac mercatorum Anconitanorum

FUNDACIÓ NOGUERA

permaximum preiudicium et sedis apostolice, cuius sunt peculiares homines, contemptum ac rei publice dispendium et iacturam, super hiis tibi fili scribere dignaremur. Nos eorum iustis supplicationibus annuentes, serenitatem tuam rogamus attentius et hortamur, quatinus tu carissime fili, qui propter veritatem mansuetudinem et iusticiam hactenus domino placuisti, nequaquam apud eundem reperiaris velut iusticiam renueris displicere, quinimo iusticiariis tuis ut piratas predictos ad restitutionem debitam predictis dampna passis faciendam districte precipere et eosdem piratas ac alios regnicolas tuos ne dictis Anconitanis per mare seu terram amodo noceant cohibere, ob regis regum sub cuius nutu omnia regna et potestates regie corruunt et consistunt et nostri, qui tibi fili inter ceteros afficimur pares tuos et sedis apostolice reverentiam et honorem ac rei utilitatis publice interventu velis et cupias ac perfici pacifice facias ut obtamus.

Dat. Avinione, v Idus Maii, pontificatus nostri anno Sexto.

1115

1358 desembre 20, Avinyó

Innocenci VI mana al sagristà d'Avinyó, a Pere Dalbiarz, canonge de Mende (Losera), i a l'oficial de Barcelona que tinguin cura d'atorgar al mestre Bernat Esteve, canonge de Barcelona, escrivà i familiar del papa, un benefici eclesiàstic a la ciutat o diòcesi de Barcelona.

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-225.
a Marge superior retallat. Butlla perduda.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. sacriste Avinionensis et Petro Dalbiarz canonico Mimatensis ecclesiarum ac .. officiali Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Laudabilia probitatis et virtutum dilecti filii magistri Bernardi Stephani canonici Barchinonensis scriptoris et familiaris nostri merita, quibus personam suam tam familiari experientia quam fidedignorum testimonio iuvari percepimus necnon grata sue devotionis et familiaritatis obsequia, que nobis et apostolice sedi idem magister Bernardus hactenus impendit fideliter et impendere non desistit, exposcunt ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque in ecclesia civitate et diocesi Barchinonensibus sint nonnulla perpetua simplicia beneficia ecclesiastica sine cura capellanie in illis partibus nuncupata consueta canonicis ecclesie Barchinonensis assignari, nos volentes eidem magistro Bernardo qui auctoritate litterarum nostrarum in dicta ecclesia canonicatum obtinet et prebendam expectat premissorum

FUNDACIÓ NOGUERA

meritorum et obsequiorum suorum intuitu gratiam facere specialem, duo ex huiusmodi beneficiis quorum fructus redditus et proventus septuaginta librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime valorem annuum non excederent, siqua tunc vacabant vel cum simul aut successive vacarent, que idem magister Bernardus per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illorum innotesceret duceret acceptanda, conferenda dicto magistro Bernardo post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservavimus, districtius inhibentes venerabili fratri nostro .. episcopo Barchinonensi ac illi vel illis ad quem vel ad quos beneficiorum huiusmodi collatio provisio presentatio seu quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ne de illis interim etiam ante acceptationem eandem nisi postquam eis constaret, quod magister Bernardus vel procurator predicti illa nollent acceptare, disponere quoquomodo presumerent, ac decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie et presertim illis quibus in ea caveri dicitur, quod nullus capellaniam in ipsa ecclesia vel ab ea obtinere valeat, nisi fuerit ipsius ecclesie canonicus prebendatus et in eadem ecclesia assidue resideat, contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus eundem magistrum Bernardum in assecutione beneficiorum ipsorum voluimus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari. Seu si eidem episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a prefata sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in dictis

FUNDACIÓ NOGUERA

nostris litteris mentio specialis. Seu quod idem magister Bernardus parrochialem ecclesiam de Castromaura Narbonensis diocesis et in Elnensi ac Valentina cum prebendis et in predicta Barchinonensi ac in sancti Pauli Narbonensi ecclesiis sub expectatione prebendarum ac officii canonicatus obtinet et quod dudum sibi in dicta Elnensi ecclesia de quadam pensione fuerit apostolica auctoritate provisum. Nos enim cum eodem magistro Bernardo ut non obstantibus quod in dicta ecclesia prebendatus non sit et in ea assidue non resideat necnon statutis et consuetudinibus supradictis huiusmodi capellanias libere recipere et licite retinere ac fructus redditus et proventus ex ipsis idem magister Bernardus percipere valeat auctoritate predicta de uberioris dono gratie duximus dispensandum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios huiusmodi beneficia per nos ut premittitur reservata, si tempore huiusmodi reservationis nostre vacabant vel postea vacaverunt aut quamprimum illa simul vel successive vacare contigerit, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis post acceptationem predictam eidem magistro Bernardo auctoritate nostra conferre et assignare curetis, inducentes eum vel procuratorem eius nomine in corporalem possessionem beneficiorum ac iurium et pertinentiarum predictorum et defendentes inductum ac facientes eum vel dictum procuratorem pro eo ad huiusmodi beneficia ut est moris admitti sibique de ipsorum beneficiorum fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Non obstantibus omnibus supradictis, seu si eidem episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sede indultum existat, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri Anno Sexto.

1116

1359 maig 14, Avinyó

Innocenci VI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, a precs de Ramon (de Bellera), bisbe de Vic, que deixi de molestar el bisbe, segrestant-li els fruits i rèdits a fi d'obligar-lo a renunciar a certs drets que li foren reconeguts per la Seu Apostòlica en la sentència resolutòria, en última instància, del plet que litigà amb el jove cavaller Bernat de Cabrera.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 26.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 345-346, doc. 702.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Exposuit nobis venerabilis frater noster Raymundus episcopus Vicensis quod cum olim quedam monitio per dilectum filium .. officialem Vicensem quibusdam officialibus curie secularis civitatis Vicensis super quibusdam iuribus ad eundem episcopum et eius mensam episcopalem Vicensem spectantibus facta fuisset, cuius occasione inter prefatum episcopum et dilectum filium nobilem virum Bernardum de Capraria iuniorem militem suborta fuit materia questionis, que tandem per appellationes legitimas ad sedem apostolicam extitit devoluta et inibi aliquandiu etiam ventilata tua regia celsitudo eundem episcopum requisivit, ut prefatam monitionem officialis eiusdem revocaret et cause renuntiaret eidem. Et quia idem episcopus requisitiones tuas huiusmodi prout non debebat nec salva conscientia poterat non implevit, omnia iura temporalia ad eundem episcopum spectantia ad manum regiam poni fructusque redditus et proventus ad eum spectantes sequestrari fecisti necnon districte sub gravium comminatione penarum mandari et etiam proclamari, ut nullus regius subditus eidem episcopo de huiusmodi suis redditibus responderet, super quibus idem episcopus apostolice apud eandem celsitudinem intercessionis remedium humiliter imploravit. Ideoque serenitatem tuam rogamus monemus et hortamur attente, quatinus ad regem supernum, a quo tibi est data potestas cuiusque prefatus episcopus venerandus minister existit, debite considerationis intuitum redigens et sub modestia recti iudicii temperans animi tui motum, premissas si vere sint omnesque alias molestias et turbationes per te vel gentes tuas in eundem episcopum ac gentes bona et iura sua quomodolibet irrogatas ob divinam ac nostram et apostolice sedis reverentiam effectualiter revocans et retractans ipsum episcopum honoris et status regii fervidum zelatorem velis in suis iuribus benigne prosequi et favorabiliter confovere. Considera quesumus carissime fili qualia esse debeant iusti regis iudicia catholici principis opera et erga deum debite devotionis indicia. Sicque in prefato aliisque episcopis et dei ministris ac ecclesiastica libertate cum regia mansuetudine cuncta componas quod ipse rex regum tuum regale solium exaltet et foveat tuque a nobis et sede predicta augmentum benedictionis et gratie iugiter consequi merearis.

Dat. Avinione, II Idus Maii, pontificatus nostri anno Septimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1117

1359 juny 22, Vilanova d'Avinyó

Innocenci VI comunica al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que ha cridat a Avinyó Joan Fernández d'Heredia, castellà d'Amposta, perquè la ciutat de Lo Puèi, veïna del comtat de Venaissí, de la Seu Apostòlica, està amenaçada per una multitud d'homes armats que circulen pels seus voltants. Li prega, per tant, que no contrariï aquesta resolució, atesa la gravetat del cas i el fet d'haver permès a l'esmentat religiós romandre als seus regnes més temps de l'assenyalat, al qual commina amb excomunió si no es posa en camí dins els vuit dies següents a la recepció de les lletres pontifícies.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 49, núm. 27.
a Butlla perduda.
b ZUNZUNEGUI ARAMBURU, *Bulas y cartas secretas de Inocencio VI*, p. 372-373, doc. 366.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 346, doc. 703.

Innocentius (VI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Sepe per litteras regias et per novissimas presertim nuper accepimus quam gratum habeat tua serenitas dilectum filium Iohannem Ferdinandi de Eredia castellanum Emposte in tuis et regni tui obsequiis ultra assignatum per nos eidem terminum remanere. Propter quod licet eius presentia plurimum egeremus et ad agenda negotia, que commiseramus eidem, eum duxerimus ad nostram presentiam evocandum, celsitudini tamen tue de ipsius castellani retentione ad tempus quod instat de proximo libenter duximus complacendum et adhuc utique complacere liberaliter curaremus, si magna et evidencia que imminent pericula non obstarent. Sed quia ad nostrum nuper pervenit auditum, quod nonnulle gentes armigere prope civitatem Anitiensem comitatui nostro Venaysini et Romane curie satis vicinam hostiliter discurrentes, hiis partibus comminantur. Cum huiusmodi hostiles incursus oporteat condigne provisionis remedio prevenire, et propter ea que in talibus requiruntur dicti castellani presentia non tantum utilis sed necessaria nobis et dicto comitatui solito plus existat, celsitudinem eandem rogamus attente, quatinus moleste non ferat si eiusdem castellani reditum ulterius differri non patimur, quem nobis etiam tacentibus multipliciter advocat gravitas agendorum. Ceterum nos eidem per alias nostras litteras damus specialiter in mandatis, ut sublato cuiuslibet more dispendio ad nostram curet presentiam celeriter se conferre. Quod si forte aliqua dilationis occasione pretensa tarditatem interponere aliquatenus videretur eum, si infra octo dies post receptionem nostrarum litterarum de loco, in quo fuerit, non

FUNDACIÓ NOGUERA

recesserit et continuatis dietis ad nos non accesserit, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto et nichilominus contra ipsum ad privationem suorum castellanie ac prioratuum procedemus.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, x Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Septimo.

1118

1360 juny 13, Avinyó

Innocenci VI mana a l'ardiaca del Vallès, a Pere Alqueximi, canonge de l'església de Barcelona, i a l'oficial de Barcelona que decideixin la qüestió entre el capítol de Vic i tots els clergues beneficiats de l'església de Vic, i Ramon de Vilademany, comanador de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem a Sant Celoni de Barcelona, sobre els privilegis, llibertats i franquícies dels habitants del castell de Voltregà, diòcesi de Vic.

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 37-6-42.
a Butlla amb fil de cànem.

Innocentius VI episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. archidiacono Vallensi et Petro Alqueximi canonico ecclesie Barchinonensis ac .. officiali Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii capitulum et universi clerici perpetui beneficiati ecclesie Vicensis petitione monstrarunt, quod licet maior pars habitatorum castri de Voltregano Vicensis diocesis homines proprii dictorum capituli clericorum et ecclesie existerent prout existunt ipsique capitulum clerici et ecclesia in possessione eorum essent ac fuissent a tempore cuius contrarii memoria non existit, tamen Raymundus de Villademayn comendator domus hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani de Sanctoceledonio Barchinonensis diocesis nitens in eosdem homines potestatem et dominium usurpare universis et singulis habitatoribus dicti castri per edictum publicum mandavit sub pena Mille Morabatinorum quam eos incurrere volebat, si mandato huiusmodi non parerent quatinus coram eo omnia privilegia libertates et franchesias que habebant seu habere poterant de non eundo in armis cum dicto commendatore seu officiali suo et sequendo eos ubicunque ire vellent ostenderent, ut pro parte vero dictorum capituli et clericorum conspicientium ex huiusmodi mandato in quantum se ad dictos homines extendebat sibi et dicte ecclesie preiudicium generari a mandato huiusmodi in quantum se ad dictos homines ut prefertur extendebat quamprimum ad eorum pervenit notitiam fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quod iustum fuerit appellatione remota decerna-

FUNDACIÓ NOGUERA

tis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, Idus Iunii, pontificatus nostri anno Octavo.

1119

1362 maig 23, Avinyó

Innocenci VI atorga a Bartomeu Calbet, laic de la diòcesi de Lleida, i a la seva esposa Francesca elegir confessor per una sola vegada en el moment de la mort per tal de concedir-los la plena remissió.

A Lleida, Arxiu Capitular, Pergamins de Llibres, Calaix A51, Pergamí 41.
a Butlla perduda.

INNOCENTIUS (VI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Bartholomeo Calbeti laico et dilecte in Christo filie Francisce eius uxori Ilerdensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex vestre devotionis affectu quo nos et Romanam ecclesiam reveremini ut petitiones vestras illas presertim que animarum vestrarum salutem respiciunt ad exaudicionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati ut confessor, quem quilibet vestrum duxerit eligendum omnium peccatorum vestrorum de quibus corde contriti et ore confessi fueritis semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat devotioni vestre tenore presentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda eam nobis per vos si supervixeritis vel per heredes vestros, si tunc forte transieritis, faciendam iniungat quam vos vel illi facere teneamini ut prefertur. Et ne quod absit propter huiusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda volumus, quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeretis quo ad illa predicta remissio vobis nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, x Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Decimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

URBÀ V

(elecció 28 setembre 1362; coronació 6 novembre 1362;
† 19 desembre 1370)

1120

1362 novembre 28, Avinyó

Urbà V mana al bisbe de Girona (Ènnec de Vallterra) que s'informi sobre l'honestedat de vida del prevere pobre Guillem Predal i el proveeixi amb un benefici segons les seves capacitats dels beneficis de l'església de Sant Vicenç de Canet de la seva església.

A Girona, Arxiu Capitular, Pergamí s/n.
a Butlla perduda.

Urbanus (V) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Gerundensi salutem et apostolicam benedictionem. Constitutus in presentia nostra dilectus filius Guillermus Predali pauper presbiter tue diocesis nobis humiliter supplicavit ut cum ipse sicut asserit beneficium aliquod ecclesiasticum non obtineat provideri sibi de benignitate apostolica mandaremus. Quia igitur illi sunt ad ecclesiastica beneficia promovendi quibus mores et scientia suffragantur, cum idem presbiter quem per certos examinatores super hoc deputatos a nobis de litteratura examinari fecimus diligenter inventus sit in illa convenienter ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum, nos de vita et conversatione ipsius presbiteri noticiam non habentes, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus de hiis solerter inquirens si eum vite laudabilis et honeste conversationis esse reppereris et aliud beneficium ecclesiasticum non obtineat aliudque canonicum non obsistat, ei de aliquo ecclesiastico beneficio secundum sue probitatis merita competenti cum cura vel sine cura consueto abolim clericis secularibus assignari spectante ad collationem vel presentationem dilecti filii .. perpetui capellani ecclesie sancti Vincentii de Canionibus dicte tue diocesis si quod in civitate vel diocesi Gerundensi vacat ad presens vel quamprimum ad id obtulerit se facultas per te vel alium seu alios providere procures, inducens eum in corporalem possessionem eiusdem beneficii ac defendens inductum ac faciens ipsum ad illud si in ecclesia collegiata secundum distinctionem inferius annotatam extiterit postquam de ipso vacante sibi provisum fuerit in canonicum recipi et in fratrem. Non obstante si aliqua nostra vel predecessorum nostrorum Romanorum pontificum auctoritate huiusmodi beneficia ad dicti perpetui capellani collatione vel presentatione spectantia tam in huiusmodi pauperum quam alia quacumque forma provisionis expectent, quibus omnibus

FUNDACIÓ NOGUERA

preterquam auctoritate nostra huiusmodi benefitia expectantibus dictum presbiterum in assecutione huiusmodi benefitii nolumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem aliorum beneficiorum preiudicium generari, aut si aliquibus de benefitiis ecclesiasticis ad dictum perpetuum capellanum spectantibus per nostras litteras sit provisum, seu si eidem perpetuo capellano vel personis ipsius ecclesie in qua sibi provideri contigerit a sede apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneatur quodque ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint vel quod de benefitiis ad eorum collationem vel presentationem spectantibus non possint aliquibus provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam de indulta huiusmodi mentionem sive qualibet alia prefate sedis indulgentia cuiuscumque que tenoris existat per qua effectus presentium impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris mentionem fieri oporteat spetialem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, ita tamen quod idem presbiter prout requiret onus beneficii, de quo ei provisum fuerit personaliter, resideat in eodem, mandatum nostrum in hac parte taliter impleturus, quod in eo impendisse lauderis misericordiam pauperi ex obedientia mandatori, volumus autem quod omnes alie littere a sede predicta vel eius legatis seu quibuslibet aliis obtente necnon promissiones et obligationes a quibuscumque personis facte super ipsius presbiteri provisione sint invalide omnique careant firmitate. Ceterum districtius inhibemus ne prefato presbitero auctoritate presentium in cathedrali aliquatenus provideatur ecclesia vel de cuiuslibet ecclesie collegiate prebenda vel alio ecclesiastico beneficio sine cura cuius redditus et proventus annui vigintiquinque librarum Turonensium parvorum summa sive de aliqua parrochiali ecclesia vel aliquo ecclesiastico beneficio curam animarum habente cuius redditus et proventus quadraginta librarum eiusdem monete annuam quantitatem excedant, valorem autem huiusmodi reddituum et proventuum declaramus et haberi volumus extimatum prout de illis secundum taxationem vel alias pro decima est amplius persolutum. Nostre tamen intentionis existit quod de huiusmodi beneficio etiam si minoris quam predicitur valoris extiterit possit eidem presbitero si illud infra unius mensis spatium postquam sibi de ipsius beneficii vacatione constiterit acceptare voluerit provideri. Prefato enim perpetuo capellano ne post insinuationem presentium et processuum per eas habitorum ei factam de ipso beneficio interim etiam ante acceptationem huiusmodi disponere quoquomodo presumat, districtius inhibemus, decernentes irritum et inane si secus super premissis a quoquam quavis auctoritate contigerit attemptatum.

FUNDACIÓ NOGUERA

Dat. Avinione, IIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

1121

1362 desembre 7, Avinyó

Urbà V atorga a tots els fidels cristians que visitin l'església del monestir de la Verge Maria de la Serra de Montblanc de l'orde de santa Clara, diòcesi de Tarragona, durant les festes de l'assumpció de la Verge Maria i de Sant Maties, un any i quaranta dies de perdó, i per les octaves d'aquestes festes quaranta dies de perdó per les penitències no complides.

A Montblanc, Arxiu Històric Comarcal, col·l. Ismael Balanyà i Moix, Pergamins, calaix 10, núm. 6.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b HAYEZ, *Urbain V, lettres communes*, II, p. 23, doc. 5112.

URBANUS (V) episcopus servus servorum dei. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Dum precelsa meritorum insignia quibus regina virgo dei genitrix gloriosa sedibus prelata sidereis quasi stella matutina prerutilat devote considerationis imagine perscrutamur, dum etiam infra pectoris archana revolvimus, quod ipsa utpote mater misericordie gratie pietatis amica humani generis consolatrix pro salute fidelium, qui delictorum onere pregravantur sedula exoratrix et pervigil ad regem quem genuit intercedit dignum, quinpocius debitum arbitramur ut ecclesias in honorem sui nominis dedicatas gratiosis remissionem prosequamur inpendiis et indulgenciarum muneribus honoremus. Cupientes igitur ut ecclesia monasterii beate Marie dela Serra Montisalbi ordinis sancte Clare Terraconensis diocesis ad quam ut asseritur propter multa miracula que ibidem divina clementia operatur, magna confluit populi multitudo, congruis honoribus frequentetur et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, quo ibidem uberius dono celestis gratie conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in assumptionis eiusdem beate Marie virginis ac beati Mathie apostoli festivitatibus unum annum et unam quadragenam, illis vero qui per octabas earundem festivitatum predictam ecclesiam devote visitaverint annuatim, quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis singulis videlicet diebus festivitatum et octabarum ipsarum, quibus ecclesiam ipsam visitaverint ut prefertur, misericorditer relaxamus.

Dat. Avinione, VII Idus Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

1122

1362 desembre 10, Avinyó

Urbà V concedeix a Artal d'Alagó i a la seva esposa Joana de la diòcesi de Catània la indulgència perquè el seu confessor pugui concedir la remissió plenària de tots els pecats a l'hora de la mort.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 59, núm. 2.
a Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 347, doc. 704.
c HAYEZ, *Urbain V, lettres communes*, I, p. 13, doc. 304.

URBANUS (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Artali de Alagona laico et dilecte in Christo filie Iohanne eius uxori Cathaniensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex vestre devotionis affectu quo nos et Romanam ecclesiam reveremini, ut petitiones vestras, illas presertim que animarum vestrarum salutem respiciunt ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc est quod nos vestris supplicationibus inclinati, ut confessor quem quilibet vestrum duxerit eligendum, omnium peccatorum vestrorum de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni vestre tenore presentium indulgemus, sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda, eam vobis per vos si supervixeritis vel per heredes vestros, si tunc forte transieritis, faciendam iniungat, quam vos vel illi facere teneamini ut prefertur. Et ne quod absit propter huiusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda, volumus quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeretis, quoad illa predicta remissio vobis nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, IIII Idus Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

1123

1363 gener 9, Avinyó

Urbà V comissiona els abats dels monestirs de Montmajor, Sant Andreu de Sureda, Arle, Avinyó i Nimes per actuar com a jutges conservadors del monestir de Sant Víctor de Marsella i de les seves filials.

A Girona, Arxiu Diocesà, Curia i diversos, núm. 107.
a Butlla perduda.

Urbanus (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. Montismaioris et .. sancti Andree ac .. de Salino Arelatensis Avinionensis et Nemausensis diocesium monasteriorum abbatibus salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie licet immeriti disponente domino presidentes circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis et profectibus divina cooperante clementia salubriter intendamus. Sane dilectorum filiorum conventus monasterii sancti Victoris Massiliensis sedi apostolice immediate subiecti proprii abbatis regimine carentis adpresens ordinis sancti Benedicti conquestione percepimus quod nonnulli archiepiscopi et episcopi aliique ecclesiarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose quam etiam seculares necnon duces marchiones comites barones nobiles milites et laici communia civitatum universitates opidorum castrorum villarum et aliorum locorum alieque singulares persone civitatum et diocesium ac aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra villas et alia loca terras domos possessiones iura et iurisdictiones necnon fructus census redditus et proventus dicti monasterii et membrorum eius et nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad abbatem dicti monasterii qui est pro tempore et conventum ac monasterium et membra predicta spectantia et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus prestant auxilium consilium et favorem, nonnulli etiam civitatum diocesium et partium predictarum, qui nomen domini invanum recipere non formidant, eisdem abbati et conventui necnon dilectis filiis monasteriorum aliorum ac prioratuum locorum et membrorum ipsius monasterii sancti Victoris subiectorum abbatibus prioribus administratoribus et ipsorum monasteriorum prioratuum ac locorum et membrorum conventualium conventibus super predictis castris villis et locis aliis ac terris domibus possessionibus iuribus et iurisdictionibus fructibus censibus redditibus et proventibus eorundem et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus et temporalibus ac aliis rebus ad eosdem abbates priores administratores et conventus ac monasterium et membra spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt et iacturas. Quare dicti conventus prefati monasterii sancti Victoris nobis humiliter supplicarunt, ut cum eis dictisque abbatibus prioribus administratoribus atque conventibus valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem abbatibus

FUNDACIÓ NOGUERA

prioribus administratoribus conventibus ac monasterio et membris remedio subvenire, per quod ipsorum occupatorum detentorum presumptorum molestatorum et iniuriatorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia preclucatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, etiam si sint extra loca in quibus deputati estis conservatores et iudices prefatis abbatibus prioribus administratoribus et conventibus ac monasterio et membris efficacis defensionis presidio assistentes non permittatis eosdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad abbates priores administratores et conventus ac monasterium et membra predictos spectantibus ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari vel eis gravamina seu dampna vel iniurias irrogari, facturi dictis abbatibus prioribus administratoribus conventibus ac monasterio et membris cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castorum villarum terrarum et aliorum locorum iurisdictionum iurium et bonorum mobilium et immobilium reddituum quoque et proventuum et aliorum quorumcumque bonorum necnon de quibuslibet molestiis iniuriis atque dampnis presentibus et futuris in illis videlicet que iudicialem requirunt indaginem summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit iusticie complementum, occupatores seu detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque dignitatis status ordinis vel conditionis extiterint quandocunque et quotienscunque expedierit auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri,[45] in quibus cavetur ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine sue diocesis ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesis earundem trahere presumant, dummodo ultra quatuor dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et violenciis et aliis que iudicialem indaginem exigunt, penis in eos si secus egerint et in id procurantes adiectis conservatores se nullatenus intromittant, quam

45. IV Conc. del Laterà, càn. 37, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 251-252; X 1.3.28, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 31; VI 1.3.11, 1.14.15, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 941-942, 982-983.

FUNDACIÓ NOGUERA

aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non vocandis aut aliis editis que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercitio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod excommunicari suspendi vel interdici seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis locis ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio spetialis. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus quodque a datum presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio attributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, constitutione predicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante. Presentibus post viginti annos minime valituris.

Dat. Avinione, v Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Primo.

1124

1363 gener 13, Viterbo

Urbà V mana a l'ardiaca de Benasc de la diòcesi de Lleida dirimir la qüestió entre l'abat i el convent del monestir d'Àger de l'orde de sant Agustí, d'una banda, i el noble Bernat de Mesiris i altres ciutadans laics de la diòcesi d'Urgell, de l'altra, sobre dècimes, deutes, possessions i altres coses.

A Lleida, Arxiu Capitular, Calaix A66, cm 01.
a Butlla amb fil de cànem.

Urbanus V episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. archidiacono Benacensis in ecclesia Ylerdensi salutem et apostolicam be-

FUNDACIÓ NOGUERA

nedictionem. Conquesti sunt nobis dilecti filii .. abbas et conventus monasterii Aggerensis ordinis sancti Augustini quod nobilis vir Bernardus de Mesiria et quidam alii laici Urgellensis civitatis et diocesis super decimis tuis debitis possessionibus et rebus aliis inviriantur eisdem. Ideoque discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus partibus convocatis audias causam et appellatione remota debito fine decidas faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Proviso ne in terram dicti nobilis excommunicationis vel interdicti firmam proferas nisi super hoc a nobis mandatum receperis speciale. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Viterbii, Idus Ianuarii, Pontificatus nostri anno Primo.

1125

1363 abril 14, Avinyó

Urbà V atorga a Miquel Fuster, canonge de Lleida i llicenciat en lleis, en consideració del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), del qual fou conseller, una canongia en l'església de Lleida reservant-li una prebenda i una dignitat sempre que deixi la canongia i prebenda de l'església d'Elna.

A Lleida, Arxiu Capitular, Pergamins de Llibres, Calaix A48, ON-298.
a Plica retallada. Butlla perduda.
b LAURENT, *Urbain V, lettres communes*, I, p. 564, núm. 4899.

Urbanus (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Machaeli Fusteti canonico Ilerdensi bacallario in legibus salutem et apostolicam benedictionem. Litterarum scientia vite ac morum honestas et alia in te ingentia dona virtutum et probitatis merita super quibus apud nos fidedignorum commendaris testimonio nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi qui ut asseris carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris consiliarius existis premissarum intuitu gratiam facere specialem canonicatum ecclesie Ilerdensis cum plenitudine iuris canonici auctoritate apostolica tibi conferimus et de illo etiam providemus, prebendam vero ac dignitatem personatum vel officium seu perpetuam administrationem dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post episcopalem non existat, sique siqui vel siqua in dicta ecclesia vacansi ad presens vel cum simul vel successive vacaverint, quas quos vel que tu per te vel procuratorem ad hec legitime constitutum infra unius mensis spacium postquam tibi vel eidem procuratori de [....] illorum vaca-

FUNDACIÓ NOGUERA

tione constiterit duxeris acceptandas vel acceptandos seu acceptanda conferendas vel conferendus seu conferenda tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus districtius inhibentes venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Ilerdensibus ac illi vel illis ad que vel ad quos prebendarum ac dignitatum personatuum officiorum vel administrationum huiusmodi collatio provisio presentatio seu quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim nec de huiusmodi prebenda dignitate personatu vel officio seu administratione interim etiam ante acceptationem huiusmodi, nisi postquam eis constiterit quod tu vel procurator predictus illas vel illos seu illa nolueritis acceptare disponere quoquo modo presumant ac decernentes exnunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus de certo canonicarum numero et quibuslibet aliis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie continens paramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis si alieni apostolica vel alia quavis auctoritate in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant. Seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ac dignitatibus personatibus vel officiis seu administrationibus in dicta ecclesia speciales vel de beneficiis ecclesiasticis in illis partibus [...] apostolice sedis vel legatorum eius litteris inretrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et d[...] vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in dicta ecclesia prebendas [.....] dignitates personatus vel officia aut administrationes huiusmodi expectantibus in eadem te in assecutione prebende dignitatis personatus officii et administrationis huiusmodi vocatis anteferri sed nullum per hoc quod assecutionem prebendarum ac dignitatum personatuum officiorum aut administrationum ac beneficiorum aliorum preiudicium generari. Aut si eisdem episcopo et capitulo vel quibusvis aliis comuniter vel divisem a dicta sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de canonicatibus et prebendis ac dignitatibus personatibus officiis seu administrationibus eiusdem ecclesie aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam expositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia prefate sedis indulgentia generai vel speciali cuiuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qu[....] cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Aut si presens non fueris ad prestandum

FUNDACIÓ NOGUERA

de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramentum dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesseris corporaliter illud prestes. Seu quod in Urgellensi et Elnensi diocesibus canonicatus et prebendas nosceris obtinere. Volumus autem quod quamprimum vigore presentium canonicatum et prebendam ac dignitatem aut personatum vel administrationem seu officium iuiusmodi fueris pacifice assecutus dictos canonicatum et prebendam ecclesie Elnensis quos ut prefertur obtines quosque extunc vacare de[….]tes omnino dimittere tenearis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre collationis provisionis reservationis inhibitionis constitutionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, [XVIII] Kalendas Maii, pontificatus nostri anno Primo.

1126

1364 abril 4, Avinyó

Urbà V mana als abats de Sant Joan de les Abadesses i de Santa Maria de Ripoll de la diòcesi de Vic, i a Berenguer de Pujol, canonge de Vic, que decideixin sobre el procés entre l'abadessa Guillema i el convent del monestir de Sant Pere de les Puelles de Barcelona que pertany directament a l'Església romana, i Guillem (de Torrelles), bisbe de Barcelona, a causa de la seva visita a aquest monestir.

A Barcelona, Arxiu del Monestir de Sant Pere de les Puelles, carpeta 1 bis, núm. 109.
a Butlla amb fil de cànem.
b HAYEZ, *Urbain V, lettres communes*, III, p. 457, doc. 11446.

Urbanus V episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. sancti Iohannis de Abbatissis et .. sancte Marie de Rivipullo Vicensis diocesis monasteriorum abbatibus ac Berengario de Podiolo canonico ecclesie Vicensis salutem et apostolicam benedictionem. Exhibita nobis pro parte dilectarum in Christo filiarum Guillerme abbatisse et conventus monasterii sancti Petri Puellarum Barchinonensis ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti petitio continebat, quod licet dictum monasterium cum omnibus personis degentibus in eodem et clericis perpetuis beneficiatis in ecclesia ipsius monasterii ab omni iurisdictione dominio et potestate ac visitatione episcopi Barchinonensis qui est pro tempore et quorumlibet aliorum iudicum

FUNDACIÓ NOGUERA

ordinariorum necnon a prestatione cuiuscumque subsidii episcopo vel ordinariis predictis facienda esset, prout est per specialia privilegia eis a sede apostolica concessa, quibus non erat nec est in aliquo derogatum prorsus exemptum et eidem sedi inmediate subiectum, ita quod idem episcopus et ordinarii etiam ratione delicti vel contractus aut rei, de qua agitur ubicumque committatur delictum inhiatur contractus aut res ipsa consistat non possint in eas dominium potestatem aut iurisdictionem aliquam exercere nec ab eis aliquod subsidium petere seu exhigere ipseque abbatissa et conventus ac monasterium fuissent in pacifica possessione vel quasi exemptionis et libertatis huiusmodi a tempore concessionis dictorum privilegiorum et etiam cuius contrarii memoria non existit. Tamen quia olim venerabilis frater noster Guillermus episcopus Barchinonensis ad ecclesiam ipsius monasterii causa visitationis ut dicebat accedens in dicta ecclesia officium visitationis auctoritate ordinaria ut dicebat exercere et clericis beneficiatis perpetuis in dicta ecclesia certum etiam caritativum subsidium exigere nitebatur pro parte dictorum abbatisse et conventus sententiam exinde indebite se gravari diversis fuit successive vicibus ad sedem apostolicam appellatum ipseque abbatissa et conventus super appellationibus suis huiusmodi nostras et dilectos filios sancte Marie de Villabertrandi et sancte Marie de Amerio Gerundensis diocesis monasteriorum abbates ac Geraldum Patavi canonicum Gerundensem diversas sub certa forma litteras impetrarunt dictumque Guillermum episcopum fecerunt in causa seu causis appellationum huiusmodi coram dicto canonico et dilecto filio .. preposito monasterii sancti Martini de Costa Gerundensis per prepositum soliti gubernari ordinis sancti Augustini, quibus prefati sancte Marie de Villabertrandi et sancte Marie de Amerio monasteriorum abbates in hac parte auctoritate dictarum litterarum commiserant, totaliter vices suas auctoritate litterarum et commissionum predictarum ad iudicium evocari et licet coram eisdem preposito et canonico ad nonnullos actus in huiusmodi causis inter dictas partes processum fuisset dicteque cause coram eis penderent, tamen prefatus episcopus privilegia et appellationes predicta dictorumque iudicum iurisdictionem vilipendens in abbatissam et singulares moniales dicti monasterii excommunicationis et in conventum predictas suspensionis ac in ecclesiam et cimiterium ipsius monasterii interdicti sententias promulgavit ipsasque sententias multipliciter aggravavit et nonnullos etiam inquisitionum et alios processus contra ipsos abbatissam et conventum ac clericos ipsius ecclesie fecit et nonnullas alias molestias et iniurias irrogavit in apostolice sedis ac privilegiorum et appellationum predictarum contemptum ipsorumque abbatisse conventus et clericorum preiudicium et gravamen et scandalum plurimorum quodque prefatus episcopus ex quibusdam confictis gravaminibus sibi

FUNDACIÓ NOGUERA

ab eisdem preposito et canonico ut minus veraciter dicebat illatis ad dictam sedem dicitur appellasse, quibus appellationibus ipsius episcopi prefati prepositus et canonicus minime detulerunt. Quare pro parte dictarum abbatisse et conventus fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc paterna solicitudine dignaremur. Nos igitur cupientes super premissis de oportuno remedio providere, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hincinde propositis quicquid post et contra dictas appellationes abbatisse et conventus predictarum inveneritis temere attemptatum in statum debitum revocare curetis et deinde in omnibus et singulis causis tam predictarum appellationum ipsarum abbatisse et conventus quam negocii principalis quod iustum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis auctoritate nostra firmiter observari, et nichilominus eidem episcopo et suis officialibus ne contra ipsas abbatissam et conventum ac clericos et alias personas vel bona dicti monasterii in preiudicium litis et cause predictarum huiusmodi litibus pendentibus coram vobis aliquid attemptare presumant, districtius inhibere curetis prout de iure fuerit faciendum. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Contradictores quoslibet et rebelles eadem auctoritate appellatione postposita compescendo. Non obstantibus si eisdem abbatisse et conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede predicta sit indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, II Nonas Aprilis, pontificatus nostri Anno Secundo.

1127

1364 juliol 8, Avinyó

Urbà V amonesta el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) per tal que impedeixi les vexacions que fa Roger Bernat de Foix, vescomte de Castellbò de la diòcesi d'Urgell, al bisbe (Guillem Arnau de Patau) i al capítol d'Urgell.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla amb fil de cànem.

Urbanus V episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem.

FUNDACIÓ NOGUERA

Gravem venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum capituli Urgellensium querelam accepimus continentem, quod dilectus filius nobilis vir Rogerius Bernardi de Fuxo vicecomes Castriboni Urgellensis diocesis castra bona iurisdictiones et iura Urgellensis ecclesie sibi satagens usurpare civitatem Urgellensem in qua iidem episcopus et capitulum dominium obtinent temporale, cum hostili exercitu de et ex illis viris nefariis qui se magnas societates appellant et aliis armageris gentibus tam de intra quam extra regnum tuum Aragonum detestandis studiis congregato potenter invasit eamque per multas dies tenens obsessam et pro viribus expugnare satagens in illam prelia multa dedit et deinde castra ipsius ecclesie similiter invadens unum per violentiam occupavit et detinet occupatum, blada fructus arbores et bona alia non solum ipsius ecclesie sed personarum etiam diversarum crudeli depopulatione vastavit et ex hiis etiam hominum captiones redemptiones et strages bonorum spolia et rapine et mala alia plurima sunt secuta, que omnia quantum in divine magestatis offensam ac nostram et apostolice sedis iniuriam regiique derogationem honoris cedere dinoscitur, celsitudinem tuam credimus non latere. Ideoque celsitudinem ipsam hortamur et rogamus attente, quatinus tam circa correctionem excessuum predictorum et satisfactionem eidem ecclesie faciendam quam in obviando ne deinceps contra conquerentes et ecclesiam eosdem talia presumantur et quod prefati episcopus et capitulum ac ecclesia huiusmodi molestiis et iacturis amplius non ledantur, oportune velit regia circumspectio providere, ita quod inde a rege superno digne retributionis premium et a nobis et sede predicta augmentum benedictionis et gratie consequaris.

Dat. Avinione, VIII Idus Iulii, pontificatus nostri anno Secundo.

1128

1364 juliol 15, Carpentràs

Urbà V concedeix a la reina Elionor d'Aragó el privilegi perquè el capellà major de la seva capella pugui administrar els Sants Sagraments als seus familiars, sempre sense perjudici dels drets parroquials.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 50, núm. 1.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 347, doc. 705.
c HAYEZ, *Urbain V, lettres communes*, III, p. 506, doc. 11707.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 379, doc. 6137.

URBANUS (V) episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Alienore regine Aragonum illustri salutem et apostolicam bene-

FUNDACIÓ NOGUERA

dictionem. Eximie devotionis affectus quem ad nos et Romanam geris ecclesiam promeretur ut in hiis que anime tue salutem respiciunt votis tuis quantum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut principalis capellanus capelle tue qui est et erit pro tempore secularis vel religiosus omnibus familiaribus tuis domesticis quociens expedierit ministrare valeat ecclesiastica sacramenta felicis recordationis Clementis pape VI predecessoris nostri et alia qualibet constitutione contrariis nequaquam obstantibus iure parrochialis ecclesie et cuiuslibet alterius in omnibus semper salvo auctoritate tibi presencium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Carpentorati, Idus Iulii, pontificatus nostri anno Secundo.

1129

1365 abril 4, Avinyó

Urbà V mana a l'oficial de Vic que doni al clergue de Barcelona Guillem Osseti la canongia, les capellanies i els beneficis vacants, després de transferir Arnau de Manbla a la preceptoria d'aquesta església.

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 37-5-26.
a Butlla perduda.
b HAYEZ, *Urbain V, lettres communes*, IV, p. 77, doc. 13412.

Urbanus (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. officiali Vicensi salutem et apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur et congruum ut illis se reddat sedes apostolica graciosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica quorumcunque per assecucionem pacificam dignitatum personatuum officiorum ac beneficiorum aliorum ecclesiasticorum quorumlibet tunc per nos seu auctoritate litterarum nostrarum collatorum et inantea conferendorum eisdem tunc vacancia et imposterum vacatura collacioni et disposicioni nostre duximus reservanda, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et deinde dilecto filio Arnaldo de Manibla precentori ecclesie Vicensis de precentoria eiusdem ecclesie, que tunc certo modo vacare sperabatur per nostras litteras mandavimus provideri. Volentes inter cetera quod idem Arnaldus quamprimum vigore dictarum litterarum possessionem pacificam dicte precentorie foret assecutus capellanias

FUNDACIÓ NOGUERA

et beneficium perpetuum feudum nuncupatum consuetum canonicis eiusdem ecclesie assignari, que dictus Arnaldus in diocesi Vicensi tunc obtinebat et que extunc vacare decrevimus omnino dimittere teneretur prout in dictis litteris plenius continetur. Cum itaque postmodum dictus Arnaldus dicte precentorie earundem litterarum vigore sibi collate fuerit possessionem pacificam assecutus. Et propterea capellanie que alias prestimonia nuncupantur et beneficium predicta vacaverint et vacare noscantur ad presens nullusque preter nos hac vice de capellanis et beneficio predictis disponere potuerit neque possit reservacione et decreto obsistentibus supradictis. Nos volentes dilectum filium Guillermum Orsieti clericum Barchinonensem apud nos de probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favoribus prosequi graciosis, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si post diligentem examinacionem dictum Guillermum ad hoc ydoneum esse reppereris super quo tuam conscientiam oneramus canonicatum eiusdem ecclesie et capellanias et beneficium predicta sic vacancia quorum capellaniarum et beneficii fructus vigintisex librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime valorem annuum ut asseritur non excedunt cum plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Guill(erm)o auctoritate nostra conferre et assignare procures, inducens per te vel alium seu alios eundem Guill(ermu)m vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem capellaniarum et beneficii ac iurium et pertinenciarum predictorum et defendens inductum amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem ac faciens ipsum Guill(ermu)m vel dictum procuratorem pro eo in eadem ecclesia Vicensi recipi in canonicum et in fratrem stallo sibi in choro et loco in capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis et ad capellanias et beneficium predicta ut est moris admitti. Prebendam vero si qua in dicta ecclesia Vicensi vacat ad presens vel cum vacaverit quam idem Guillermus per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra unius mensis spacium postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit duxerit acceptandam conferendam eidem Guillermo post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donacioni tue auctoritate predicta reserves, districtius inhibendo venerabili fratri nostro .. episcopo et dilectis filiis capitulo Vicensibus ac illi vel illis ad quem vel ad quos in eadem ecclesia prebendarum collacio provisio presentacio seu quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ne de dicta prebenda interim eciam ante acceptationem eandem nisi postquam eis constiterit quod Guillermus vel procurator predicti illam noluerint acceptare disponere quoquo modo presumant ac nichilominus prebendam huiusmodi quam reservabis si in dicta ecclesia ut prefertur vacat vel cum vacaverit eidem Guill(erm)o post acceptacionem

FUNDACIÓ NOGUERA

predictam cum omnibus iuribus et pertinenciis predictis auctoritate prefata conferre et assignare procures, faciens eidem Guill(erm)o vel procuratori predicto pro eo de predictorum canonicatus et prebende ac capellaniarum et beneficii fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuscunque aliis statutis et consuetudinibus ipsius Vicensis ecclesie et illo presertim quo caveri dicitur quod nullus capellanias et beneficium predicta obtinere valeat nisi fuerit eiusdem Vicensis ecclesie canonicus prebendatus contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis aut si aliqui apostolica vel alia quavis auctoritate in eadem ecclesia in canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis ac huiusmodi in dicta ecclesia speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus in capellaniarum et beneficii in prebende vero predictorum assecucione ceteris preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis seu prebendas expectantibus in eadem dictum Guill(ermu)m volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem prebendarum et capellaniarum et beneficiorum aliorum preiudicium generari, seu si prefatis episcopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad recepcionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis, aut si dictus Guillermus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie solitum iuramentum dummodo in absencia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesserit corporaliter illud prestet. Nos enim si secus a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter super capellaniis et beneficio supradictis attemptatum forsan est hactenus vel imposterum attemptari contigerit irritum prout est decernimus et inane. Et si dictus Guill(ermu)s ad hoc repertus

FUNDACIÓ NOGUERA

fuerit ydoneus ut prefertur quicquid super aliis premissis attemptabitur perinde irritum esse volumus et inane ac si eidem Guill(erm)o die dat. presentium contulissemus canonicatum eiusdem ecclesie ac prebendam siqua tunc vacabat vel cum vacaret ibidem quam idem Guill(ermu)s duceret acceptandam ut prefertur conferendam eidem Guillermo donationi apostolice cum interposicione decreti duxissemus specialiter reservandam.

Dat. Avinione, II Nonas Aprilis, pontificatus nostri anno Tercio.

1130

1365 juny 18, Avinyó

Urbà V prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que Rafael de Caresini, notari plenipotenciari de Llorenç Celsi, dux de Venècia, ha decidit anar personalment a la seva cort per tancar l'assumpte enutjós de les injúries que mútuament s'han inferit els seus súbdits, ja que el seu missatger, Francesc Roma, enviat a Avinyó per a aquesta finalitat, tenia els poders limitats.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 50, núm. 2.

a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

b LECACHEUX - MOLLAT, *Lettres secrètes et curiales du pape Urbain V*, p. 319-320, doc. 1845.

c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 347-348, doc. 706.

Urbanus (V) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Dudum ad nostram deducto noticiam quod inter tuos et dilecti filii nobilis viri Laurencii Celsi ducis Venetiarum subditos mutue illate fuerunt iniurie et offense, propter quas nisi super eis de oportuno provideretur remedio, de gravi scandalo timebatur, te et dictum ducem paterne duximus requirendos, ut cum nos essemus parati pro mutua super hiis concordia laborare, nuncios proprios cum sufficientibus mandatis ad nostram presentiam mitteretis. Verum licet tua serenitas dilectum filium Franciscum Rome legum doctorem et idem dux dilectum filium Raphaynum de Caresinis notarium suum super hiis ad sedem apostolicam duxerint destinandos, tamen quia ipse Franciscus qui dicebat a te habere super hiis certum et limitatum mandatum, quod transgredi non valebat, concordare minime potuerunt, idem Raphaynus ad prosequendum tecum huiusmodi negotium deliberavit ad regiam presentiam proficisci. Nos igitur hoc habentes acceptum, celsitudinem tuam rogamus attente eique paterne consulimus, qua-

FUNDACIÓ NOGUERA

tinus dictum Raphaynum suscipias pro nostra et apostolice sedis reverencia commendatum, sibi in veniendo stando et redeundo per regnum tuum tribuas securum conductum ac eum tractes favorabiliter et benigne, et ad ea que super hiis rationis extiterint, more iusti et prudentis principis inclineris, ne ex contrario quod absit oriatur scandalum aliquod, ex quo tue sublimitati tuisque subditis dampna et pericula cumulentur.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Tertio.

1131

1366 gener 31, Avinyó

Urbà V mana al bisbe de Lleida (Romeu Sescomes) que absolgui de l'excomunió el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) per immiscir-se en els assumptes eclesiàstics.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, carpeta 30, núm. 51.
a Butlla perduda.
b HAYEZ, *Urbain V, lettres communes*, V, p. 266, doc. 17417.

Urbanus (V) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Ilerdensi salutem et apostolicam benedictionem. In apostolice sedis specula disponente domino constituti pro Christi fidelium custodia vigili presertim, regum et principum, a quorum tanquam capitum statu dependet conditio subiectorum, libenter ipsis preparamus salubria et quantum cum deo possumus queque incomoda presertim spiritualiter noxia submovemus. Sane fidedigna relatio ad nostrum nuper deduxit auditum, quod olim carissimus in Christo filius noster Petrus rex Aragonum illustris dilecto filio Gometio Petri de Porras fratri hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani certis ut creditur minus sanis consiliis seu verius suggestionibus circumventus promisit, quod eidem Gometio per dilectos filios magistrum et conventum dicti hospitalis de prioratu Cathalonie tunc ut dicebatur vacante faceret provideri et non attendens, quod personis laicalibus quantumlibet sublimibus nulla de iure in res ecclesiasticas est attributa potestas occasione huiusmodi promissionis illicite eundem Gometium in corporalem possessionem preceptoriarum Speluncefrancolini et Barbarani ac de Corbinis prefati hospitalis Terraconensis et Ilerdensis diocesium ad mensam prioris Cathalonie spectantium de facto mandavit et fecit intrudi idemque Gometius dicti regis in hac parte favore suffultus non obstante, quod de ipso prioratu post promissionem et intrusionem prefatas certo modo vacante dilecto filio Petro Guilelmi de Ulmis dicti prioratus

FUNDACIÓ NOGUERA

Cathalonie priori per magistrum et conventum predictos ordinaria fuerat auctoritate provisum, predictas preceptorias indebite occupatas detinet sicut prius ipsasque ut custos regit atque conservat, sed eorum bona ut mercenarius dilapidat et consumit ipsarumque colonos gravaminibus opprimit atque dampnis in proprie ac dicti regis eidem in hac parte faventis spiritualis salutis dispendium ac prioris et colonorum predictorum enorme preiudicium et scandalum plurimorum. Nos igitur volentes regis spirituali statui ac priori et preceptoriarum predictorum indempnitatibus paterna diligentia providere ac dicto Gometio omnem occasionem subtrahere, qua regis predicti presidium invocare seu vendicare valeat seu potius usurpare, fraternitati tue tenore presentium committimus et mandamus, quatinus regem ipsum si hoc humiliter petierit, ab omni excommunicationis sententia si quam se circa res ecclesiasticas taliter immiscendo aut alias ratione favoris seu presidii per se vel alium seu alios occupatori prefato in hac parte prestiti forsan incurrit presertim auctoritate statuti concilii provintialis Terraconensis contra invasores molestatores seu occupatores rerum bonorum seu iurium ecclesiasticorum publice promulgati iuxta ecclesie formam absolvas, iniuncto regi predicto inter cetera in virtute iuramenti prestandi, quod ipse deinceps dicto Gometio vel ei adherentibus in hac parte circa occupationem seu detentionem dictarum preceptoriarum ac iurium et pertinentiarum ipsarum non dabit per se vel alium directe vel indirecte publice vel occulte auxilium consilium aut favorem nec Petrum Guilelmi predictum quomodolibet impediet, quominus ipse dictas preceptorias cum omnibus iuribus et pertinentiis suis libere assequi possit et pacifice possidere et omne insuper iuramentum, quo dictus rex circa promissionem intrusionem et favoris prestationem huiusmodi se predicto Gometio quomodolibet astrinxit, auctoritate nostra relaxes et ipsum regem extunc ad illud per se vel alium seu alios quomodolibet observandum denunties penitus non teneri, et si dictus rex huiusmodi iuramentum prestare renuerit, ei huiusmodi absolutionis beneficium non impendas. Quod si forsan per te, quod non credimus, beneficium ipsum omissa receptione dicti iuramenti fuerit regi eidem impensum absolutionem ipsam exnunc decernimus et volumus non tenere, ac si dictus rex postquam iuramentum ipsum prestiterit contra illud venire presumpserit quoquomodo, volumus quod eo ipso in sententiam huiusmodi relabatur.

Dat. Avinione, II Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Quarto.

FUNDACIÓ NOGUERA

1132

1367 maig 3, Roma (Sant Pere)

Urbà V confirma a l'abat i al convent del monestir de Sant Pere de Besalú de l'orde de sant Benet, diòcesi de Girona, totes les llibertats i immunitats donades pels seus predecessors, i les llibertats i exempcions de les exaccions seculars dels reis, prínceps i altres fidels atorgades a aquest monestir.

A Montserrat, Arxiu de l'Abadia, Pergamins papals, núm. 24.
a Butlla perduda.

URBANUS (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii sancti Petri de B[isulduno ordi]nis sancti Benedicti Gerundensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod iustum [est et honestum,] tam vigor equitatis quam ordo exigit rationis, ut id per solicitudinem officii nostri ad debitum perducatur [effectum. E]apropter dilecti in domino filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libert[ates et imm]unitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus sive per privilegia seu alias indulgentias vobis et mon[asterio vestro] concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus et aliis Christi fidelibus rationabiliter vobis et dicto monasterio indultas, sicut eas iuste et pacifice obtinetis, vobis et per vos eidem monasterio auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, v Nonas Maii, pontificatus nostri anno [Quinto].

1133

1368 novembre 3, Roma (Sant Pere)

Urbà V mana als abats de Ripoll i de Besalú, diòcesis de Vic i Girona, i al prior de Sant Pau del Camp extramurs de Barcelona que no permetin que cap persona, ni eclesiàstica ni secular, molesti les possessions i els béns, mobles i immobles, del monestir de Sant Pere de les Puelles de Barcelona que pertany directament a l'Església romana, durant tres anys.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu del Monestir de Sant Pere de les Puelles, carpeta 1 bis, núm. 20.
a Butlla perduda.
b HAYEZ, *Urbain V, lettres communes*, VII, p. 123, doc. 21490.

Urbanus (V) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. de Rivipullo et .. de Bisulduno Vicensis et Gerundensis diocesium abbatibus ac .. priori sancti Pauli de Campo extra muros Barchinonenses per priorem soliti gubernari monasteriorum salutem et apostolicam benedictionem. Militanti ecclesie licet immerito disponente domino presidentes circa curam ecclesiarum et monasteriorum omnium solertia reddimur indefessa soliciti, ut iuxta debitum pastoralis officii eorum occurramus dispendiis et profectibus divina cooperante clementia salubriter intendamus. Sane dilectarum in Christo filiarum .. abbatisse et conventus monasterii sancti Petri Puellarum Barchinonensis ad ecclesiam Romanam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti conquestione percepimus quod nonnulli .. archiepiscopi episcopi aliique ecclesiarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose quam etiam seculares necnon duces marchiones comites barones nobiles milites et laici comunia civitatum universitates opidorum castrorum villarum et aliorum locorum ac alie singulares persone civitatum et diocesium ac aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra villas et alia loco terras domos possessiones iura et iurisdictiones necnon fructus census redditus et proventus dicti monasterii et nonnulla alia bona mobilia et immobilia spiritualia et temporalia ad abbatissam et conventum ac monasterium predictas spectantia et ea detinent indebite occupata seu ea detinentibus prestant auxilium consilium vel favorem nonnulli etiam civitatum et diocesium et parcium predictarum, qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, eisdem abbatisse et conventui super predictis castris villis et locis aliis terris domibus possessionibus iuribus et iurisdictionibus fructibus censibus redditibus et proventibus eorundem et quibuscumque aliis bonis mobilibus et immobilibus spiritualibus et temporalibus et aliis rebus ad easdem abbatissam et conventum ac monasterium spectantibus multiplices molestias et iniurias inferunt ac iacturas. Quare dicti abbatissa et conventus nobis humiliter supplicarunt, ut cum eisdem valde reddatur difficile pro singulis querelis ad apostolicam sedem habere recursum, providere ipsis super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur adversus occupatores detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi illo volentes eisdem abbatisse et conventui remedio subvenire, per quod ipsorum compescatur temeritas et aliis aditus committendi similia precludatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios etiam si sint extra loca,

FUNDACIÓ NOGUERA

in quibus deputati estis conservatores et iudices prefatis abbatisse et conventui efficacis defensionis presidio assistentes non permittatis eosdem super hiis et quibuslibet aliis bonis et iuribus ad abbatissam et conventum ac monasterium predictas spectantibus ab eisdem vel quibusvis aliis indebite molestari vel eis gravamina seu dampna vel iniurias irrogari facturi dictis abbatisse et conventui cum ab eis vel procuratoribus suis aut eorum aliquo fueritis requisiti, de predictis et aliis personis quibuslibet super restitutione huiusmodi castrorum villarum terrarum et aliorum locorum iurisdictionum iurium et bonorum mobilium et immobilium reddituum quoque et proventuum et aliorum quorumcumque bonorum necnon de quibuslibet molestiis iniuriis atque dampnis presentibus et futuris in illis videlicet, que iudicialem requirunt indaginem, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, in aliis vero prout qualitas eorum exegerit iustitie complementum occupatores seu detentores presumptores molestatores et iniuriatores huiusmodi necnon contradictores quoslibet et rebelles cuiuscumque dignitatis status ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque et quocienscumque expedierit, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii pape VIII predecessoris nostri,[46] in quibus cavetur ne aliquis extra suam civitatem et diocesim nisi in certis exceptis casibus et in illis ultra unam dietam a fine diocesium ad iudicium evocetur, seu ne iudices et conservatores a sede deputati predicta extra civitatem et diocesim in quibus deputati fuerint contra quoscumque procedere sive alii vel aliis vices suas committere aut aliquos ultra unam dietam a fine diocesium earundem trahere presumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate presentium non trahatur, seu quod de aliis quam de manifestis iniuriis et molestiis ac violentiis et aliis que iudicialem indaginem exigunt, penis in eos si secus egerint et in id procurantes adiectis conservatores se nullatenus intromittant, quam aliis quibuscumque constitutionibus a predecessoribus nostris Romanis pontificibus tam de iudicibus delegatis et conservatoribus quam personis ultra certum numerum ad iudicium non evocandis aut aliis editis que vestre possent in hac parte iurisdictioni aut potestati eiusque libero exercicio quomodolibet obviare, seu si aliquibus communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdici suspendi vel excommunicari seu extra vel ultra certa loca ad iudicium evocari non possint per litteras apostolicas non

46. IV Conc. del Laterà, càn. 37, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 251-252; X 1.3.28, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 31; VI 1.3.11, 1.14.15, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 941-942, 982-983.

FUNDACIÓ NOGUERA

facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi et eorum personis locis ordinibus et nominibus propriis mentionem, et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscunque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam vestre iurisdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri et de qua cuiusque toto tenore de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis. Ceterum volumus et auctoritate apostolica decernimus, quod quilibet vestrum prosequi valeat articulum etiam per alium inchoatum quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prepeditus quodque a datum presentium sit vobis et unicuique vestrum in premissis omnibus et eorum singulis ceptis et non ceptis presentibus et futuris perpetuata potestas et iurisdictio atributa, ut eo vigore eaque firmitate possitis in premissis omnibus ceptis et non ceptis presentibus et futuris et pro predictis procedere ac si predicta omnia et singula coram vobis cepta fuissent et iurisdictio vestra et cuiuslibet vestrum in premissis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset constitutione predicta super conservatoribus et alia qualibet in contrarium edita non obstante, presentibus post triennium minime valituris.

Dat. Rome apud Sanctumpetrum, III Nonas Novembris, pontificatus nostri Anno Sexto.

1134

1369 gener 9, Roma (Sant Pere)

Urbà V concedeix a l'infant Joan, primogènit del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) i duc de Girona, el privilegi de poder manar celebrar la santa missa resada i altres oficis divins quan ell o els seus familiars i servents estiguin presents en llocs d'entredit, a porta oberta però sense tocar les campanes, sempre que ell o els seus no haguessin donat lloc a aquesta censura.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 50, núm. 3.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 348, doc. 707.
c HAYEZ, *Urbain V, lettres communes*, VIII, p. 178, doc. 23933.

URBANUS V episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Iohanni duci Gerundensi carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris primogenito salutem et apostolicam benedictionem. Devotionis tue sinceritas promeretur ut votis tuis in hiis presertim que ad tue salutem anime cedere valeant quantum cum

FUNDACIÓ NOGUERA

deo possumus favorabiliter annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus, ut si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita te contigerit declinare liceat tibi in illis apertis ianuis excommunicatis et interdictis exclusis non pulsatis campanis et submissa voce in tua et familiarium tuorum domesticorum presentia missam et alia divina officia facere celebrari, dummodo tu vel illi causam non dederitis interdicto nec id tibi vel illis contigerit spetialiter interdici. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, V Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Septimo.

1135

1369 juny 1, Viterbo

Urbà V mana a l'oficial de Barcelona que decideixi la qüestió sobre la sentència d'excomunió feta per l'arquebisbe Pere (de Clasquerí) de Tarragona promulgada fora de la seva jurisdicció contra Pere Guillem, prior de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem a Catalunya.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, armari 23, carpeta 142, núm. 113.

a Butlla perduda.

Urbanus (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. officiali Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilectus filius Petrus Guillermi prior hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani in Cathalonia petitione monstravit, quod licet venerabilis frater noster Petrus archiepiscopus Terraconensis in eundem priorem nullam haberet iurisdictionem ordinariam seu etiam delegatam, tamen prefatus archiepiscopus in eundem priorem motu proprio excommunicationis sententiam promulgavit ipsumque mandavit et fecit excommunicatum publice nuntiari, propter quod pro parte dicti prioris sentientis exinde indebite se gravari ad sedem ex[tunc] apostolicam appellatum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis quod canonicum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Viterbii, Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Septimo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1136

1369 juny 1, Viterbo

Urbà V mana a l'oficial de l'església de Barcelona que resolgui el conflicte entre Pere Guillem, prior de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem a Catalunya, i Pere (de Clasquerí), arquebisbe de Tarragona, perquè l'arquebisbe ha excomunicat el prior Pere sense motiu.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, carpeta 29, núm. 48.

a Butlla perduda.

Urbanus (V) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. officiali Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilectus filius Petrus Guillermi prior hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani in Cathalonia petitione monstravit, quod licet ipse nullius esset excommunicationis sententia innodatus, tamen venerabilis frater noster Petrus archiepiscopus Terraconensis eundem Petrum motu proprio mandavit et fecit excommunicatum publice nuntiari, propter quod pro parte dicti prioris sencientis exinde indebite se gravari fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis quod canonicum fuerit appellatione remota decernas, faciens quod decreveris per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante compellas veritati testimonium perhibere.

Dat. Viterbii, Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno Septimo.

GREGORI XI

(elecció 30 desembre 1370; coronació 5 gener 1371; † 26 març 1378)

1137

1371 gener 29, Avinyó

Gregori XI mana al bisbe de Barcelona (Pere de Planella) que s'informi sobre la vida del clergue pobre Bernat de Mas, de la seva diòcesi, i li assigni un benefici pertanyent a la col·lació de l'ardiaconat (de Santa Maria) del Mar de l'església de Barcelona. En cas que no vulgui obeir-lo, el papa li enviarà els canonges de l'església de Barcelona, Joan de Coca i Bernat de Tous, per executar el manament papal.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-226.
a Existeix fil de cànem. Butlla perduda.

Gregorius (XI) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii Bernardi de Manso pauperis presbiteri tue diocesis apud sedem apostolicam constituti supplicationibus inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus de vita et conversatione ipsius presbiteri, qui ut asserit beneficium aliquod ecclesiasticum non obtinet et que per certos examinatores super hoc deputatos a nobis de litteratura examinari fecimus diligenter quique in illa repertus est ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum solerter inquirens, si cum vite laudabilis et honeste conversationis esse repereris et aliud beneficium ecclesiasticum non obtineat aliudque canonicum non obsistat, ei de aliquo beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura consueto ab olim clericis secularibus assignari, dummodo in ecclesia cathedrali non existat, cuius fructus redditus et proventus si cum cura quadraginta, si vero sine cura fuerit vigintiquinque librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime si taxatum fuerit, vel si taxatum non fuerit secundum quod de ipso pro decima communiter persolvi consuevit valorem annuum non excedant, ad collationem vel presentationem dilecti filii .. archidiaconi de Mari in ecclesia Barchinonensi pertinente, siquod in civitate vel diocesi Barchinonensi vacat adpresens vel cum vacaverit, quod idem presbiter infra unius mensis spacium postquam sibi de ipsius beneficii vacatione constiterit, duxerit acceptandum auctoritate nostra providere procures, inducens per te vel alium seu alios eundem presbiterum in corporalem possessionem huiusmodi beneficii et defendens inductum ac faciens ipsum ad illum etiam si canonicatus et prebenda fuerit ut est moris admitti sibique de ipsius beneficii fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius sub quacumque verborum forma litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia expectantibus in eiusdem beneficii assecutione dictum presbiterum volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari. Seu si eidem archidiacono vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint quodque

FUNDACIÓ NOGUERA

de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel presentationem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Volumus autem quod si tu presentes litteras non potueris seu volueris exequi, dilecti filii Iohannes [de Con...] et Bernardus de Thous canonici ecclesie Barchinonensis litteras ipsas ac omnia et singula in eis contenta secundum ipsarum litterarum tenorem exequi possint et debeant, super quo eis tenore presentium mandatum damus et etiam potestatem, et insuper prefato archidiacono ne de huiusmodi beneficio interim etiam [ante insinuationem] presentium et processuum per eas habitorum eis factam, nisi postquam eis constiterit, quod idem presbiter beneficium huiusmodi acceptare noluerit, disponere quoquomodo [presumata] districtius inhibemus, decernentes irritum et inane si secus super premissis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri Anno Primo.

1138

1371 gener 29, Avinyó

Gregori XI comunica al bisbe de Barcelona (Pere de Planella) l'atorgament d'un benefici eclesiàstic al clergue pobre Guillem Rossell i el mateix dret de presentació que té l'abat del monestir de Sant Cugat del Vallès, diòcesi de Barcelona.

A Arenys de Mar, Arxiu Històric "Fidel Fita", Fons Notarial-10.
a Plica en part retallada. Butlla perduda.
b PONS I GURI, *Inventari dels pergamins de l'Arxiu Històric "Fidel Fita"*, p. 169, doc. 598.

Gregorius (XI) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo Barchinonensi salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii Guillermi Rosselli pauperis clerici tue diocesis apud sedem apostolicam constituti supplicationibus nobis inclinati, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatinus [de vita et conversatione] ipsius clerici, qui ut asserit beneficium aliquod ecclesiasticum non obtinet et quem per certos examinatores super hoc deputatos a nobis de litterarum [exam]inari faciamus diligenter quique in illa repertus

FUNDACIÓ NOGUERA

est ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum [solerter inquietans], si cum vite laudabillis et honeste con[versa]tione esse repperis et aliud beneficium ecclesiasticum cum non obtineat aliudque canonicum non obsistat [et de] aliquo beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura consueto abolim alios secularibus assignari, dummodo in ecclesia cathedrali non existat cu[ius] fructus redditus et proventus si cum cura quadraginta, si vero sine cura fuerit vigintiquinque librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime si taxatum fuerit, vel si taxatum non fuerit secundum quod de ipso pro decima communiter persolvi consu[evit] et valorem annuum non excedunt, ad colletionem vel presentationem dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii sancti Cucufatis ordinis sancti Benedicti tue diocesis communiter vel divisim pertinente, si quod in civitate vel diocesi Barchinonensi vacat adpresens vel cum vacaverit, quod idem clericus infra unius mensis spacium postquam sibi de ipsius beneficii vacatione constiterit, duxerit acceptandum auctoritate nostra procures, inducens per te vel alium seu alios [eundem clericum in] corporalem possessionem huiusmodi beneficii et deffendens inductum ac faciens ipsum ad illud etiam si canonicatus et prebenda fuerit ut est moris ad[mitti sibique de] ipsius beneficii fructibus redditibus et proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illa tibi specialiter vel generaliter [dicte sedis vel legatorum eius] sub quacumque verborum forma litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias qu[omodolibet] sit processum, qu[ibus omni]bus [preterquam] auctoritate [nostra] huiusmodi beneficia expectantibus in eiusdem beneficii assecutione dictum clericum volumus anteferri, [sed] nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium [gene]rari, seu si eisdem abbati et conventui vel quibusvis aliis communiter vel divisim [ab eadem] sit sede indultum, quod ad [re]ceptionem vel provisionem al[icuius mini]me teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possent [quodque] de beneficiis ecclesiasticis ad eorum [co]llationem vel presentationem communiter vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto [tenore] habenda sit in apostolicis litteris mentio specialis. Volumus autem quod si tu presentes litteras non potueris

FUNDACIÓ NOGUERA

seu volueris exequi, dilecti filii .. prior monasterii sancte Eulalie de Campo Barchinonensis per priorem soliti gubernari et .. precentor ecclesie Barchinonensis litteras [ipsas] ac omnia et singula in eis contenta secundum ipsarum litterarum tenorem ex[equi possin]t et debeant, super quo eis tenore presencium mandatum damus et [etiam] potestatem, et insuper prefatis abbati et conventui [ne] de huiusmodi beneficio interim etiam ante insinuationem presencium et processum per eas habitorum eis factum nisi postquam eis constiterit quod idem clericus beneficium huiusmodi acceptare noluerit disponere quo[qu]omodo presumant districtius inhibuimus, decernentes irritum et inane si secus super premissis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno Primo.

1139

1371 febrer 5, Avinyó

Gregori XI mana als ardiaques de Berga i Solsona, i a Arnau Fresc, canonge d'Urgell, que s'informin sobre la vida de Ramon Masons, prevere pobre de la diòcesi d'Urgell, que ha obtingut una capellania perpètua sense cura d'ànimes a l'església de Lleida, i que li assignin un altre benefici vacant a la diòcesi d'Urgell.

A La Seu d'Urgell, Arxiu Capitular, Documents papals, carpeta Segle XIV.
a Butlla perduda.

Gregorius (XI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. Berge et .. Solsone archidiaconis ac .. Arnaldo Fresch canonico Urgellensis ecclesie salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii Raymundi Masonis pauperis presbiteri Urgellensis diocesis apud sedem apostolicam constituti supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus de vita et conversacione ipsius presbiteri qui ut asserit quandam perpetuam capellaniam sine cura in ecclesia Ilerdensi cuius fructus redditus et proventus quindecim librarum Turonenensium parvorum secundum taxationem decime valorem annuum non excedunt, dumtaxat obtinet et quem per certos examinatores super hoc deputatos a nobis de litteratura examinari fecimus diligenter quique in illa repertus est ydoneus ad ecclesiasticum beneficium obtinendum solerter inquirentes si eum vite laudabilis et honeste conversacionis esse reppereritis et aliud beneficium ecclesiasticum non obtineat aliudque canonicum non obsistat, ei de aliquo beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura consueto ab

FUNDACIÓ NOGUERA

olim clericis secularibus assignari, dummodo in ecclesia cathedrali non existat, cuius fructus redditus et proventus si cum cura quadraginta si vero sine cura fuerint vigintiquinque librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime si taxatum fuerit vel si taxatum non fuerit secundum quod de ipso pro decima communiter persolvi consuevit valorem annuum non excedant ad collacionem vel provisionem venerabilis fratris nostri .. episcopi Urgellensis pertinente, si quod in civitate vel diocesi Urgellensi vacat adpresens vel cum vacaverit quod idem presbiter infra unius mensis spatium postquam sibi de ipsius beneficii vacatione constiterit duxerit acceptandum auctoritate nostra providere curetis, inducentes eundem presbiterum in corporalem possessionem huiusmodi beneficii et defendentes inductum ac facientes ipsum ad illud etiam si canonicatus et prebenda fuerit ut est moris admitti sibique de ipsius beneficii fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius sub quacumque verborum forma litteras impetrarint, etiam si pe[r e]as ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus preterquam auctoritate nostra huiusmodi beneficia per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari seu si eidem episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint quodque de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collacionem vel provisionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mencionem et qualibet alia dicte sedis indulgencia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis. Volumus autem quod idem presbiter quamprimum vigore presencium beneficium huiusmodi pacifice fuerit assecutus dictam capellaniam quam ut prefertur obtinet et quam extunc vacare decernimus omnino dimittere teneatur. Et insuper prefato episcopo ne de huiusmodi beneficio interim etiam ante insinuationem presencium et processuum per eas habitorum et factam nisi postquam ei constiterit quod idem presbiter beneficium huiusmodi acceptare voluerit disponere quoquomodo presumat districtius inhibemus, decernentes irritum et

FUNDACIÓ NOGUERA

inane si secus super premissis quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, Nonas Februarii, pontificatus nostri anno Primo.

1140

1371 març 7, Avinyó

Gregori XI concedeix a l'infant Joan, primogènit del rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) i duc de Girona, el privilegi de poder manar celebrar missa, resada o cantada, i altres oficis divins quan ell estigui present en llocs d'entredit, a porta oberta i tocant les campanes, sempre que ell no hagués donat lloc a aquesta censura.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 1.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b VINCKE, *Documenta selecta*, p. 477, doc. 629.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 348-349, doc. 708.
d HAYEZ, *Grégoire XI, lettres communes*, II, p. 372, doc. 10052.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 410, doc. 6250.

GREGORIUS (XI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio nobili viro Iohanni carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris primogenito duci Gerundensi salutem et apostolicam benedictionem. Magnificentie tue preclara devotio promeretur, ut votis tuis in hiis presertim, que ad tue salutem anime cedere valeant, quantum cum deo possumus, annuamus. Tuis itaque supplicationibus inclinati, ut si forsan ad loca ecclesiastico interdicto supposita aut in quibus alias a divinis cessatur officiis, te contigerit declinare, liceat tibi in illis etiam apertis ianuis excommunicatis et interdictis exclusis pulsatis campanis et alta vel submissa voce missas et alia divina officia in tua presentia facere celebrari, dummodo interdicto vel cessationi huiusmodi causam non dederis nec id tibi contigerit specialiter interdici, devotioni tue tenore presentium indulgemus. Nulli ergo ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Martii, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1141

1371 març 29, Avinyó

Gregori XI confirma a l'ardiaca de l'església de Vic, a l'oficial de Vic i al guardià dels framenors de Vic la resolució de la cúria Tarraconense en la qual es va desestimar l'apel·lació que el prevere Lluís Soler i els cònsols (de Puigcerdà), actuant com a patrons, van presentar al vicari general de la diòcesi d'Urgell, on afirmaven que el prevere Pere Tarragó havia ocupat indegudament el càrrec de beneficiat d'un benefici instituït a l'església (de Santa Maria de Puigcerdà), el qual segons ells l'havia d'ocupar Lluís Soler. El papa confirma que han estat condemnats a satisfer la quantitat de vint-i-vuit lliures en concepte de despeses de la cúria en el seguiment del cas.

A Puigcerdà, Arxiu Comarcal de la Cerdanya, Pergamí núm. 461 (221).
a Butlla perduda.
b BOSOM I ISERN - FORNS DE RIVERA, *Catàleg de pergamins de l'Arxiu Comarcal de la Cerdanya*, p. 342, doc. 461.

Gregorius (XI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. archidiacono ecclesie Vicensis et .. officiali Vicensi ac Guardiano fratrum ordinis Minorum Vicensium salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii Ludovicus Solerii presbiter perpetuus beneficiatus in eadem ecclesia obtinet petitione monstrarunt quod olim ipsi Petrum Tarago presbiterum perpetuum beneficiatum in eadem ecclesia super hoc coram Guillermo Girberguas presbitero dicte diocesis cui vicarius generalis in spiritualibus et temporalibus venerabilis fratris nostri .. episcopi Urgellensis causam huiusmodi auctoritate ordinaria audiendam commiserat et fine debito terminandam huiusmodi commissionis vigore fecerunt ad iudicium evocari et tandem postquam ad nonnullos actus in huiusmodi causa inter ipsas partes coram eodem Guillermo processum fuerat predictus Petrus ex quodam conficto sufficienti gravamine sibi ab eodem Guillermo ut mendaciter pretendebat illato ad curiam Terraconensem loci metropoliticam ommisso dicto episcopo ad quam gradatim appellandum erat appellavit dictosque Ludovicum et consules fecit in causa appellationis huiusmodi coram officiali dicte curie ad iudicium evocari, ex parte vero dictorum Ludovici et consulum fuit coram eodem officiali dicte curie excipiendo propositum, quod cum dicta appellatio ab eodem Guillermo ad dictam curiam Terraconensem ommisso prefato episcopo ad quem gradatim appellandum erat interiecta fuisset, ut superius est expressum, et erat legitime probare paratus idem Petrus super tali appellatione que nulla fuerat ipso iure non erat aliquatenus audiendus, ipseque officialis in huiusmodi appellationis causa cognoscere non poterat nec debebat et quia dictus officialis ipsos Ludovicum et consules super hoc audire

FUNDACIÓ NOGUERA

contra iusticiam denegans predictam causam appellationis ad ipsam curiam Terraconensem fore legitime devolutam per suam ut dicebat interlocutoriam declaravit et nichilominus ipsos Ludovicum et consules in expensis in huiusmodi causa factis nequiter condempnavit ac ilico expensas ipsas ad vigintiocto libras Barchinonenses taxavit, pro parte dictorum Ludovici et consulum sentientium exinde indebite se gravari fuit ad sedem apostolicam appellatum, idemque officialis huiusmodi appellatione infra cuius prosecutionis tempus a quo non modicum supererat, idem Ludovicus et consules existebant contempta ipsos Ludovicum et consules per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et fecit, ut eidem Petro de dictis vigintiocto libris pro dictis expensis satisfacerent, alioquin ipsos quos extunc ut dicebat excommunicabat, mandabat excommunicatos publice nunciari, propter quod pro parte dictorum Ludovici et consulum denuo fuit ad sedem appellatum predictam. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi et auditis hinc inde propositis quod canonicum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Non obstante indulgentia qua fili Guardiane ordini tuo a sede apostolica dicitur esse concessum, quod ipsius ordinis fratres non teneantur se intromittere de quibuscunque negociis que ipsis per eiusdem sedis litteras committuntur, nisi in eis de concessione huiusmodi plena et expressa mentio habeatur. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio vel timore subtraxerint censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere.

Dat. Avinione, IIII Kalendas Aprilis, pontificatus nostri Anno Primo.

1142

1371 maig 2, Avinyó

Gregori XI concedeix a l'abadessa Clemència i al convent del monestir de Sant Antoni de Barcelona, orde de santa Clara, i a les seves successores indulgència perquè puguin utilitzar el bàcul pastoral en consideració a la reina Elionor d'Aragó.

A Montserrat, Arxiu del Monestir Sant Benet, Fons Monestir Santa Clara de Barcelona, núm. 835.
a Butlla reaprofitada amb fil de seda.
b HAYEZ, *Grégoire XI, lettres communes*, III, p. 100, doc. 11723.

GREGORIUS XI episcopus servus servorum dei. Dilectis in Christo filiabus Clemencie abbatisse et conventui monasterii sancti Anthonii Barchinonensis ordinis sancte Clare salutem et apostolicam benedic-

FUNDACIÓ NOGUERA

tionem. Exposcit vestre devotionis sinceritas et religionis promeretur honestas, ut tam vos quas speciali caritate prosequimur quam monasterium vestrum dignis honoribus attollamus. Cum itaque sicut exhibita nobis pro parte vestra peticio continebat nonnullorum monasteriorum ordinis sancte Clare parcium Aragonie eodem vestro monasterio minorum abbatisse que sunt pro tempore ex privilegio sedis apostolice baculo utantur pastorali et in dicto vestro monasterio, quod est unum de solennioribus monasteriis parcium earundem abbatissa illius que est pro tempore huiusmodi baculo non utatur. Nos consideratione etiam carissime in Christo filie nostre Alienore regine Aragonum illustris nobis super hoc humiliter supplicantis ipsius regine ac vestris supplicationibus inclinati, ut tu filia abbatissa et alie abbatisse dicti vestri monasterii que tibi in ipsius monasterii succedent regimine, huiusmodi baculo pastorali diebus illis dumtaxat quibus prefate abbatisse dictorum aliorum monasteriorum utuntur, libere uti possitis, quibuscumque constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, vobis et eisdem abbatissis que tibi ut prefertur succedent auctoritate apostolica speciali gracia tenore presentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VI Nonas Maii, pontificatus nostri anno Primo.

1143

1371 maig 2, Avinyó

Gregori XI concedeix a tots els fidels cristians, a precs de la reina Elionor d'Aragó, un any i quaranta dies d'indulgència a la gent confessada que veneri el Lignum Crucis i una santa espina de la corona del Salvador, exposades públicament a la capella reial, durant les festivitats de Nadal, Resurrecció, Pentecosta i l'Assumpció de la Verge, durant vint anys.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 2.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 349, doc. 709.
c HAYEZ, *Grégoire XI, lettres communes*, III, p. 99, doc. 11721.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 411, doc. 6253.

GREGORIUS XI episcopus servus servorum dei. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedic-

FUNDACIÓ NOGUERA

tionem. Gloriosus deus in sanctis suis in ecclesiis sive locis in quibus sanctorum eorundem reliquie consistunt laudandus est a fidelibus christianis, sed in eis maxime sibi exhibendus honor in quibus in testimonium mortis sue quam ut mortem nostram moriendo destrueret carnem humanitatis nostre dignatus assumere subiit ea celebri memoria ostenduntur que preciosum corpus eius contigerunt, ut ipse misericors et miserator dominus pia vota fidelium que preveniendo aspirat benigno favore adiuvando prosequatur. Cum itaque sicut nuper pro parte carissime in Christo filie nostre Helienore regine Aragonum illustris fuit nobis expositum, ipsa quasdam reliquias videlicet certam partem ligni vere crucis, in qua dominus noster Ihesus Christus ut nos a morte redimeret, mortem subire dignatus est, ac unam de spinis corone eiusdem domini nostri, quas habere se asserit, faciat in capella sua cum magna devotione et reverentia conservari, et ut magis ab eisdem Christi fidelibus venerentur in certis festivitatum solenniis ostendi populo christiano. Nos cupientes ut reliquie ipse congruis honoribus venerentur et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad ecclesiam seu capellam, ad quam eedem reliquie ostendentur, quo ex hoc uberius dono celestis gratie conspexerunt se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis et Resurrectionis eiusdem domini nostri Ihesu Christi ac in Penthecosten et in Assumptionis beate Marie virginis matris eius ad ecclesiam seu capellam huiusmodi, dum reliquie ipse publice ostendentur, causa devotionis accesserint annuatim singulis videlicet festivitatum ipsarum diebus, quibus ex causa predicta ad ecclesiam seu capellam ipsam accesserint, ut prefertur unum annum et quadraginta dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post viginti annos minime valituris.

Dat. Avinione, VI Nonas Maii, pontificatus nostri anno Primo.

1144

1371 juny 25, Vilanova d'Avinyó

Gregori XI concedeix a totes les persones, eclesiàstiques i seculars, als ciutadans de Girona i del seu entorn, indulgència plenària per a aquells que es confessin amb el cor contrit davant el confessor que vulguin, amb motiu de la terrible epidèmia de pesta que sofreix la ciutat.

A Girona, Arxiu Municipal, Ajuntament, Pergamí núm. E 323.
a Butlla perduda.
b HAYEZ, *Grégoire XI, lettres communes*, I, p. 93, doc. 1605.

FUNDACIÓ NOGUERA

c VILLAR I TORRENT, *Catàleg de pergamins del fons de l'Ajuntament de Girona*, I, p. 425, doc. 555.

GREGORIUS (XI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis universis personis ecclesiasticis et secularibus utriusque sexus habitatoribus civitatis Gerundensis et eius suburbiorum salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex vestre devotionis affectu quo nos et Romanam ecclesiam reveremini, ut petitiones vestras illas presertim que animarum vestrarum salutem respiciunt ad exauditionis gratiam admittamus. Cum itaque sicut accepimus in civitate Gerundensi et eius suburbiis magna mortalitatis pestis viguerit et adhuc vigere noscatur, nos animarum saluti providere cupientes vestris supplicationibus inclinati, ut confessor quem quilibet vestrum duxerit eligendum omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis, semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat devotioni vestre tenore presentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda eam vobis per vos si supervixeritis vel per alios si tunc forte transieritis faciendam iniungat, quam vos vel illi facere teneamini ut prefertur, et ne quod absit propter huiusmodi gratiam reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda volumus quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeretis, quo ad illa predicta remissio vobis nullatenus suffragetur, presentibus post duos menses a datum presentium computandos minime valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Primo.

1145

1371 juny 27, Avinyó

Gregori XI mana a l'abat de Poblet, al prior de l'orde de la cartoixa de la diòcesi de Tarragona, i a l'ardiaca de Sant Llorenç de Tarragona decidir sobre les qüestions del prior de l'orde de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem a Catalunya i els comanadors de les cases de l'Hospital de la diòcesi de Lleida, i Pere (de Clasquerí), arquebisbe de Tarragona, sobre el pagament d'una certa quantitat de diners.

NOGUERA

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, carpeta 30, núm. 55.
a Butlla perduda.

Gregorius (XI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. abbati Populeti et .. priori Cartusiensis per priorem soliti gubernari monasteriorum Terraconensis diocesis ac .. archidiacono sancti Laurencii in ecclesia Terraconensi salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis dilecti filii .. prior hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani in Cathalonia et uni[versi] commendatores domorum eiusdem hospitalis in diocesi Ilerdensi consistencium petitione monstrarunt, quod olim venerabili fratre nostro Petro archiepiscopo Terraconensi minus veraciter suggerente Guillermo de Montecatheno decano ecclesie Ilerdensis vicario generali in spiritualibus venerabilis fratris nostri .. episcopi Ilerdensis, quod dicti prior et commendatores eidem archiepiscopo certam pecunie summam tunc expressam ex causa etiam tunc expressa legitime communiter dare et solvere tenebantur prefatus vicarius ad falsam suggestionem huiusmodi ex arrupto nulla super eosdem suggestis cognitione preabita quamquam sibi de suggestis ipsis aliquatenus non constaret prout nec constare poterat, cu[m non] essent notoria neque vera, prefatos priorem et commendatores per suas certi tenoris litteras moneri mandavit et [...] prefato archiepiscopo pecunie summam persolverent antedictam, alioquin ut dicebat in eos excommunicationis sententiam prom[ulg]abat, propter quod dicti prior et commendatores sencientes exinde indebite se gravari ad sedem apostolicam appellarunt. Quocirca discretioni vestre de utriusque partis procuratorum assensu per apostolica scripta mandamus, quatinus vocatis qui fuerint evocandi [et] auditis hincinde propositis quod canonicum fuerit appellatione remota decernatis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia odio vel timore subtraxerint, per censuram eandem appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Dat. Avinione, v Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno Primo.

1146

1371 juliol 11, Vilanova d'Avinyó

Gregori XI mana als abats de Sant Pere de Galligants i de Santa Maria d'Amer, diòcesi de Girona, i al precentor de Lleida introduir Francesc Andreu en la possessió de la capellania de la parròquia de Sant Martí

FUNDACIÓ NOGUERA

d'Arenys, diòcesi de Girona, vacant pel trasllat del capellà Berenguer Vilaró a un altre benefici.

A Girona, Arxiu Capitular, Pergamins, Plec 1, núm. 6.
a Butlla perduda.

Gregorius (XI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. sancti Petri de Gallicantu Gerundensis et .. sancte Marie Ameriensis Gerundensis diocesis monasteriorum abbatibus ac .. precentori ecclesie Ilerdensis salutem et apostolicam benedictionem. Vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita super quibus apud nos dilectus filius Franciscus Andree perpetuus capellanus in parrochiali ecclesia sancti Martini de Areyns Gerundensis diocesis fidedigno commendatur testimonio nos inducunt ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica quoruncunque per assecutionem pacificam aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumlibet per nos seu auctoritate nostra tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem tunc vacantia et imposterum vacatura collationi et dispositioni nostre reservantes decrevimus extunc irritum et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Et deinde dilecto filio Berengario Vilaroni clerico perpetuo beneficiato in parrochiali ecclesia de Petralata dicte diocesis de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura ad collationem vel presentationem dilecti filii .. perpetui capellani parrochialis ecclesie de Petralata predicte pertinente per nostras litteras in ea forma secundum quam pro pauperibus clericis beneficiandis tunc scripsimus mandavimus provideri, volentes inter cetera quod idem Berengarius quamprimum vigore litterarum huiusmodi beneficium aliquod ecclesiasticum foret pacifice assecutus prefatam capellaniam, quam ut prefertur obtinebat quamque extunc vacare decrevimus omnino dimittere teneretur prout in dictis litteris plenius continetur. Cum itaque postmodum idem Berengarius quoddam perpetuum beneficium ebdomadarium nuncupatum in prefata parrochiali ecclesia de Petralata ad collationem dicti capellani spectans vigore dictarum litterarum sibi collatum fuerit pacifice assecutus et propterea prefata capellania vacavisset et vacaret, tunc nullusque preter nos ea vice in ipsa disponere potuisset neque posset reservatione et decreto obsistentibus supradictis, nos volentes dicto Francisco premissorum meritorum suorum intuitu gratiam facere spetialem, dictam capellaniam cuius fructus redditus et proventus octo et medie librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime valorem annuum ut asseritur non excedunt sic vacantem cum omnibus iuribus et pertinentiis suis apostolica eidem Francisco auctoritate contulimus et de illa etiam providimus, decernentes prout erat irritum et inane

FUNDACIÓ NOGUERA

si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan erat tunc vel contingeret attemptari. Non obstantibus si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi capellaniis aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus spetiales vel generales apostolice sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus dictum Franciscum in assecutione ipsius capellanie volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem beneficiorum aliorum preiudicium generari seu si venerabili fratri nostro .. episcopo Gerundensi vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli non possint quodque de huiusmodi capellaniis aut aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali vel spetiali cuiuscumque tenoris existat quam nostris litteris non expressam vel totaliter non insertam effectus huiusmodi gratie impediri valeat quomodolibet vel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in eisdem nostris litteris mentio spetialis, seu quod idem Franciscus quandam perpetuam capellaniam in parrochiali ecclesia de Mieriis prefate diocesis noscitur obtinere. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios eundem Franciscum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem capellanie ac iurium et pertinentium predictorum inducatis auctoritate nostra et defendatis inductum amoto exinde quolibet detentore facientes ipsum ad eandem capellaniam ut est moris admitti sibique de ipsius capellanie fructibus redditibus proventibus iuribus et obtinentibus universis integre responderi, non obstantibus omnibus supradictis seu si prefato episcopo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, v Idus Iulii, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1147

1371 juliol 24, Vilanova d'Avinyó

Gregori XI concedeix a la reina Elionor d'Aragó que el seu confessor pugui concedir-li a l'hora de la mort la remissió plenària de tots els seus pecats.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 3.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 349-350, doc. 710.
c HAYEZ, *Grégoire XI, lettres communes*, I, p. 111, doc. 1908.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 411, doc. 6255.

GREGORIUS XI episcopus servus servorum dei. Carissime in Christo filie Elienori regine Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex tue devotionis affectu, quo nos et Romanam ecclesiam revereris ut petitiones tuas illas presertim que anime tue salutem respiciunt ad exaudicionis graciam admittamus. Hinc est quod nos tuis supplicationibus inclinati, ut confessor tuus quem duxeris eligendum omnium peccatorum tuorum, de quibus corde contrita et ore confessa extiteris tociens quociens in mortis articulo fueris constituta, plenam remissionem tibi in sinceritate fidei unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistenti auctoritate apostolica concedere valeat, devotioni tue tenore presentium indulgemus. Sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendenda eam tibi per te si supervixeris vel per heredes tuos si tunc forte transieris faciendam iniungat, quam tu vel illi facere teneamini ut prefertur. Et ne quod absit propter huiusmodi graciam reddaris proclivior ad illicita imposterum committenda, volumus quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeres quo ad illa predicta remissio tibi nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIIII Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1148

1371 setembre 25, Vilanova d'Avinyó

Gregori XI confirma a l'abadessa i al convent del monestir de Santa Clara d'Oristany a l'illa de Sardenya l'escriptura de venda de la vila de Molins de Rei del Llobregat, diòcesi de Barcelona, propietat d'aquest monestir a Elionor de Sicília, reina d'Aragó.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 2 augment.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 350, doc. 711.
c HAYEZ, *Grégoire XI, lettres communes*, III, p. 207-208, doc. 12198.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 418, doc. 6283.

GREGORIUS (XI) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Hiis que pro ecclesiarum et monasteriorum ac personarum eorundem et presertim sub regulari habitu vacantium studio pie vite utilitatibus provide acta sunt, ut illibata consistant libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem. Dudum siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum .. abbatisse et conventus monasterii sancte Clare Alborensis ordinis eiusdem sancte in insula Sardinie consistenti felicis recordationis Urbano pape V predecessori nostro exposito quod olim dicte abbatissa et conventus attento quod villa Molendinorum regalium Luppricati Barchinonensis diocesis ad prefatas abbatissam et conventum ac eorum monasterium titulo pertinens ob localem distantiam ab eodem et magna expensarum onera que ipsas oportebat propter villam eandem subire necnon quia occasione ipsius ville seu iurium et pertinentiarum eiusdem frequenter ad remota iudicia trahebantur et quod tam predictis quam aliis incumbentibus dictis abbatisse et conventui occasione ipsius ville seu iurium et pertinentiarum eiusdem frequenter ad remota iudicia trahebantur et quod tam predictis quam aliis incumbentibus dictis abbatisse et conventui occasione ipsius ville deductis oneribus ipsius ville possessio abbatisse et conventui supradictis utilitatis seu emolumenti modicum asserebat illudque ad eas absque magna difficultate non poterat pervenire et quod pro eiusdem ville precio bona infra dictam insulam consistentia eis magis proficua possent acquirere tractatu inter se super hoc prehabito diligenti, villam ipsam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis carissime in Christo filie nostre Elienori regine Aragonum carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris eiusdem regine consortis super hoc interveniente consensu pro precio septuaginta milium solidorum Barchinonensium vendiderant et in francum et liberum allodium concesserant et etiam transtulerant auctoritate sedis apostolice semper salva et nonnullis aliis conditionibus interiectis ac

FUNDACIÓ NOGUERA

eidem predecessori humiliter supplicato, ut huiusmodi venditionis et empcionis contractui robur confirmationis adicere de benignitate apostolica dignaretur, prefatus predecessor venerabili fratri nostro .. episcopo Barchinonensi suis dedit litteris in mandatis, ut de dicte ville ac iurium et pertinentiarum eiusdem valore et etiam de precio in dicto contractu apposito, si esset iustum et si dicta regina se non intromitteret de emptione prefata maius pretium posset ab aliis inveniri, necnon de circumstantiis universis, ex quorum indagine apparere valeret, utrum dicto monasterio expediret vel utilis esset contractus supradictus, et etiam de modo quo dictum precium in eventum apostolice confirmationis dicti contractus posset in maiorem utilitatem ipsius monasterii deputari per solertem inquisitionem se diligenter informaret et quicquid per inquisitionem et reformationem huiusmodi reperiret eidem Urbano predecessori per suas litteras referre curaret et deinde idem episcopus super hiis informatione recepta relationem suam ad sedem apostolicam transmisit. Nos qui dicto predecessore sicut domino placuit ab hac luce subtincto divina disponente clemencia ad apicem summi apostolatus assumpti relationem ipsam per venerabilem fratrem nostrum Egidium episcopum Tusculanum examinari fecimus diligenter qui quidem Egidius episcopus nobis retulit quod huiusmodi venditio utilis et expediens erat abbatisse et conventui ac monasterio supradictis, volentes itaque huiusmodi supplicationibus dictarum abbatisse et conventus favorabiliter annuere in hac parte empcionem et vendicionem predictas que in instrumento publico super hoc confecto plenius continetur cuiusquidem instrumenti tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, ratas habentes et gratas eas auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presentium confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, suplentes omnem deffectum siquis intervenerit forsan in premissis. Tenor autem dicti instrumenti talis est:

In nomine domini noverint universi quod nos Raymundus de Tous et Bernardus Oliverii cives Barchinonenses procuratores yconomi actores et nuncii ad infrascripta mota et insolidum cum quibusdam aliis in instrumento inferius inserto nominatis specialiter constituti a religiosis Abbatissa et conventum ac monialibus monasterii sancte Clare civitatis Arestani infra nominatis cum publico instrumento tenoris sequentis. In nomine domini amen. Ex hoc publico instrumento pateat omnibus evidenter quod venerabilis et religiosa domina sorore Benedicta de Serra abbatissa monasterii sancte Clare civitatis Arestani diocesis Arborensis presentibus volentibus et consencientibus infrascriptis omnibus monialibus conventus dicti monasterii ad hec specialiter capitulariter in capitulo dicti monasterii ad sonum campane

FUNDACIÓ NOGUERA

more solito congregatis, videlicet sorore Lucia Verati, sorore Nicolucia Michaelis, sorore Ceccha Delistorfi, sorore Nicolita Cocho, sorore Caterina Doria, sorore Paula Vici, sorore Benedicta Diligia, sorore Iustina de Quercu et sorore Maria Maras necnon et ipse moniales que regulariter professe dicunter que sunt et faciunt totum capitulum dicti monasterii et conventus cum voluntate concensu et auctoritate abbatisse earundem omnes per se ipsas ac iure et nomine dicti monasterii conventus et capituli attendentes se et dictum monasterium habere in partibus Cathalonie villa infrascripta et considerantes quod propter distanciam loci oportet eas magnos superius et missiones pro ea libere tum in remiendo ibidem procuratorem pro regimine ipsius tam in cambio faciendo de pecunia que habetur ex eo quod ipsa villa colligitur pro ipsa huc mittendam tam in questionibus que cotidie eisdem f[iun]t pro terminis dicte ville circumstantes vicinos propter quod ius inde aliquod habere non poterint nec possunt unde cum onerosum eis existat et sumptuosum villam ipsam intra longinquis partibus retinere que ad modicam utilitatem eis cedit et cessit et alios redditus non habet, unde earum iura possint commode supportare ut asserunt, excepto piam elemosinam et subvencionem que eis misericorditer elargitur a magnifico et potente domino domino Mariano[47] dei gracia iudice Arboree comite Goceano et vicecomite de Basso, a quo ex sua mata devotione tamquam a fundatore et dotatore seu de genere dotatorum et fundatorum dicti monasterii eis misericorditer subvenitur et asistitur earum necessitatibus de consilio et concensu expresso dicti domini deliberaverunt et proposuerunt pro meliori diligentibus tractatibus inter eas capitulariter habitis ut est moris et iuris dictam villam vendere et alia huc in Sardinia seu possessiones alias equivales pretio ipsius ville inde in locum ipsius emere cum adiutorio dicti domini ut propinquicius redditus ipsos habeant et magnis eis in dicto monasterio cedat ad commodum. Ideo volentes dictum eorum propositum et tractatum tanquam magis utile et proficuum perducere ad effectum cum auctoritate et voluntate dicti domini iudicis spontem gratis et ex certa scientia omni via modo iure causa et forma quibus melius et efficacius possunt et debent fecerunt et constituerunt et solempniter ordinaverunt earum et dicti monasterii et conventus procuratores yconomos actores sindicos et nuncios spetiales venerabiles viros Bernardum Olivii et Raymundum de Thous cives Barchinonenses et Paulum Ssavum habitorem Arestanni licet absentes tamquam presentes et eorum quemlibet insolidum, ita quod

47. Mariano IV de Arborea († 1376), v. Francesco C. CASULA, *Lexikon des Mittelalters*, I, Mònaco 1980, col. 891-892.

FUNDACIÓ NOGUERA

non sit occupantis melior condicio et quod unus inceperit alter vero prosequi valeat et finire ad dictam et infrascriptam villam seu locum Molendinorum regalium cum omnibus iuribus et pertinentiis suis recuperandum et apprehendum pro eis et earum et dicti monasterii vice et nomine eamque cum hominibus et feminis ipsius et aliis iuribus sine infrascriptis tenendum regendum gubernandum salvandum et manutenendum et homigia et sacramenta pro eis et dicto monasterio exigendum et recipiendum ab hominibus et feminis in dicta villa habitantibus et ipsius redditus fructus redditus proventus molendina et alia quecumque iura quocumque nomine censeantur ad ipsas constituentes et dictum monasterium pertinentes et spectantes quomodocumque et qualitercumque et in quibuscumque causis et rebus petendum exigendum et recipiendum et solventes inde liberandum et absolvendum et apocha seu apochas inde faciendum de soluto et iusticiam ibidem petentibus faciendum et ministrandum et procuratorem seu procuratores ibidem constitutos per dictas constituentes vel pro parte ipsorum inde cassandum et revocandum, si eis videbitur, vel confirmandum de novo et laxandum et computa et rationes ac reliqua racionum ab eis exigendum et recipiendum et ad vendendum tradendum et alienandum pro eis et earum et dicti monasterii vice et nomine villa et locum notatum Molendinorum regalium de Luppricato cum molendinis que ibi sunt et cum casali scilicet in quo ipsa molendina sunt constructa, et aqua de qua molunt et cum molis rotis et apparatibus ipsorum molendinorum et cum rege et caprege resclosis et trestalladors et cum omni dominio et servicio signandi per omnia et singula loca in quibus solitum est ligari et cum omnibus honoribus possessionibus predicte ville et loci et terminorum suorum vineis scilicet et aliis terris iam cultis quam heremis et cum pratis pascuis silvis nemoribus et denesiis aquis et aqueductibus cum hominibus et feminis ibi habitantibus et habituris cum mero et mixto imperio et iurisdictione omni tam civili quam criminali quam alia quacumque et cum furchis et cestillie et omnibus aliis generibus et speciebus meri et mixti imperii et iuridictionis cuiuslibet et in omnibus eciam redditibus exitibus et proventibus questis peytis toltis fortiis turbis serviciis [a]demprinis multis et aliis penis guaytis operibus firmamentis foristapiis laudunis et dominio personarum et rerum hostibus et cavalcatis pace et guerra et cum omnibus terminis pertinentiis et iuribus dicte ville et loci et cum intivitibus et exitibus suis et cum omnibus eciam aliis que de iure usu et consuetudine vel alio quovismodo predicte constituentes et monasterium sepedictum habent et accipiunt et habere et accipere possunt et debent aut possent in predictis villa et loco et terminis suis et in omnibus et singulis hominibus et feminis cuiuscumque

FUNDACIÓ NOGUERA

condicionis ibi habitantibus et habituris et alias ratione vel occasione dicte ville et loci et terminorum pertinenciarum et iurium suorum ac cum iure quod predicte constituentes et dictum monasterium habent et habere debent et eis competit in loco vocato Curro et in quibusdam mansis cum hominibus et feminis et omnibus iuribus et pertinentiis suis que sunt infra terminos predicte ville per liberum et franchum allodium et prout dicte constituentes et dictum monasterium predicta habent et possident et habere et possidere possunt et possent cuicumque et quibuscumque emptori seu emptoribus ex quocumque precio seu preciis, quibus dictis procuratoribus vel alteri eorum insolidum videbitur et placuerit et ipsum precium seu precia statuendum petendum exigendum et recipiendum et se inde bene quitios et pactatos vocandum et ipsi emptori seu emptoribus de evictione inde promittendum et dominium et possessionem predictorum omnium in emptorem seu emptores transferendum et ipsum emptorem vel emptores inde in corporalem possessionem inducendum et ponendum et pro evictione predictorum dictus testientes et earum succedentes ac dictum monasterium et bona eiusdem obligandum et pro observantia agendorum in anima et super anima ipsarum constituentium iurandum super sanctis divinis evangeliis et inde de predictis omnibus et subscriptis et quolibet eorundem instrumenta et cautelas necessarias et oportuna inde faciendum et firmandum cum obligationibus et stipulatonibus promissionibus renunciacionibus penarum adiectionibus et aliis cautelis quibus eisdem procuratoribus vel alteri eorum insolidum videbitur melius expedire et homines et feminas dicte ville et loci absolvendum et liberandum ab omnibus munimentis homagiis et fidelitatibus in quibus eisdem constituentibus et monasterio tenentur et obligati ac stricti existunt dictaque sacramenta homagia et fidelitates fieri faciendum et prestandum ab eis dictis emptori seu emptoribus eisque mandandum ut deinde inantea respondeant dicto emptori seu emptoribus de hiis omnibus que respondere tenebantur et consueverunt et debent dictis constituentibus et earum monasterio ac procuratoribus earundem et quod ipsi emptori seu emptoribus pareant et obediant ut domino seu dominis eorum naturalibus et ad requirendum comitem de pelacio et quoscumque alios qui eisdem constituentibus et monasterio tenentur quovismodo et obligati existunt ad evictionem predicte ville et iurium suorum et terminorum omnium predictorum quatenus se ponant et ponere debeant evictioni et defensioni ipsius ville et aliorum predictorum contra predicatores monasterii sancte Caterine de Barchinona qui eam eis molestant et inquietant denunciando eisdem et declarando inquietacionem predictam et causam ipsius et ad hoc inde compellendum eos et compelli faciendum et petendum in iudicio et extra iuribus et remediis oportunis

FUNDACIÓ NOGUERA

et proinde requisiciones et protestaciones ac compulsiones debitas et oportunas faciendum et fieri faciendum prout melius et fortius fieri poterunt et dictari et ius dicte promisse evictionis dictis constituentibus et monasterio competentes dandum et cedendum dicto emptori seu emptoribus et cetera alia proinde faciendum exercendum exequendum que necessaria fuerint seu eciam oportuna et que eciam factibilia videbuntur procuratoribus supradictis vel alteri eorum insolidum et inde de iure quod dicti predicatores pretendunt habere super dicta villa si eisdem procuratoribus videbitur cum eis vel persona legitima pro eisdem et dicto monasterio conveniendum paciscendum transigendum et componendum et transactionem pactum et concordiam inde faciendum prout et sicut et pro tanto quanto eisdem procuratoribus vel alteri eorum et insolidum videbitur et placebit et sub illis pactis modis condicionibus promissionibus et reservationibus quibus eis magis expediens videbitur et inde de ratihabitione dictas constituentes et earum monasterium obligandum et de hiis aliisque predictis omnibus et subscriptis cartas et sedas faciendum et fieri faciendum cum debitis solennitatibus renuntiacionibus et obligationibus et prout qualitas agendorum exposcet. Et generaliter ac specialiter in premissis et circa premissa et quodlibet premissorum ac dependencia et coherencia connexa et dependencia ex eisdem et quolibet eorundem universaliter universa et singulariter singula agendum faciendum exequendum et prosequendum que impeniet constituentes ad dictum monasterium facere peragere exequi et complere possunt et possent si personaliter adessent, etiam si talia essent que mandatum exigerent speciale que eisdem et eorum cuilibet insolidum per presens publicum instrumentum vices epistole gerens commitunt tanquam si in presenti publico instrumento essent particulariter expressata promittentes dicte constituentes dictis nominibus pro se et earum succedentibus ac vice et nomine dicti monasterii per solenne stipulacione notario infrascripto tanquam publice persone stipulati et recipienti pro suprascriptis procuratoribus actoribus sindicis et yconomis et quolibet eorum insolidum ac pro omnibus quorum interest intererit ac poterit quomodolibet interesse sub pena dupli totius eius de quo ageretur et sub ypotheca et obligacione earum et dicti monasterii ac bonorum omnium earum et dicti monasterii se omni tempore ratum et firmum habere tenere et inviolabiliter observare ac haberi teneri et observari facere totum et quicquit et ea omnia quod et que dicti procuratores sindici et yconomi et quilibet eorum insolidum fecerit seu fecerint de predictis et quolibet predictorum et contra non venire nec facere per se vel alium in iudicio vel extra de iure vel de facto ullomodo aliquo tempore aliqua causa vel occasione

FUNDACIÓ NOGUERA

mandantes tenore presentis publici instrumenti vices epistole gerentis hominibus et feminis dicte ville seu loci quatinus in et super predictis exequantur obediant et faciant quicquid dicti procuratores eis immixerint et mandaverint cessantibus excepcionibus et cavillationibus quibuscumque sub penis iuramentorum homagiorum et fidelitatum in quibus eidem monasterio sancte Clare et eius monialibus tenentur et obligati existunt. Actum Aristani in capitulo dicti monasterii et conventus presentibus frate Huringueto de Caligis [Arborei] in p[...]-nia scriptore et Philippo de Serra scribano habitatoribus Aristani testibus ad hec rogatis die Quartodecimo Ffebrerii Anno dominice incarnationis Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Quarto[48] secundum cursum provincie Arborei donatus manus quodam Gomitis de Callero et nunc habitator civitatis Aristani auctoritate serenissimi domini domini regis Aragonum per totam Sardinie et Corsice regnum notarius publicus predictis omnibus interfui et hac carta a me rogata rogatus scribi feci et clausi gratis et ex certa sciencia nomine et auctoritate ac potestate predictis et ex causis contentis in instrumento procurationis sindicatus yconomatus et actorie instrumento utilitate dicti monasterii concernentibus non dolo inducti nec vi vel metu compulsi nec errore lapsi nec in aliquo circumventi sed bono animo et spontanea voluntate et ex certa sciencia et animo deliberato vendimus et ex causa venditionis concedimus vobis serenissime domine Alianore dei gratia regine Aragonum tanquam plus offerenti et vestris in hiis successoribus et quibus volueritis perpetuo totam villam predictam Molendinorum regalium Luppricati sitam in diocesi Barchinonensi cum molendinis que ibi sunt et cum casali scilicet in quo ipsa molendina sunt constructa et aqua de qua molunt et molere debent et consueverunt et cum molis rodis et apparatibus ipsorum molendinorum et cum rege et caprege resclosis et trestaladors et cum omni dominio et servicio signandi per omnia et singula loca in quibus solitum est ligari et cum omnibus honoribus possessionibus predicte ville et loci et terminorum suorum vineis scilicet et aliis terris iam cultis quam heremis et cum pratis pascuis silvis nemoribus et denesiis aquis et aqueductibus cum hominibus et feminis ibi habitantibus et habitaturis cum mero et mixto imperio et iurisdictione omni tam civili quam criminali quam alia quacumque et cum furchis et costilis et omnibus aliis generibus et speciebus meri et mixti imperii et iuridictionis cuiuslibet et in omnibus eciam redditibus exitibus et proventibus questiis tenis peytis toltis fortiis urbis serviciis

48. 18 de febrer de 1364.

FUNDACIÓ NOGUERA

ademprinis multis et aliis penis guaytis operibus firmamentis foristapiis laudunis et dominio personarum et rerum hostibus et cavalcatis pace et guerra et cum omnibus terminis pertinentiis et iuribus dicte ville et loci et cum intivitibus et exitibus suis et cum omnibus etiam aliis que de iure usu et consuetudine vel alio quovismodo predictum monasterium et eius abbatissa et conventus habent et habere possunt et debent et eius predecessores habuerunt et habere consueverunt quomodocumque et qualitercumque in et pro predictis villa et loco et terminis suis et in omnibus et singulis hominibus et feminis ibi habitantibus et habitaturis cuiuscumque status et conditionis et alias ratione vel occasione dicte ville et loci et terminorum et pertinenciarum et iurium suorum quorumcumque et etiam cum omnibus iuribus et actionibus que et quas et prout dictum monasterium seu eius abbatissa et conventus habent seu habeant et eis competunt sive competunt quibuscumque rationibus sive causis quocumque nomine censeantur in loco vocato Curro et in quibusdam mansis cum hominibus et feminis iuribus et pertinenciis eorundem qui sunt infra terminos predicte ville et contra venerabilem Ffranciscum de Casclarino civem Barchinonensem tenentem et possidentem dictum locum vocatum Curro ratione vel occasione ipsius loci et mansorum eiusdem et iurium et pertinenciarum suorum et cum omni etiam iure luendi seu redimendi ipsum locum vocatum Curro cum mansis et iuribus ac pertinentiis suis siquid et prout competit sive competat dicto monasterio et eius abbatisse et conventui pretextu instrumenti gracie siquod intervenerit in vendicione que inde fuit facta predecessori dicti Ffrancisci de Casclarino. Quia siquidem villa predicta et locum Molendinorum regalium Luppricati cum omnibus iuribus et pertinenciis suis supradictis et aliis quibuscumque ad ipsam villam seu locum seu eius dominium pertinentibus seu spectantibus et pertinere seu spectare volentibus quoquomodo dictum monasterium seu eius abbatissa et conventus nomine ipsius monasterii habent et possident et habere et possidere debent per proprium et liberum et franchum alodium in principatu Cathalonie intra diocesi Barchinonensi in Luppricato, et est sciendum quod predicta villa seu locus in omnibus iuribus et pertinenciis suis spectant ad dictum monasterium et eius abbatissa et conventum titulo seu ex causa legati inde ipsi monasterio per spectabilem dominam Constantiam de Saluciis quondam iudicissa Arboree cuius erat dicta villa consorte spectabilis viri Petri quondam iudicis Arboree facti in ultimo testamento ipsius iudicisse quod factum extitit in posse Iuliani capula quendam notarii publici de civitate Arestani Anno dominice incarnationis Millesimo Trecentesimo quadringesimo Septimo, indicione Quintadecima, die Sexto de

FUNDACIÓ NOGUERA

anno mensis Februarii[49] secundum cursum provincie Arborei ad dictam autem spectabilem iudicissam predicta villa cum omnibus iuribus et pertinenciis suis spectabat titulo seu ex causa venditonis predictum spectabilem virum eius Petrum quondam inde sibi et suis et quibus ipsa vellet perpetuo facte per liberum et franchum alodium cum publico instrumento acto Barchinone et confecto auctoritate Bernardi de Villarubia notarii publici Barchinonensis pridie kalendas Decembris Anno domini Millesimo Trecentesimo Quadringesimo primo ad prefatum vero spectabilem virum Petrum iudicem Arboree quondam prefata villa cum universis iuribus et pertinenciis suis spectabat iustis titulis sine causis hanc itaque vendicionem facimus nomine et auctoritate ac ex potestate predictis vobis dicte serenissime domine regine tamquam plus offerenti et vestris in hiis successoribus quibus volueritis perpetuo per liberum et franchum alodium pure libere et absolute et sine omni condicione et retentione et sicut melius dici potest et intelligi ad nostrum nostrorumque salvamentum et bonum intellectum et extrahimus nomine et auctoritate et potestate quibus supra predicta omnia et singula que vobis dicte domine regine et vestris in hiis successoribus vendimus de iure dominio et posse dicti monasterii et eius abbatisse et conventus eademque in vestri vestrorumque in hiis successorum ius dominium et posse mittimus et transferimus irrevocabiliter pleno iure ad habendum tenendum omnique tempore pacifice possidendum et ad omnem vestram vestrorumque in hiis successorum voluntatem libere inde fatiendum per liberum et franchum alodium sine omni contradictione et impedimento nostri nomine predicto et dicti monasterii et eius abbatisse et conventus et alterius eciam cuiuscumque persone promittentes vobis dicte domine regine tradere vobis vel cui volueritis loco nostri possessionem et quasi predictorum que vobis vendimus per liberum et franchum alodium vacuam scilicet et pacifiam et desembargatam et quod in ipsa possessione et quasi abbatissa et conventus dicti monasterii vos et vestros in hiis successores et quos volueritis facient perpetuo existere pociares contra quascumque personas et nichilominus damus et concedimus vobis et vestris et quibus volueritis plenam et liberam potestatem ipsam possessionem et quasi nostra seu eorum propria auctoritate et sine omni facita et requisitione nostri et dicte abbatisse et conventus dicti monasterii et alicuius curie et persone libere apprehendendi et licite retinendi deinde nostre faciendi libitum voluntatis. Nos enim interim donec scilicet dictam possessionem et quasi vobis vel alii vestro nomine tradiderimus seu vos dicta domina

49. 6 de febrer de 1347.

FUNDACIÓ NOGUERA

regina seu alius pro vobis eam apprehenderitis constituimus nos nomine predicto predictaque vobis vendimus pro vobis et vestris ac nostro et eorum nomine titulo precario tenere et possidere seu quasi preterea ex causa venditionis damus et mandamus vobis dicte serenissime domine regine et vestris in hiis successoribus et quibus volueritis perpetuo omnia iura et omnes actiones reales et personales utiles et directas ordinarias et extraordinarias mixtas et alias eciam quascumque dicto monasterio et eius abbatisse et conventui competentes et competere debentes et valentes quomodocumque et qualitercumque in predictis que vobis vendimus et contra quascumque personas res et bona ratione vel occasione eorundem quibus iuribus et actionibus supradictis possitis vos et vestri in hiis successores et quos volueritis perpetuo uti et experiri agendo deffendendo excipiendo respondendo et replicando et omnia et singula alia faciendo et libere exercendo in iudicio et extra iudicium quecumque et quemadmodum abbatissa et conventus dicti monasterii poterant ante huiusmodi vendicionem et cessionem et possent nunc et etiam postea quandocumque nos itaque nomine et auctoritate et ex potestate predictis ponendo vos dictam dominam reginam in predictis in locum et ius dicti monasterii et eius abbatisse et conventus facimus et constituimus vos in hiis dominam et procuratricem in rem nostram propriam ad faciendum inde libitum nostre voluntatis per liberum et franchum alodium, et nichilominus notificando serie presentis publici instrumenti vicem epistole eciam quo ad hoc gerentis vendicionem et cessionem huiusmodi et alia predicta hominibus et mulieribus et feudataribus emphiteocis et terram tenentibus dicte ville et dominii eiusdem presentibus et futuris et aliis quorum intersit nomine et auctoritate predictis dicimus et expresse mandamus eis omnibus et singulis quatinus decetero vos dictam dominam reginam et vestros in hiis successores et quos volueritis perpetuo habeant et teneant pro veris et naturalibus dominis eorum et ville predicte et terminorum iurium et pertinenciarum suorum vobisque et vestris in hiis successoribus et quibus volueritis respondeant et satisfaciant plenarie libere pacifice et quiete de omnibus et singulis censibus questia terra redditibus fructibus exitibus proventibus devenimentis mero et mixto imperio et iurisdictione alta et baixa civili et criminali et aliis universis et singulis iuribus realibus et personalibus et aliis quibuscumque quocumque nomine censeantur ville et loci predictorum seu ad dictam villam seu locum pertinentibus seu spectantibus quoquomodo et alias pareant obediant et attendant in omnibus et per omnia vobis dicte domine regine tanquam vere et naturali domine eorum et dicte ville et vestris in hiis successoribus et quibus volueritis prout ac quemadmodum dicto monasterio et eius abbatisse et conventui inde

FUNDACIÓ NOGUERA

respondere et satisfacere parere obedire et attendere tenerentur seu etiam tenebatur ante vendicionem predictam dicimus et eciam expresse mandamus nomine prelibato tenore presentis publici instrumenti vicem eciam epistole gerentis ipsis hominibus et mulieribus dicte ville et terminorum suorum quatinus alio mandato minime expectato requisito vel obtento faciant et prestent vobis et vestris in hiis successoribus et quibus volueritis sacramentum et homagium fidelitatis prout dictis abbatisse et conventui seu earum predecessoribus in dicta villa facere seu prestare consueverunt et vos dicta domina regina et vestri in hiis successores et quos volueritis ipsos homines et mulieres et singulos eorum possitis de et super predictis omnibus et singulis compellere et compelli facere quibuscumque modis et compulsionibus quibus dicta abbatissa et conventus dicti monasterii possent. Nos enim nomine et auctoritate sepedictis presentis instrumenti serie ipsos homines et mulieres et singulos eorum postquam scilicet huiusmodi sacramentum et homagium fidelitatis nobis vel cui seu quibus volueritis fecerint et prestiterint exnunc scilicet protunc absolvimus et penitus liberamus ab omni iuramenta homagio fidelitate natalitate servitute iure et dominio, quibus dicto monasterio et eius abbatisse et conventui teneantur seu sunt astricti vel eciam quomodolibet obligati pro precio vero predictorum que vobis vendimus dedistis et soluistis nobis nomine predicto et confitemus nos eodem nomine a vobis habuisse et recepisse Septuaginta mille solidos monete Barchinonensis de terno franchos scilicet et quitios liberos et penitus immunes a iure actione questione petitione et demanda quos et quas prior et conventus fratrum Predicatorum Barchinonensium seu Petrus de Coromines mercator civis Barchinonensis eorum cessionarius asserunt se habere in villa predicta et eius iuribus et pertinentiis quibus priori et conventui dictorum Predicatorum seu dicto Petro de Coromines eorum cessionario seu eciam vobis dicte domine regine seu vestris in hiis successoribus de ipsis iure actione questione petitione et demanda, quod et quam asserunt ipsi Predicatores seu dictus Petrus de Coromines eorum cessionarius se habere in et super dicta villa et eius iuribus dicta abbatissa seu conventus dicti monasterii sancte Clare Arestani minime teneantur nec dictum pretium proinde minui valeat seu eciam impediri quoquomodo. Et ideo gratis et ex certa sciencia renuntiamus nomine predicto exceptioni non numerate pecunie et non solute et legi que subvenit deceptis ultra dimidiam iusti precii et exceptioni et actioni de dolo male et in factum non in faciendum et omni alii iuri rationi et consuetudini contra hec repugnantibus donando et remittendo gratis et ex certa scientia nomine quo supra donatione irrevocabili inter vivos vobis et vestris in hiis successoribus et quibus volueritis

FUNDACIÓ NOGUERA

perpetuo siquid hec que vobis vendimus plus valet seu possunt valere precio supradicto insuper convenimus et promittimus gratis et ex certa scientia vobis dicte domine regine quod predicta que vobis vendimus cum omnibus iuribus et pertinenciis suis et cum omnibus suis melioramentis dictum monasterium sancte Clare Arestani et eius abbatissa et conventus que nunc sunt et pro tempore fuerint facient vos et vestros in hiis successores et quos volueritis habere tenere et possidere in pace perpetuo per liberum et franchum alodium contra omnes personas universitates corpus et collegia dictis tamen Predicatoribus et dicto Petro de Coromines eorum cessionario penitus et dumtaxat exceptis et quod tenebuntur vobis et vestris in hiis successoribus et quibus volueritis semper de evictione predictorum que vobis vendimus excepto et retento quod pro iure petitione questione seu demanda dictorum Predicatorum seu dicti Petri de Coromines eorum cessionarii de evictione vel alias quomodolibet vobis dicte domine regine seu vestris in aliquo non teneantur, quoniam ex eo quia vos dicta domina regina habetis convenire cum dictis Predicatoribus seu Petro de Coromines predicto eorum cessionario de hiis que dicti Predicatores evincerunt et obtinuerunt contra dictum monasterium super dicta villa pertinenciis et iuribus eiusdem per sentenciam domini regis seu eius audientie minoris quantitatis sit precium supradictum et evictio eorum retenta et salvata ut inferius continetur, et si forsan aliqua alia persona seu alique alie persone universitates corpus seu collegia facerent seu moverent contra vos dictam dominam reginam seu vestros in hiis successores aliquo tempore aliquam questionem peticionem vel demandam litem vel controversiam de iure vel de facto in iuditio vel extra iudicium in predictis que vobis vendimus vel aliqua parte eorum seu ratione vel occasione eorundem vel alicuius partis eorum gratis et ex certa sciencia et ex pacto convenimus et promittimus nomine predicto vobis quod abbatissa et conventus monasterii sancte Clare Arestani statim cum inde fuerint requisiti in scriptis vel alias opponet se deffensioni vestre dicte domine regine et vestrorum in hiis successorum et quod pro vobis et eis respondebunt et satisfacient cuilibet querelanti seu querelantibus dictis Predicatoribus et Petro de Coromines dumtaxat exceptis et quod in principio litis suscipient in se omnis litigii et quod agent et ducent causam seu causas principales et appellatorias propriis sumptibus et expensis suis et dicti monasterii a principio usque ad finem vel dicta vos domina regina et vestri in hiis successores si volueritis possitis ipsam causam seu causas agere et ducere per vos ipsos, et hoc sit in elemosine vestri et vestrorum in hiis successorum. Nos enim nomine predicto gratis et ex certa scientia et ex pacto remittimus vobis et vestris hiis successoribus et quibus volueritis

FUNDACIÓ NOGUERA

perpetuo omnem necessitatem denunciacionis et si forte vos dicta domina regina seu vestri in hiis successores elegeritis ipsam causam seu causas agere et ducere gratis et ex certa sciencia et ex pacto convenimus et promittimus vobis quod dictum monasterium et eius abbatissa et conventus restituent et solvent vobis et vestris in hiis successoribus et quibus volueritis ad vestram voluntatem omnes expensas que circa litem vel lites et extra litem seu lites fieri et quicquid et quantum a vobis seu vestris in hiis successoribus evictum fuerit de predictis simul cum omni dampno et interesse que inde vos et vestri in hiis successores facietis et sustinebitis quoquomodo sive obtineatis in causa seu causis sive eciam subcubatis et quod alias super predictis omnibus et singulis servabunt vos et vestros in hiis successores in predictis sine omni dampno et credatur vobis et vestris in hiis successoribus super ipsis missitionibus dampnis et interesse plano et simplici verbo nullo alio probationum genere requisito, excepto tamen et penitus declarato quod dictum monasterium et eius abbatissa et conventus pro iure actione questione petitione et demanda quod et qua dicti Predicatores Barchinonenses seu dictus Petrus de Coromines eorum cessionarius asserunt se habere in et super dicta villa et eius iuribus et pertinenciis numquam de evictione vel de aliqua defensione seu de aliquo dampno seu interesse vobis dicte domine regine seu vestris successoribus in dicta villa teneantur nec teneri nec compelli possint ullomodo in iudicio vel extra nec vos dicta domina regina seu vestri in hiis successores possitis proinde nunc vel in futurum quandocumque contra dictum monasterium sancte Clare seu eius abbatissam et conventum seu bona sua agere vel experiri nec aliquam presentare actionem que sit in actu huiusmodi venditionis et emptionis contractus actum extitit et expresse condictum et nos dicti venditores nomine quo supra venditionem predictam vobis predicte regine et vestris et quibus volueritis sub et cum onere nostro dictorum Predicatorum seu dicti Petri de Coromines eorum cessionarii quodcumque sit facimus et facere intendimus precio dictorum Septuagintata Millium solidorum quintorum liberorum franchorum et minimus ab omni ipso iure quodcumque sit vel esse possit, super quo tamen iure vos dicta domina regina et vestri in hiis successores possitis sine tamen denunciatione dicti precii et evictione et obligatione dicti monasterii et eius abbatisse et conventus convenire prout volueritis cum dictis Predicatoribus seu dicto Petro de Coromines eorum cessionario evictione tamen pro ipso iure salva remanente dicto monasterio sancte Clare et eius abbatisse et conventui contra illos qui de ipsa evictione teneantur seu teneri debeant seu obligati dicto monasterio existant occasione eorum que pars Predicatorum obtinuit contra ipsum monasterium. Et pro predictis omnibus

FUNDACIÓ NOGUERA

et singulis complendis et attendendis tenendis et observandis obligamus nomine predicto vobis et vestris in hiis successoribus omnia bona et iura dicti monasterii sancte Clare Arestani et eius abbatisse et conventus mobilia et immobilia ubique habita et habenda et ut predicta maiori gaudeant firmitate non vi nec dolo sed sponte utrique nomine predicto in animas abbatisse et monialium predictarum dicti monasterii quorum nomina superius describuntur per dominum deum et eius sancta quatuor evangelia manibus nostris corporaliter tacta se et succedentes eis in dicto monasterio et ipsum monasterium predicta omnia et singula iuxta formam predictam rata grata et firma habere attendere et complere tenere observare perpetuo et in aliquo non contra facere vel venire aliquo iure causa vel eciam ratione nec igitur omnia et singula supradicta que et prout dicta sunt supra et iuxta formam predictam facimus pasciscuum et promittimus nos dicti Raymundus de Tous et Bernardus Olivii per dictum monasterium et eius abbatissam et conventum et omnes supradictos eis in dicto monasterio vobis dicte serenissime domine regine licet absenti et vobis eciam venerabili Berengario de Relato thesaurario ipsius domine regine procuratorique ad hec ab ea specialiter constituto cum publico instrumento acto Barchinone et clauso auctoritate Fferarii Fayolli protonotarii dicte domine regine et auctoritate regia notarii publici per totam terram et dominacionem illustrissimi domini regis Aragonum vicesima die Ianuarii Anno infrascripto necnon et nobilem notario infrascripto tanquam publice persone pro ipsa domina regina et pro omnibus eius heredibus seu successoribus in predictis et pro aliis etiam personis quarum interest et intererit recipieri et pacisceri ac eciam legitime stipulant, intelligatur tamen quod nos dicti Raymundus de Thous et Bernardus Olivii nomine nostro proprio non teneamur vobis predicte domine regine seu vestris in hiis successoribus de evictione predictorum que vobis vendimus vel alicuius partis eorum nec ad dicti precii vel alicuius partis restitucionem nec aliquod dampnum seu interesse nostrum ubi eciam predicta a nobis vel nostris evicerentur nec bona nostra propria sint proinde vobis vel vestris in aliquo obligata ratione vel occasione alicuius legis sive iuris pro nobis vel nostris facietis necesaria, cum volentes quod de predictis possint fieri vobis et vestris in hiis successoribus unum seu plura publica instrumenta per notarium infrascriptum actum est hoc in dicta villa Molendinorum regalium Luppricati sextadecima die Ffebrerii Anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo Sexto,[50] Signum Raymundi de Tous, Signum Bernardi Olivii predic-

50. 16 de febrer de 1366.

FUNDACIÓ NOGUERA

torum qui ec nomine predicto laudamus firmamus et munimus. Testes huius rei sunt Iohannes Terrem, Petrus Friol, Bernardus Guillelmi Zabastida, Fferarius Sayolli et Bernardus Calopa scriptor cives Barchinone et Bonanatus Gavaresa rector ecclesie dicte ville Molendinorum regalium Luppricati, Signum Guillelmi de Muntinay notarii publici Barchinonensis et eciam per totam terram et dominationem serenissimi domini regis Aragonum auctoritate eiusdem qui hec scribi fecit et clausit cum litteris suppositis in linea quinta ubi dicitur dictis et in linea vicesima nona ubi dicitur non et in linea vicesima nona ubi dicitur ac bonorum omnium earum et dicti monasterii et in linea tricesima quarta ubi dicitur voluntate et in linea octuagesima secunda ubi dicitur dicte et cum rasis et emendatis in linea tricesima quarta predicta ubi dicitur venditionis et in linea septuagesima prima ubi dicitur domina regina et vestri et in linea septuagesima tertia ubi dicitur fiet et quicquid.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Primo.

1149

1371 octubre 20, Avinyó

Gregori XI mana a (l'abat) de Montaragó, diòcesi d'Osca, decidir després de l'apel·lació que ha fet la priora i el convent d'aquesta diòcesi, sobre la qüestió de les possessions i jurisdiccions entre aquestes i el preceptor i el bisbe. (Poc llegible.)

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, d.l., Monestir de Sixena, núm. 25.
a Manca la part esquerra del pergamí. Butlla amb fil de cànem.

Gregorius XI episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis [.....] Montaragonum Oscensis diocesis et .. A[...] salutem e apostolicam benedictionem. [.....] monti Aragonum Oscensis diocesis et .. A[....] dilecte in Christo filie .. priorissa et con[ventus ...] diocesis petitione monstarunt quod olim Iohan[nes ...]a asserens dictas priorissam et moniales ac earum domum sibifor[...] mandavit et fecit ut ipsa coram eo cum quatuor sororibus dicte [...] tunc expressum personaliter compareret, responsure super quo quomodo [.. per]sonaliter [...] ederet et

FUNDACIÓ NOGUERA

ipsam ab administratione dicte domus perpetuo privaret [.....] dictum territorium excipiendo prepositum quod cum eedem priorissa et sorores ac[... ...]n iurisdictione dominio et potestate dicti preceptoris ac quorumlibet ordinariorum [....] derogatum forent libenter et exempte ac eidem sedi immediate subiecte ita quod iidem [... u]bicumque committatur delictum iniatur contractus aut res ipsa consistat nequeunt[.... ..]e aliquam exercere et tam dicte priorissa et sorores forent quam ille que [....] privilegiorum et cuius contrarii memoria non existit in pacifica possessi [....] exhibitionem privilegiorum huiusmodi et alias legitime proba[re ...]atum predicta processerat minus iuste dictaque priorissa eisdem citationi [....] ad id compelli de iure non poterat nec debebat et ab eodem preceptore humib[.. ...] et mandatum huiusmodi quatenus de facto processerant revocaret et quia idem preceptor eandem priorissam [....] pro parte ipsius priorisse sentientis exinde inebite se gravari fuit ad sedem apostolicam appellatum. Quocirca [.... per apostolica scripta] manda[mus], quatinus vocatis qui fuerint evocari et auditis hinc inde propositis quod iustum fuerit appella[tione remota decernatis, facientes] quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia odio [vel timore subtraxerint] censura simili appellatione cessante compellatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis [interesse, duo vestrum nic]hil[ominus] exequantur.

Dat. Avinione, XIII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Primo.

1150

1371 novembre 25, Avinyó

Gregori XI comunica als bisbes de Barcelona (Pere de Planella) i de Lleida (Romeu de Sescomes) que els nomena col·lectors de la dècima de les rendes eclesiàstiques, atorgades al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), per un trienni, amb motiu de prosseguir la conquesta del regne de Sardenya.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 1 augment.
a Plica retallada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 350-351, doc. 713.

Gregorius (XI) episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. Barchinonensi et .. Ilerdensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Dum clara devotionis et fidei merita, quibus carissimus in Christo filius noster Petrus rex Aragonum illustris Ro-

FUNDACIÓ NOGUERA

manam ecclesiam reverenter prosequitur illius se semper beneplacitis coaptando dominique laudanda ipsius celsitudinis studia, quibus ipse iugiter elaborat, ut catholicam fidem protegat, regna sua ac ecclesias et gentes consistentes in illis velut rex pacificus in pacis amenitate conservet et ut illa que ipse a Romana tenet ecclesia et que ab aliis indebite detinentur recuperet totis anelas viribus diligenter attendimus effectum paterne caritatis inducimur ut sibi reddamur in suis oportunitatibus liberales. Nuper siquidem pro parte celsitudinis eiusdem regis fuit propositum coram nobis et venerabilibus fratribus nostris Romane ecclesie cardinalibus, quod pro recuperatione nonnullorum civitatum castrorum terrarum et locorum aliorum regni Sardinie et Corsice idem rex a nobis et dicta Romana ecclesia tenet in feudum, que quidem civitates castra terras et alia loca per nonnullos occupantur magna ipsum regem subire oportebit onera expensarum fuitque nobis humiliter supplicatum, ut sibi pro faciliora supportatione expensarum et onerum predictorum de aliquo decimarum vel aliorum ecclesiasticorum proventuum auxilio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque considerantes quod recuperatio civitatum castrorum terrarum et aliorum locorum predictorum non solum ipsius regis sed etiam eiusdem Romane ecclesie concernat commodum huiusmodi supplicationibus inclinati de dictorum fratrum consilio decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum in Aragonum et aliis regnis ac comitatibus et terris ipsius regis ditioni subiectis, predicto regno Sardinie et Corsice dumtaxat excepto, consistentium per tres annos continuos a datum presentium computandos in subscriptis terminis solvendam et etiam exigendam ab omnibus et singulis archiepiscopis episcopis ceterisque prelatis et personis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis huiusmodi redditus et proventus in eisdem regnis comitatibus et terris obtinentibus et infra dictos tres annos obtenturis cuiuscumque preeminentie dignitatis status religionis ordinis vel conditionis existerent, quibus aut eorum alicui nulla privilegia vel indulgentias sub quacunque verborum forma vel expressione concessa quo ad hoc noluimus suffragari preterquam ab eisdem fratribus nostris sancte Romane ecclesie cardinalibus huiusmodi redditus et proventus in regnis comitatibus et terris predictis obtinentibus et obtenturis imposterum qui nobiscum assidue indefessis laboribus onera universalis ecclesie sortiuntur, necnon et dilectis filiis hospitalis sancti Iohannis Ierosolimitani ac sancte Marie de Montesia et sancti Iacobi Calatravensis et de Alcantara Militiarum seu domorum magistris prioribus preceptoribus et fratribus qui contra hostes fidei christiane exponunt iugiter se et sua, quos cardinales et magistros priores preceptores et fratres a prestatione huiusmodi decime exemptos esse volumus et immunes

FUNDACIÓ NOGUERA

auctoritate apostolica eidem regi per nostras litteras duximus concedendum. Volentes quod huiusmodi decima per vos vel alterum vestrum quos concessionis executores decime predicte principales collectores esse voluimus et etiam deputavimus, necnon succollectores clericos dumtaxat a vobis seu altero vestrum deputandos in singulis civitatibus et diocesibus regnorum comitatuum et terrarum predictorum tam a vobis ac archiepiscopis et episcopis regnorum comitatuum et terrarum ipsorum quam ab omnibus aliis archiepiscopis episcopis ac prelatis et personis aliis ecclesiasticis secularibus et regularibus exemptis et non exemptis in eisdem regnis comitatibus et terris redditus et proventus huiusmodi ut prefertur habentibus et infra dictum triennium habituris preterquam a predictis cardinalibus magistris prioribus preceptoribus et fratribus de ipsis dumtaxat redditibus ac proventibus colligeretur et etiam exigentur sine iniuria et expressione quacunque. Ita quod per vos vel succollectores eosdem ad redditus et proventus ecclesiasticos extra regna comitatus et terras predicta consistentia compulsionis officium nullatenus extendatur. Huiusmodi autem solutio fiet per dictum triennium in terminis infrascriptis siquidem solutionis medietas dicte decime primi anni dictorum trium annorum primum terminum fore statuimus festum resurrectionis domini proxime venturum, secundum vero terminum solutionis medietatis alterius eiusdem decime ipsius primi anni esse volumus celebritatem Omnium sanctorum dictum festum resurrectionis tunc proxime secuturam, in aliis annis dictorum trium annorum immediate sequentibus similibus terminis observandis, dictaque exactio fiat secundum taxationem decime in singulis regnorum comitatuum et terrarum predictorum civitatibus et diocesibus hactenus factam vel ubi nulla huiusmodi certa taxatio fuerit, secundum modum morem et consuetudinem in exactione et solutione huiusmodi decime hactenus observatos et sine aliquo onere illorum a quibus huiusmodi decima exigetur. Et ne de moneta in qua fiet et fieri debebit solutio dicte decime valeat hesitari vitenturque gravamina que propter hoc hactenus viri ecclesiastici sunt perpessi, volumus quod per vos et succollectores vestros ipsa decima ad monetam in dictis terminis in eisdem regnis comitatibus et terris ac civitatibus et diocesibus eorundem communiter currentem levetur et etiam exigatur ac vobis et per vos deputandis ut prefertur vel eorum succollectoribus supradictis persolvatur iuxta constitutionem super hoc editam in concilio Viennensi, ita quod pretextu alicuius cambii debitores et solutores dicte decime non graventur nec aliquis ad solutionem huiusmodi decime extra civitatem et diocesim in quibus redditus et proventus huiusmodi obtinent faciendum vel ad monetam ad aliquem locum extra ipsas civitates et dioceses deferrendum aliquatenus compellantur quodque circa hoc iuxta

FUNDACIÓ NOGUERA

constitutionem eiusdem Viennensis concilii[51] calices libri et alia ornamenta ecclesiarum divinis officiis deputata ex causa pignoris vel alias occasione dicte exactionis nullatenus capiantur recipiantur distrahantur vel etiam occupentur. Ac volumus quod quicquid de huiusmodi decima per vos et succollectores vestros predictos exactum levatum et collectum fuerit per vos seu alterum vestrum pro huiusmodi recuperatione civitatum castrorum terrarum et aliorum locorum in predicto regno Sardinie et Corsice ut premittitur occupatorum ad mandatum ipsius regis expendere teneremini. Et insuper serenitatem eiusdem regis attentius exhortari fuimus quod infra dictum triennium idem rex predicte decime concessione contentus predictis ecclesiis et personis ecclesiasticis aliud subsidium etiam si sponte per eas sibi oblatum vel de ipso sibi ordinatum tunc foret vel usque ad finem dicti triennii imposterum efferri contingeret vel etiam ordinari per se vel alium seu alios directe vel indirecte non petat nec exigat aut recipiat quoquo modo. Si vero contin[....] huiusmodi concessio sit cassa et irrita eo ipso, sed si dicte ecclesie et persone ecclesiastice ad aliqua antiqua servitia eidem regi forsitan teneantur super illis non intendimus ipsius regis celsitudini in aliquo derogare. Quocirca fraternitatem vestram monemus et hortamur attente per apostolica scripta vobis mandantes, quatinus vos et alter vestrum prefatam decimam de huiusmodi redditibus et proventibus vestris per dictum triennium in eisdem terminis integraliter solvere et tam a prefatis eorundem regnorum comitatuum et terrarum quam aliis archiepiscopis episcopis prelatis et personis ecclesiasticis supradictis de ipsorum ecclesiasticis redditibus et proventibus, quos in dictis regnis comitatibus et terris obtinent et per dictum triennium obtinebunt preterquam a cardinalibus magistris prioribus preceptoribus et fratribus supradictis solvatur exigatur et colligatur curare et facere studeatis. Nos enim vobis et cuilibet vestrum prefatos eorundem regnorum comitatuum et terrarum archiepiscopos et episcopos ac omnes et singulares prelatos et personas ecclesiasticas supradictos huiusmodi redditus et proventus in singulis vestris et ipsorum civitatibus et diocesibus obtinentes et infra dictum triennium ut premittitur obtenturos cardinalibus magistris prioribus preceptoribus et fratribus predictis dumtaxat exceptis ad solvendum dictam decimam in eisdem terminis prout superius est expressum auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam ac etiam per sequestrationem ipsorum reddituum et proventuum in prefatis regnis comitatibus et terris civitatibus et diocesibus consis-

51. Conc. de Viena, càn. 12, ALBERIGO, *Conciliorum Oecumenicorum Decreta*, p. 369; Clementines 3.8.2, FRIEDBERG, *Corpus Iuris Canonici*, II, col. 1165.

FUNDACIÓ NOGUERA

tentium si expediens fuerit compellendi plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Quod si forsan vos vel alter vestrum seu succollectores prefati aut eorum aliqui in eiusdem decime solutione defeceritis seu defecerint, taliter deficientes similes sententias, quas per vos vel succollectores eosdem in non solventos dictam decimam in prefatis terminis proferri contigerit, incurrere volumus ipso facto. Non obstantibus si vobis dictisque omnibus archiepiscopis episcopis aliisque personis ecclesiasticis et quibuscunque aliis communiter vel divisim a predicta sit sede indultum, quod ad solutionem huiusmodi decime minime teneamini et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possitis per litteras apostolicas, que de indulto huiusmodi et toto eius tenore ac de verbo ad verbum et propriis ipsorum ordinum locorum et personarum nominibus plenam et expressam non fecerint mentionem, et quibuslibet privilegiis indulgentiis exemptionibus et litteris apostolicis quibuscunque dignitatibus seu ordinibus et specialiter Cluniacensi Cisterciensi Premonstratensi Cartusiensi Grandimontensi et ipsorum universitatibus generaliter et specialiter sub quacunque forma vel conceptione verborum a memorata sede concessis, de quibus totis tenoribus ac de verbo ad verbum in nostris litteris specialis ac plena et expressa mentio sit habenda. Ad hec volumus vobisque eadem auctoritate concedimus, quod si vos ex defectu non facte solutionis huiusmodi prefatas sententias incurrisse contigerit, ab eisdem sententiis post satisfactionem debitam per alterum ex vobis seu ex huiusmodi succollectoribus excommunicationis sententia non ligatum et alias gratiam et communionem apostolice sedis habentem facta sibi fide de satisfactione huiusmodi absolutionis beneficium et super irregularitate siquam forsan sic ligati non tamen in contemptum clavium celebrando divina vel immiscendo vos illis contraxeritis dispensationis gratiam obtinere, aliisque etiam quos in singulis vestris et ipsorum civitatibus et diocesibus easdem sententias ex defectu solutionis huiusmodi incurrisse contigerit, post satisfactionem debitam facta vobis sufficienti fide de satisfactione huiusmodi vos et ipsi succollectores similia ab eisdem sententiis absolutionis beneficia et super irregularitate contracta dispensationis gratiam impendere valeatis ac impendi ordinetis et etiam faciatis, ita quod nullum post satisfactionem ipsam pro huiusmodi beneficio et gratia obtinendis extra suam civitatem et diocesim oporteat laborare. Ceterum quia forsan nonnulle ex personis ecclesiasticis supradictis adeo pauperes existunt, quod ad solutionem huiusmodi decime impotentes existunt, aliquarum vero facultates ad integram solutionem non sufficiunt nostre intentionis existit quod hii quorum facultates ad integram solutionem huiusmodi decime supportatis aliis oneribus consuetis non suppetunt, ultra

FUNDACIÓ NOGUERA

quam iuxta suarum huiusmodi facultatum exigentiam commode possint. Illi vero qui de ipsa decima nichil solvere poterunt super cuiusmodi eorum impotentiis vestras conscientias oneramus ad solvendum aliquid pretextu concessionis predicte nullatenus compellantur, nec pretextu non solutionis huiusmodi prefatas sententias quoquo modo incurrant.

Dat. Avinione, VII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

1151

1371 novembre 25, Avinyó

Gregori XI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) que s'abstingui de tot tracte i pacte amb persones enemigues de l'Església, amb les quals intenta establir una lliga i àdhuc contraure parentiu, segons alguns rumors.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 4.
a Lletra tancada. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 350, doc. 712.
c MOLLAT, *Lettres secrètes et curiales du pape Grégoire XI*, I, p. 60, doc. 424.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 413, doc. 6263.

Gregorius (XI) episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Hoc de tue sinceritatis eximie prudentia circunspecta mens nostra considerat, ut dei beneplacitum sicut amator divini nominis ac ecclesie Romane matris tue honorem et profectum intentus studio diligentis indagationis eximitas et que in hiis oportuna fore conspicis, promptis operibus exequaris. Audivimus enim nuper quosdam eiusdem Romane ecclesie emulos seu nobis suspectos tecum ligam inire seu parentelam contrahere velle et ideo magnitudinem regiam attentam reddimus et cautam esse volumus ac rogamus attentius, ne cum inimicis ecclesie aut ei suspectis fedus pactionem aut aliquam societatem sive ligam ineas seu parentelam contrahas, sed veluti eiusdem ecclesie devotissimus filius posteriora bona continuando prioribus prout plene confidimus apud deum et ipsam ecclesiam pura devotione sis preclarus, ita quod aliis sis in exemplum et provide humane laudis attolli preconio merearis nosque devotionem tuam dignis in domino laudibus attollamus.

Dat. Avinione, VII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

FUNDACIÓ NOGUERA

1152

1371 desembre 8, Avinyó

Gregori XI comissiona els bisbes de Barcelona (Pere de Planella) i de Lleida (Romeu de Sescomes), col·lectors de la dècima dels regnes d'Aragó, i els mana, que abonin al seu rei la suma de tot allò invertit en els preparatius militars de mar i terra durant la conquesta del regne de Sardenya i Còrsega.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 5.
a Butlla reaprofitada amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 351, doc. 714.
c HAYEZ, *Grégoire XI, lettres communes*, II, p. 531-532, doc. 11048.
d *Schedario Baumgarten*, III, p. 413, doc. 6264.

Gregorius XI episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. Barchinonensi et .. Ilerdensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Nuper carissimo in Christo filio nostro Petro regi Aragonum illustri per nostras litteras decimam omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum in Aragonum et aliis regnis ac comitatibus et terris eiusdem regis ditioni subiectis regno Sardinie et Corsice, quod idem rex a nobis et Romana ecclesia tenet in feudum dumtaxat excepto consistentium per tres annos continuos a datum nostrarum litterarum computandos pro recuperatione nonnullorum civitatum castrorum terrarum et locorum aliorum regni predicti certis terminis solvendam et etiam exigendam duximus concedendam vosque et quemlibet vestrum collectores huiusmodi decime duximus deputandos ac inter cetera voluimus, quod quicquid de huiusmodi decima exigeretur et levaretur per vos vel alterum vestrum pro huiusmodi recuperatione civitatum castrorum terrarum et aliorum locorum in predicto regno Sardinie et Corsice ut premittitur occupatorum expendere teneremini ad mandatum dicti regis prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem sicut accepimus predictus rex pro gentibus armigeris et navigiis que ibidem nuper destinavit plus expenderit et expendere proponat infra breve quam ascendat decima supradicta, nos de premissis certam noticiam non habentes, fraternitati vestre de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus si dictus rex dum huiusmodi termini advenerint vel etiam antea vobis vel alteri vestrum in consciencia sua dixerit, quod tunc tantum vel plus expenderit pro huiusmodi gentibus armigeris et navigiis et recuperacione premissa quantum ascendit dicta decima decimam ipsam vel si minus expendisset quam ascendat dicta decima id quod expenderit eidem regi aut illi vel illis quos ad hoc deputaverit in terminis ad hoc assignatis tradi et assignari mandetis

FUNDACIÓ NOGUERA

et persolvi et alias ad executionem dictarum litterarum procedatis iuxta earundem continentiam et tenorem.

Dat. Avinione, VI Idus Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

1153

1371 desembre 11, Avinyó

Gregori XI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que ha rebut el seu ambaixador Ramon de Peguera, cavaller de la diòcesi de Vic, el qual l'assabentarà del resultat de l'entrevista. Al mateix temps, li comunica que ha rebut la lletra a través del jutge Marià d'Arborea i li manifesta la seva bona predisposició perquè enviï plenipotenciaris a la Seu Apostòlica, a fi de tractar la pau, i espera que ell la secundarà per tal d'evitar efusió de sang.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 6.
a Lletra tancada. Butlla reaprofitada amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 351-352, doc. 715.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 414, doc. 6265.

Gregorius XI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Litteras serenitatis tue ac dilectum filium nobilem virum Raymundum de Pagueria militem Vicensis diocesis ambaxiatorem tuum excellentie regie contemplatione suarum que insuper virtutum et probitatis obtentu benigne recepimus et illa, que nobis pro parte serenitatis prefate prudenter et eleganter exposuit, intelleximus diligenter eique respondendum duxerimus prout ipse referre poterit prefate excellentie viva voce. Ceterum fili carissime, cum nuper dilectus filius nobilis vir Marianus iudex Arboree nobis per suas litteras et certum nuncium significare curaverit, quod ipse iam ad nostram presentiam cum sufficienti mandato suos nuncios pro tractu concordie inter serenitatem iandictam et ipsum iudicem auctore domino reformandam, nisi sensisset excellentiam regiam contra ipsum ad guerram totaliter dispositam et paratam destinasset et si de nostra voluntate procederet et putaremus utile fore pro effectu huiusmodi concordie consequendo suos nuncios cum sufficienti mandato ad hoc ad presentiam nostram sine dilatione temporis destinaret. Nos illius qui pro oportuno et hereditario bono pacem reliquit hominibus licet immeriti vices gerentes in terris inter cunctos Christi fideles presertim inter reges et nobiles, ex quorum concordia populis succedit tranquillitas et bona rei publice propagantur et ex dissensione ipsorum publica quies turbatur

FUNDACIÓ NOGUERA

et innumera mala proveniunt, pacem et concordiam totis mentis affectibus cupientes, celsitudinem regiam rogamus attente ac in domino exhortamur, quatinus pro divina et nostra et apostolice sedis reverentia bonique publici consideratione et presertim ut homicidia et strages hominum evitentur, ad pacem et concordiam cum prefato iudice effectualiter te disponas, rescribens nobis quid regia voluntas cui in hoc differre intendimus, deliberaverit in premissis ut si quod speramus te ad concordiam inclinaveris eidem Iudici de nostra intentione scribere valeamus.

Dat. Avinione, III Idus Decembris, pontificatus nostri anno Primo.

1154

1372 març 2, Avinyó

Gregori XI comunica al rei Pere d'Aragó (el Cerimoniós) que, segons els acords i pactes entre l'Església de Roma i els seus predecessors està obligat a pagar cada any dos mil marcs d'argent en les fetes dels apòstols Pere i Pau com a cens pel feu de Sardenya i Còrsega, que ha rebut cinc mil florins d'or al pes a través del mercader Andreu Tici de Pistoia, assignat per la cúria romana. Es fa constar que són moltes les anualitats que es deuen.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 7.
a Butlla amb fil de seda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 352, doc. 716.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 414, doc. 6266.

GREGORIUS XI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Arragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Cum iuxta conventiones et pacta olim inter Romanam ecclesiam et clare memorie Iacobum regem Sardinie et Corsice predecessorem tuum in concessione regni Sardinie et Corsice eidem regi et suis heredibus facta per ecclesiam memoratam, tu qui dicti regis in eodem regno heres existis, dicte ecclesie duo milia marcharum argenti bonorum et legalium Sterlingorum annis singulis in festo apostolorum Petri et Pauli pro censu dicti regni solvere tenearis et pro parte dicti census debiti anno Nativitatis domini Millesimo trecentesimo septuagesimo primo et in dicto festo eorundem apostolorum proxime preteritis quinque milia die vicesima tercia "Decembris "mensis proxime lapsi ac pro alia parte die vicesima mensis Februarii proxime preteriti presentis anni dicte Nativitatis Millesimi trecentesimi septuagesimi secundi infra tempus dilationis super hoc nos tue serenitati concesse alia quinque

FUNDACIÓ NOGUERA

milia florenorum auri ad pondus camere apostolice in ipsa camera pro ipsa et predicta ecclesia per manus dilecti filii Andree Ticii de Pistorio mercatoris curiam Romanam sequentis assignari feceris et persolvi. Nos volentes tibi et tuis heredibus et successoribus super hoc de oportuna providere cautela, te ac heredes et successores eosdem de huiusmodi decem milium florenorum summa tenore presentium plene absolvimus et quitamus, iure tamen dicte camere seu ecclesie super residuo valoris dictarum duarum milium marcharum argenti ultra prefata decem milia florenorum et super huiusmodi censu per te pluribus annis preteritis ipsi ecclesie non soluto et adhuc debito semper salvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis et quitationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VI Nonas Martii, pontificatus nostri anno Secundo.

1155

1372 octubre 1, Vilanova d'Avinyó

Gregori XI prega als jurats i els ciutadans de Castro, diòcesi de Messina, i els exhorta, que influeixin prop de Frederic III d'Aragó, rei de Sicília (el Feble), perquè confirmi les correccions que ell ha fet als tractats de pau, convinguts entre Frederic i la reina Joana de Sicília.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 9.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 353, doc. 718.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 419, doc. 6284.

Gregorius XI episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. iuratis et universitati terre Castri Messanensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Gaudere debetis et dare gloriam domino quia cum in tenebris diu sederitis ab unione et splendore sancte matris ecclesie cunctorumque Christi fidelium separati exortum est vobis lumen ut si que tractata sunt ad consummationem debitam deducantur ut speramus videatis de tenebris lucem magnam et reducamini ad eiusdem ecclesie unitatem et degustetis dulcia ubera matris vestre et per varios et pestiferos guerrarum anfractis longis temporibus concitati atque confracti in diebus vestris pacis dulcedinem sentiatis. Cum itaque nomine carissime in Christo filie nostre Iohanne regine Sicilie illustris ex parte una et dilectum filium magnificum virum Fredericum de Aragonia insulam Sicilie regentem ex parte altera quidam trac-

FUNDACIÓ NOGUERA

tatus super pace et concordia inter eos auctore domino reformanda sint habiti et per nos de fratrum nostrorum consilio cum quadam necessaria correctione adhibita per ambassiatores utriusque partis deferendi ad partes ipsas presentialiter remittantur, et verisimiliter et quodam modo indubitanter tanti boni preciositate pensata speremus quod prefati regina et regens huiusmodi tractatus concordie per nos correctos ut prefertur solenniter confirmabunt, debetis merito letari et in domino gaudere. Hinc igitur universitatem vestram affectuose rogamus monemus et exhortamur in domino, quatinus pro huiusmodi tractatu concordie ad optatum finem auctore domino deducendo penes dictum regentem et alias prout vobis expedire videbitur totis viribus insistatis recognoscentes ingentia beneficia que ab eadem ecclesia de manu domini suscipitis, ut in eiusdem ecclesie devotione et fide sincera perpetuis temporibus persistatis et cum tractatus huiusmodi deductus fuerit ad optatum consummationis effectum et per venerabilem fratrem nostrum Iohannem episcopum Sarlatensem apostolice sedis nuncium, quem ad ipsum prosequendum tractatum specialiter destinamus, super hoc fueritis requisiti eidem Frederico tanquam vero regi et domino vestro obedientiam et subiectionem ac debita servicia et subsidia impendatis, ut eius regia serenitas vestris sublimetur suffragiis vestraque fidelitas ab eius celsitudine decoretur et quietis et pacis suscipiat incrementa. Nos enim eundem casu adveniente predicto et regnum eiusque incolas et habitatores, ad quos magnum concepimus dilectionis affectum prosequi intendimus favoribus gratie specialis et oportunis favoribus confovere.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Secundo.

1156

1372 octubre 16, Avinyó

Gregori XI concedeix a tots els ciutadans i persones, eclesiàstiques i seculars, de la vila de Puigcerdà, diòcesi d'Urgell, indulgències plenàries amb motiu de l'epidèmia de mortaldat a causa de la pesta que pateix la vila.

A Puigcerdà, Arxiu Comarcal de la Cerdanya, Pergamí núm. 68 (225).
a Butlla perduda.
b BOSOM I ISERN - FORNS DE RIVERA, *Catàleg de pergamins de l'Arxiu Comarcal de la Cerdanya*, p. 74, doc. 68.

GREGORIUS (XI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis universis et singulis personis ecclesiasticis et secularibus utriusque

FUNDACIÓ NOGUERA

sexus habitatoribus et incolis loci Podiiceritanii Urgellensis diocesis salutem et apostolicam benedictionem. Provenit ex vestre devotionis affectu quo nos et Romanam ecclesiam reveremini ut petitiones vestras illas presertim que animarum vestrarum salutem respiciunt ad exauditionis gratiam admittamus. Cum itaque sicut petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod in loco Podiiceritanii Urgellensis diocesis epedimie seu mortalitatis pestis vigere noscatur adpresens. Nos animarum vestrarum saluti providere volentes vestris supplicationibus inclinati, ut confessor quem quilibet vestrum quos hinc ad festum Nativitatis domini proxime venturum ex huiusmodi epidimia mori contigerit duxerit eligendum omnium peccatorum vestrorum, de quibus corde contriti et ore confessi fueritis semel tantum in mortis articulo plenam remissionem vobis in sinceritate fidei unitate sancte Romane ecclesie ac obedientia et devotione nostra vel successorum nostrorum Romanorum pontificum canonice intrantium persistentibus auctoritate apostolica concedere valeat devotioni vestre tenore presentium indulgemus, sic tamen quod idem confessor de hiis de quibus fuerit alteri satisfactio impendendi eam vobis per vos si supervixeritis vel per heredes vestros si tunc forte transieritis faciendam iniungat, quam vos vel illi facere teneamini ut prefertur. Et ne quod absit propter huiusmodi graciam reddamini procliviores ad illicita imposterum committenda volumus quod si ex confidentia remissionis huiusmodi aliqua forte committeretis quo ad illa predicta remissio vobis nullatenus suffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XVII Kalendas Novembris, pontificatus nostri Anno Secundo.

1157

1372 octubre 16, Avinyó

Gregori XI confirma els estatuts i les disposicions del bisbe Jaume (de Trilla) i del capítol de Girona sobre les col·lacions dels fruits i les pagues d'aquesta diòcesi.

A Girona, Arxiu Capitular, Pergamins, Plec 2, núm. 1.
a Butlla perduda.

FUNDACIÓ NOGUERA

GREGORIUS (XI) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Regimini universalis ecclesie quamquam immeriti disponente domino presidentes iuxta pastoralis officii debitum ecclesiarum omnium utilitatibus libenter intendimus et hiis que pro augmentatione cultus divini provide acta sunt ut illibata permaneat adicimus apostolici muniminis firmitatem. Sane nuper ex certis rationabilibus causis nonagintatria prestimonia capellanias nuncupata tunc expressa Gerundensis diocesis cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem mense communi dilectorum filiorum capituli et ecclesie Gerundensium auctoritate apostolica ex certa scientia incorporavimus annexuimus et perpetuo univimus et cum sicut acceperamus collatio et dispositio beneficiorum et ecclesiarum, in quibus dicta prestimonia consistebant, ad obtinentes dicta prestimonia pertinerent, voluimus ac venerabili fratri nostro Iacobo episcopo Gerundensi et dilectis capitulo auctoritate apostolica concessimus, ut predicta auctoritate super huiusmodi collationibus et super modo distribuendi et dividendi distributiones de fructibus predictorum prestimoniorum sic unitorum et aliis circumstantiis universis premissa concernentibus inter se equitate semper servata convenirent et concordarent disponerent statuerent et ordinarent prout bono statui dicte ecclesie cognoscerent expedire prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, quarum litterarum nostrarum tenor sequitur in hec verba:

Gregorius episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam. Inter cetera desiderabilia cordis nostri intentis desideriis concupimus ut ubique maiestas altissimi collaudetur in benedictionibus gratiarum suique cultus gloriosi nominis amplietur ad quorum promotionem eo libentius ministerium apostolice solicitudinis adhibemus quo magis debitum reputamus ut nunquam sileat ab ipsis laudibus lingua carnis. Dudum siquidem pro parte venerabilis fratris nostri Iacobi episcopi et dilectorum filiorum capituli Gerundensium nobis exposito quod cum in nonnullis parrochialibus ecclesiis diocesis Gerundensis sint instituta quedam simplicia prestimonia capellanie nuncupata ad collationem episcopi Gerundensis pro tempore existentis et aliquorum singulorum ecclesie Gerundensi spectantia que nullum sacrum ordinem nec residentiam personalem requirunt et que tam ex consuetudine et statuto iurato ipsius ecclesie quam ex indultis et privilegiis nostris et quondam aliorum Romanorum pontificum videlicet felicis recordationis Innocentii IIII et Iohannis XXII predecessorum nostrorum non nisi canonicis et personis de capitulo dicte ecclesie conferri debent seu in beneficium assignari propter quorum canonicorum et personarum sustentationem cum prebende eiusdem ecclesie sint adeo tenues et exiles quod quolibet vix valet annuatim quinquaginta libras monete Barchinonensis etiam residentibus et non multum plus valent presen-

FUNDACIÓ NOGUERA

tibus quam absentibus privilegiatis cum nullo sint ibi distributiones cotidiane, unde canonici ipsius ecclesie qui nobiles et generosi esse consueverunt ac alie persone de dicto capitulo iuxta statum et conditionem ipsorum vel honorificentiam ipsius ecclesie que valde notabilis esse consuevit et est de solis prebendis predictis hospitalitatem tenere ac in ipsa ecclesia commode residere seu decenter vivere non poterant neque possunt et ut paupertas ipsarum prebendarum ex dictis prestimoniis suppleretur ipsa prestimonia fuerunt ut asseritur instituta et ordinata. Et quia nonnulli impetrantes apostolici ad beneficia in illis partibus generaliter etiam in forma communi qui canonici vel persone de dicto capitulo non existunt sed sunt quandoque homines simplices et illiterati ac vagabundi vigore gratiarum suarum in quibus de consuetudine statuto vel privilegiis predictis nulla expressa sit mentio, asserentes quod per generales clausulas omnia predicta tollantur sepedicta prestimonia ad se pertinere pretendunt et sibi vendicare presumunt ac plura ex eis possident canonicosque vel personas dicte ecclesie vexant laboribus litigiis et expensis, ex quibus sequitur in ipsa ecclesia diminutio cultus divini et plura eidem ecclesie incommoda provenire noscuntur ac supplicato ut providere super premissis de oportuno remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos dilectis filiis nostris Iohanni tituli sancti Marci presbitero et Petro sancti Eustachii diacono cardinalibus oraculo vive vocis commisimus, ut se de premissis informarent ac de remediis congruis cogitarent et que repererint et etiam que ipsis viderentur nobis referre curarent, qui quidem cardinales tam per testes fidedignos quam alia documenta legitima et etiam ex relatione dictorum episcopi et capituli quibus super hoc scripserant eis per instrumentum publicum sigillis ipsorum episcopi et capituli sigillatum et manibus nonnullarum personarum de dictis capitulo subscriptum facta, in quo quidem instrumento nomina dictorum prestimoniorum seu ecclesiarum in quibus sunt ipsa prestimonia instituta describebantur. Et sunt hec de Alburnis de Darnicibus de Navata Fontecoperto Gerundensis diocesis quorum omnium que sunt nonaginta tria numero fructus redditus et proventus mille quingentorum librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime valorem annuum non exedunt, et etiam in dicto instrumento continebatur quod numerus canonicorum et personarum de dictis capitulo est de triginta sex sine episcopo qui pro duobus in perceptione prebendarum computatur, se diligenter informare curaverunt nobisque postmodum omnia et singula predicta que fore vera reppererant fideliter retulerunt concludendo quod melius remedium quod in premissis posset apponi esset quod predicta prestimonia in cotidianas distributiones in ipsa ecclesia Gerundensi interessentibus divinis perpetuo largiendas converterentur ut ex hoc cultus augmen-

FUNDACIÓ NOGUERA

taretur divinius ac canonici dicte ecclesie inibi libentius residerent ac ecclesia ipsa multipliciter ex hoc reformari posset et ei magna provenirent incrementa. Nos igitur ut canonici et alie persone de dictis capitulo celebrationibus missarum et aliis divinis nocturnis et diurnis officiis devote et solenniter adiuvante domino peragendis studiosius intendant et in ipsa ecclesia libentius resideant, providere intendentes ipsorum episcopi et capituli in hac parte supplicationibus inclinati, predicta nonaginta tria prestimonia capellanias nuncupata cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem mense communi dictorum capituli et ecclesie Gerundensium etiam si prestimonia ipsa seu aliquod vel aliqua ex eisdem sint dispositioni apostolice specialiter vel generaliter reservata et etiam si illos qui huiusmodi prestimonia obtinent apud sedem apostolicam cedere vel decedere aut alias prestimonia ipsa ibidem quomodolibet dimittere contingat, auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia incorporamus annectimus et perpetuo unimus, ita quod predicti capitulum illorum que obtinent vel ipsa alias quomodolibet dimittentibus, etiam si dicte sedis officiales existant, ipsorum aliorum ex prestimoniis supradictis necnon iurium et pertinentiarum eorum per se vel alium seu alios corporalem possessionem libere ingredi et apprehendere ac ipsa prestimonia imperpetuum licite retinere eorumque fructus redditus et proventus pro distributionibus cotidianis in dicta ecclesia canonicis et personis de ipsius capituli ibidem commorantibus et divinis interessentibus iuxta dispositionem dictorum episcopi et capituli perpetuo largiendis convertere valeant et debeant cuiuscumque licentia minime requisita. Non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie Gerundensis contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, aut si aliqui supprovisionibus sibi faciendis de huiusmodi prestimoniis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas litteras et processus habitos per easdem et quecumque inde secuta ad prefata prestimonia volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quo ad assecutionem prestimoniorum et aliorum beneficiorum preiudicium generari, seu quibuscumque privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, insuper cum sicut accepimus collatio et dispositio beneficiorum et ecclesiarum in quibus dicta prestimonia consistunt ad obtinentes dicta prestimonia pertinere noscantur. Volumus ac eisdem episcopo et capitulo auctori-

FUNDACIÓ NOGUERA

tate apostolica concedimus, ut auctoritate predicta super huiusmodi collationibus et super modo distribuendi et ordinandi distributiones predictas et aliis circumstantiis universis premissa concernentibus inter se equitate semper servata conveniant et concordent disponant statuant et ordinent prout bono statui dicte ecclesie cognoverit expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre incorporationis annexationis unionis voluntatis et concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Dat. Avinione, VIII Idus Martii pontificatus nostri anno Secundo.[52]

Et deinde sicut exhibita nobis pro parte dictorum episcopi et capituli petitio continebat iidem episcopus et capitulum in premissis nonnulla salubria statuerunt et etiam ordinaverunt prout in litteris auctenticis inde manu publica confectis dictorum episcopi et capituli sigillis munitis quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus plenius continetur. Quare pro parte dictorum episcopi et capituli nobis fuit humiliter supplicatum ut huiusmodi statutis et ordinationibus per eos sic factis robur confirmationis adicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque ipsorum episcopi et capituli supplicationibus inclinati huiusmodi statuta et ordinationes per ipsos episcopum et capitulum ut premittitur facta rata habentes et grata illa auctoritate apostolica ex certa scientia tenore presentium confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum siquis forsan intervenerit in premissis. Tenor autem dictarum litterarum eorundem episcopi et capituli talis est:

In nomine domini nostri Ihesu Christi amen. Noverint universi quod nos Iacobus dei gratia episcopus et universum capitulum ecclesie Gerundensis in generali capitulo quod annis singulis de antiqua consuetudine in dicta ecclesia die Martis post Pascha cum certis diebus usque in hunc diem hoc anno continuatis celebratur ad sonum campane in loco solito ut moris est pro infrascriptis capitulariter congregati attendentes quod sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Gregorius divina providencia papa XI erga divini cultus augmentum et dicte nostre ecclesie reformationem pia consideratione intentus nuper videlicet VIII Idus Martii pontificatus sui anno secundo nonaginta tria prestimonia in diocesi Gerundensi capellanias nuncupata certa et determinata non excedentia valorem annuum mille quingentarum librarum Turonensium parvorum secundum taxationem decime mense communi capituli et ecclesie Gerundensium

52. 8 de març de 1372.

FUNDACIÓ NOGUERA

pro distributionibus cotidianis canonicis et personis de ipso capitulo interessentibus horis in dicta ecclesia perpetuo largiendis per suas apostolicas litteras auctoritate apostolica et ex certa sciencia incorporavit annexit et perpetuo univit concedendo nichilominus ut per nos vel alium seu alios ipsorum prestimoniorum et cuiuslibet eorum, cum locus fuerit corporalem possessionem libere ingredi et apprehendere ac ipsa prestimonia imperpetuum licite retinere eorumque fructus redditus et proventus pro ipsis distributionibus iuxta dispositionem nostram convertere valeamus et debeamus cuiuscumque licentia minime requisita. Voluit insuper idem dominus noster papa nobisque per easdem litteras auctoritate apostolica expresse concessit ut auctoritate predicta super collationibus beneficiorum et ecclesiarum in quibus sunt ipsa prestimonia instituta ad obtinentes dicta prestimonia spectantibus et super modo distribuendi et dividendi distributiones predictas ac aliis circumstantiis universis premissa concernentibus inter nos equitate semper servata conveniamus et concordemus disponamus statuamus et ordinemus prout bono statui dicte ecclesie cognoverimus expedire, ut omnia predicta et plura alia in eisdem apostolicis litteris plenius continentur. Volentesque circa premissa procedere ad laudem et honorem omnipotentis dei eiusque genetricis gloriose virginis Marie sub cuius invocatione ista ecclesia noscitur dedicata habitis inter nos primitus super hoc diversis tractatibus et matura deliberatione prehabita venimus ad compilationem statutorum et ordinationum omnium predictorum ut sequitur. In primis enim ut erga dominum nostrum summum pontificem dominum Gregorium XI supradictum, a quo ista ecclesia et nos tot bona suscipimus et suscepturi sumus etiam infuturum in orationibus et aliis divinis obsequiis nos et successores nostri conspiciamur intenti statuimus et ordinamus, quod amodo singulis diebus in matutinis et in missa maiori et in vesperis videlicet in fine post Salva Regina et orationem que exinde dicitur de beata Maria statim Ebdomadarius in eodem tono dicat pro domino nostro papa predicto hanc orationem deus omnium fidelium pastor et rector famulum tuum Gregorium quem pastorem ecclesie tue preesse voluisti una cum commisso sibi grege salves semper et nimias per Christum et cet(eros). Et hoc precipimus inviolabiliter observari toto tempore vite ipsius domini nostri pape. Item statuimus et etiam ordinamus quod post obitum prefati domini nostri pape qui dum esset in minoribus constitutus fuit istius ecclesie canonicus et archidiaconus maior ipsius ecclesie specialis prorector ad imperpetuum singulis annis tali die qua decesserit fiat et celebretur in dicta ecclesia unum solenne anniversarium conventalem cum nocturnis et novem lectionibus defunctorum ac cum missa solenni et absolutione consueta et dies dicti obitus in martilogio dicte ecclesie scribatur ut

FUNDACIÓ NOGUERA

est solitum fieri pro illis quorum aniversaria in eadem ecclesia celebrantur et illa die qua dictum anniversarium celebrabitur cuilibet canonico et persone de capitulo qui presentes fuerint dentur duo solidi monete Barchinonensis et episcopus si intersit habeat duplam prout est fieri consuetum, alii etiam beneficiati presbiteri qui de conventualibus anniversariis aliquid consueverunt recipere habeant ex huius anniversario si interfuerint tantum quantum illa die recipient de canonica portione, ita tamen quod cuiuslibet pars summam XII denariorum non excedat quilibet vero presbiter dicte ecclesie beneficiatus perpetuus, qui in hac solennitate interfuerit et de ipso anniversario conventuali nichil habuerit, habeat sex denarios dicte monete et illa die vel in crastino teneatur celebrare et in fine misse dicantur septem psalmi cum letania coram altari beate Marie pro dicto domino nostro papa et omnes tam canonici et presbiteri quam beneficiati et conducticii dicte ecclesie qui in ipsis septem psalmis et letania interfuerint habeant videlicet quilibet quatuor denarios. Et huiusmodi peccunia solvatur de fructibus et redditibus proventibus ex prestimoniis supradictis et de toto acervo quolibet anno ante omnia deducatur. Item statuimus et ordinamus quod duo vel tres aut plures persone de capitulo per nos vel successores nostros in generali capitulo eligende et deputande mutande quolibet anno vel de biennio in biennium prout visum fuerit nobis vel eisdem successoribus pro tempore existentibus expedire sint et constituantur procuratores levatores et congregatores fructuum et reddituum dictarum prestimoniorum et habeant plenam potestatem cedentibus vel decedentibus illis, qui nunc ipsa prestimonia obtinent et alia iuxta tenorem unionis predicte ingrediendi et retinendi per se vel alium seu alios possessionem ipsorum prestimoniorum et alia circa hoc necessaria faciendi cum potestate substituendi, ac nobis vel ipsis successoribus in capitulo compotum et rationem de receptis et administratis quolibet anno bene et fideliter reddere teneantur et isti gubernatores seu yconomi aut procuratores distributionum nuncupentur et teneantur etiam distribuere ipsos fructus per partes et horas de quibus infra disponitur ac punctare absentes et pro laboribus suis certum competens salarium de toto acervo deducendum eisdem tribuatur secundum quod iustum et rationabile fuerit et secundum quantitatem quam levaverint, cum non simul sed successive et paulisper dicta prestimonia venire sperentur sub unione predicta videlicet quando per cessum vel decessum obtinentium ea ipsa unio sortietur effectum. Item statuimus et ordinamus quod congregatis ipsis fructibus et redditibus quolibet anno et reddita ratione per ipsos yconomos in dicto capitulo generali ac anniversariis predictis et infrascriptis et salariis ac expensis et omnibus necessariis deductis videatur, si restet

FUNDACIÓ NOGUERA

quantitas sufficiens ad faciendum partes infrascriptas, ut alique distributiones possint exinde largiri per totum annum interessentibus horis vel saltem per aliquam partem anni aliquibus diebus et si competens quantitas fuerit dividatur ut inferius continetur, alioquin si modica quantitas restet, differatur usque in annum vel annos sequentes donec sit quantitatis talis, que ad aliquas sufficientes distributiones sufficiat et peccunia interim custodiatur in thesauraria ipsius ecclesie vel alibi in loco tuto nec a quoquam presumatur distrahi seu in alios usus converti. Item statuimus et ordinamus quod deductis deducendis ut superius continetur de toto acervo fiant due partes equales quarum una sit pro distributionibus episcopi et canonicorum ac personarum de capitulo per modum infrascriptum dividenda, alia pars scilicet medietas ipsius acervi sit pro distributionibus aliorum dicte ecclesie beneficiatorum et pro feriali ac fabrica eiusdem ecclesie, de quibus infra sit mentio, sic videlicet quod de ipsa medietate tale fiant tres partes equales quarum una sit pro distributionibus ipsorum beneficiatorum largiendis eis in illis horis in quibus ad interessendum divinis reperti fuerint magis remissi. Et sic pro horis ubi necesse fuerit ad arbitrium episcopi et capituli pro tempore existentium distribuatur huiusmodi pars ipsis beneficiatis, interessentibus tamen horis predictis et qui non interfuerit nichil habeat salvis casibus in iure expressis, et absentes per unum aut duos ex ipsis beneficiatis distributores ad hoc deputandos punctentur, et pars absentium accrescat et applicetur interessentibus. Statuimus tamen et ordinamus quod beneficiati perpetui qui decetero in dicta ecclesia instituentur etiam de huiusmodi distributionibus gaudeant sicut alii iam ibidem mancipati. Nostre tamen intentionis nequaquam existit quod conducticii seu alii qui in dicta ecclesia perpetua beneficia non habuerint gaudeant distributionibus supradictis. Secunda vero pars dicte medietatis sit pro communi seu feriali dicte ecclesie ex quo communes expense ministrantur in recompensationem annatarum, quas ex dictis prestimoniis cum vacabant huiusmodi feriale recipere consuevit. Et tercia pars eiusdem medietatis sit pro fabrica dicte ecclesie etiam in recompensationem annatarum, quas consuevit recipere ex prestimoniis predictis cum vacabant. Medietas vero dicti acervi que pro distributionibus episcopi canonicorum et personarum de capitulo est ut prefertur deputata dividatur inter eos per hunc modum, videlicet quod de ipsa medietate fiant quatuor partes equales, ut una pars ipsius medietatis detur interessentibus in matutinis, secunda pars dicte medietatis detur in missa maiori, et tercia pars eiusdem medietatis detur in vesperis, et quarta pars dicte medietatis detur inter horas prime tercie sexte none et completorii, et hoc dividatur equaliter inter ipsos canonicos et personas de capitulo, et episcopus si inter-

FUNDACIÓ NOGUERA

fuerit recipiat pro duobus secundum quod in perceptione predictarum pro duobus computatur. Et pars absentium tam episcopi quam aliorum canonicorum et personarum de capitulo accrescat et applicetur interessentibus, canonicis et personis de ipso capitulo, ita quod absentes omnino careant commodo et utilitate dictarum distributionum nisi in casibus premissis a iure, et qui fraudulenter circa hoc se habuerint et aliquid minus debite ex ipsis distributionibus receperint non faciant fructus suos sed ad restitutionem omnium sic indebite receptorum proculdubio teneantur. Et quod in episcopo canonicis et personis de capitulo proxime duximus statuendum illud de quo ad dictos perpetuos beneficiatos decernimus observandum. Item attendentes quod ubi emolumentum est et ibi onus debet adesse et quod non est ferendus is qui lucrum amplectitur onera autem recusat. Et cum dicti beneficiati ad emolumentum dictarum distributionum gratiose ut premittitur admittantur, dignum conspeximus et congruum rationi ut sicut in emolumentis ita et in oneribus dicti beneficiati debeant esse participes. Statuimus itaque et ordinamus quod postquam canonici et persone de capitulo singulas septimanas de officiando maiori et minori fecerint dicti beneficiati per ordinem videlicet eorum quilibet septimanam suam de officiando in choro dicte ecclesie de maiori et minori iuxta morem consuetum facere teneatur, licet ad hoc antea non tenerentur preter quatuor subdiaconos qui in dicende [eplas] occupantur et magistrum gramatice qui commode ecclesiam continuare non potest ac porterium qui servit capitulo necnon clavigerum qui curam habet animarum ac Aygoderium coquum et refectorarium qui in distribuendo canonicas portiones sunt occupati, quos ad huiusmodi septimanas faciendas volumus non teneri. Et sic fiat per circulum donec omnes tam canonici et persone de capitulo quam beneficiati perpetui supradicti per ordinem videlicet eorum quilibet unam septimanam fecerit et finito circulo huiusmodi reincipiatur a canonicis et personis de capitulo ac aliis quibus incumbit ex debito in suo ordine et deinde a beneficiatis predictis, ipsos tamen beneficiatos ad hoc non intendimus obligare donec terciam partem dictorum prestimoniorum in valore apprehenderit unio supradicta, qui tamen septimanam de officiando sine causa legitima facere recusaverit per se vel alium illo anno de ipsis distributionibus nichil recipiat, et si recepit totum restituere teneatur. Item statuimus et ordinamus quod pro reverendissimis in Christo patribus dominis Iohanne tituli sancti Marci presbitero et Petro sancti Eustachii diacono istius sedis canonico prebendato sancte Romane ecclesie cardinalibus, qui erga expeditionem unionis predicte apud prefatum dominum nostrum papam partes suas efficaciter interposuerunt et labores quamplurimos sustinuerunt. Ut de ipsis in dicta ecclesia perpetua memoria habeatur,

FUNDACIÓ NOGUERA

videlicet pro ipsorum quolibet post ipsorum obitum fiat et instituatur in dicta ecclesia unum perpetuum anniversarium conventuale xx denariorum pro quolibet canonico et persona de capitulo et exnunc et extunc pro instituto habeatur et celebretur quolibet anno tali die quali quilibet ipsorum decesserit. Et dies obitus cuiuslibet in martirologio ipsius ecclesie scribatur sicut fit pro illis quorum anniversaria conventualia in ipsa ecclesia celebratur. Et episcopus si interfuerit recipiat pro duobus ut solutum est fieri. Alii etiam dicte ecclesie beneficiati presbiteri intendentes qui de conventualibus anniversariis consueverunt recipere habeant ut dictum est de anniversario domini nostri pape. Item statuimus et ordinamus quod pro benefactoribus istius ecclesie Gerundensis et fundatoribus ac dotatoribus prestimoniorum predictorum ac specialiter pro illis qui circa expeditione negotii distributionum huiusmodi laboraverint ac operam dederint ut dictum negotium debitum sortiatur effectum fiant et celebrentur perpetuo in dicta ecclesia quolibet anno duodecim anniversaria conventualia videlicet unum quolibet mense de duodecim denariis dandis cuilibet canonico et persone de capitulo cum dupla episcopi, alii etiam dicte ecclesie beneficiati presbiteri qui de conventualibus anniversariis aliquid consueverunt recipere, habeant si intersint prout de anniversario domini nostri pape superius est expressum. Et pecunia que ad huiusmodi anniversaria necessaria fuerit recipiatur post anniversarium domini nostri pape de acervo fructuum prestimoniorum predictorum. Item cum in ista ecclesia sit quedam constitutio quod canonici et persone de capitulo obtinentes prestimonia si anniversarium conventuale instituant in dicta ecclesia post eorum obitum executio ipsorum debeat habere medietatem taxe prestimoniorum que obtinent pro huiusmodi anniversario complendo. Et ut per unionem predictam illis qui pronunc obtinent prestimonia et anniversaria instituerunt iam in dicta ecclesia vel instituere intendunt infuturum quo ad hoc non preiudicetur eisdem. Rationabile nobis videtur ut isti tales canonici vel persone de capitulo nunc existentes, qui in ista ecclesia anniversarium instituerunt vel instituent gaudeant beneficio constitutionis predicte nec pretextu dicte unionis in dicta medietate eis post mortem ut prefertur debita ipsorum executio vel ordinatio valeat quomodolibet impediri. Preterea attendentes quod quorundam beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura consistentium in parrochialibus ecclesiis ubi dicta prestimonia sunt instituta et earundem ecclesiarum collatio seu provisio pertinet et pertinere consuevit de antiqua et prescripta consuetudine ad obtinentes pro tempore prestimonia supradicta tanquam “ecclesiarum “ipsarum patronos qui a rectoribus seu clericis beneficiatis dictarum ecclesiarum quolibet anno aliquibus diebus in victualibus cum certis personis et equitatu-

FUNDACIÓ NOGUERA

tis vel in certa quantitate pecunie debent et consueverunt procurari, que quidem victualia alberge vulgariter nuncupantur quodque dictorum prestimoniorum collatio ad episcopum Gerundensem qui est pro tempore et ad quosdam alios singulares de ecclesia Gerundensi ratione quarundam ipsius ecclesie dignitatum pertinere dinoscitur et consuevit, et cum per unionem predictam episcopo et aliis ad quos ipsorum prestimoniorum collatio ut premittitur pertinebat potestas conferendi ipsa prestimonia amodo penitus sit sublata. Et etiam ex ipsius unionis effectu paretur preiudicium canonicis et personis de capitulo dicte ecclesie qui erant pro tempore quibus ut prefertur dicta prestimonia conferri deberent et exinde ad eos ratione ipsorum prestimoniorum collationes beneficiorum et ecclesiarum huiusmodi pertinerent, nisi obsisteret unio supradicta. Nos volentes unicuique illorum quorum interest super premissis recompensationem facere competentem prout in litteris apostolicis super dicta unione confectis nobis super hiis et aliis est attributa potestas, habito insuper respectu ad bonum statum dicte ecclesie ac conservationem iurium et libertatum dignitatum et personarum in ipsa ecclesia consistentium super predictis inter nos equitate servata convenimus et concordamus, ut inferius sequitur. Statuentes et ordinantes auctoritate apostolica supradicta quod episcopus et alii ad quorum collationem aliqua vel aliquod ex dictis prestimoniis unitis pertinere consueverunt seu consuevit, videlicet quilibet ipsorum in ecclesia vel ecclesiis in qua vel quibus erant et sunt prestimonia spectantia ad suam collationem sicut conferebat prestimonium in qualibet ecclesia conferat unicum beneficium scilicet principalius quod ibidem fuerit cum cura vel sine cura secundum quod optaverit, quam optionem fieri volumus in generali capitulo infra annum post obtentam a domino nostro papa confirmationem statutorum et ordinationum huiusmodi computandum, et postquam semel optaverit, ulterius eos non liceat variare. Cetera autem beneficia curata et non curata in ipsis ecclesiis consistentia que ut prefertur conferre consueverant obtinentes prestimonia supradicta consensu episcopi minime requisito conferant infra tempus limitatum a iure, canonici et persone dedicto capitulo vocem in capitulo habentes dumtaxat ac in ipsa ecclesia Gerundensi personaliter residentes vel non residentes, dummodo per duas partes unius anni continuam ibidem fecerint residentiam videlicet per circulum incipiendo ab antiquiori quilibet unum beneficium curatum vel non curatum, secundum quod cadet in sortem suam, quo circulo finito reincipiatur a rapite post episcopum et sic perpetuo observetur per ordinem. Et ipsi canonici et persone de capitulo ius habeant instituendi in ipsis beneficiis et litteras possessorias faciendi prout consueverunt, dum ipsa prestimonia obtinerent. Salvo tamen quod in curatis

FUNDACIÓ NOGUERA

beneficiis episcopus committat curam sicut de iure spectat ad ipsum et litteras possessorias faciat pro eisdem. Simili modo permutationes ipsorum beneficiorum fiant et concedantur per circulum sed non computentur illi in cuius sortem venerint, quominus suo loco et ordine conferre valeat beneficium libere vacans. De Albergis vero seu victualibus supradictis pro utilitate beneficiorum ipsarum parochialium ecclesiarum ac propter tenuitatem earundem sic duximus ordinandum, ut ipsarum onera minuantur, quod illi qui ipsas Albergas vel victualia facere vel solvere tenentur, ratione dictorum prestimoniorum ut prefertur unitorum post effectum ipsius unionis ad faciendum vel solvendum eas minime astringantur, illis tamen qui pro ipsis albergis certum quid iam solvere consueverunt, in suo statu solito permansuris. Statuimus insuper et etiam ordinamus quod huiusmodi statuta et ordinationes per nos ut premittitur auctoritate apostolica facta et edita que ordinationi et determinationi dicti domini nostri pape summittimus ad imperpetuum valeant et plenam obtineant roboris firmitatem nec contra ea seu eorum aliquod valeat a quoquam aliquid immutari seu innovari videlicet ut in alios usus fructus predictis converti valeant Romano pontifice inconsulto. Et ut perpetuo observentur illesa, nos omnes et singuli in presenti capitulo congregati inferius nominati omnia et singula supradicta tenere et inviolabiliter observare ac contra ea vel eorum aliquod non venire per nos vel alium seu alios ad sancta dei evangelia corporaliter tacta iuramus. Statuentes ut episcopus canonici et persone de capitulo in novitate sua antequam admittantur et etiam absentes cum ad huiusmodi ecclesiam accesserint teneantur ea se observaturos iurare. Et ad maiorem firmitatem inferius propriis manibus subscripsimus nos quotquot pro nunc sumus in dicta ecclesia residentes. In quorum omnium et singulorum predictorum testimonium huiusmodi statuta et ordinationes per notarium publicum infrascriptum iussimus in formam publici instrumenti redigi ac sigillorum nostrorum appensione muniri. Acta fuerunt hec infra dictam ecclesiam Gerundensem videlicet in thesauraria ubi capitulum solitum est teneri, die vicesima sexta mensis Augusti anno a nativitate domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo secundo,[53] presentibus et ad hoc vocatis pro testibus Raymundo de Aulma scriptore Gerundensi et Bernardo Segurii de Montepesullano clerico Magalonensis diócesis. Et nos Iacobus dei gratia episcopus Gerundensis propria manu subscribimus. Et ego Didacus de Eredia canonicus Gerundensis et abbas sancti Felicis propria manu subscribo. Ego Bertrandus de Monterotondo canonicus ecclesie Gerundensis

53. 26 d'agost de 1372.

FUNDACIÓ NOGUERA

et archidiaconus Bisulduni in dicta ecclesia propria manu subscribo. Et ego Bernardus de Brugarolis canonicus Gerundensis et archidiaconus de Silva propria manu subscribo. Ego Geraldus Patani canonicus Gerundensis propria manu subscribo. Ego Guil(e)lmus de Sancto Vincentio canonicus Gerundensis propria manu subscribo. Ego Bernardus de Campis canonicus Gerundensis manu propria subscribo. Ego Iacobus Alberti presbiter de capitulo Gerundensi manu propria subscribo. Ego Raymundus Alberti presbiter de capitulo Gerundensi manu propria subscribo. Ego Bernardus Oliva presbiter de capitulo Gerundensi manu propria subscribo. Ego Raymundus de Paracollis presbiter de capitulo Gerundensi manu propria subscribo. Ego Petrus de Montecurvo presbiter de capitulo Gerundensi propria manu subscribo. Ego Petrus Rubei presbiter de capitulo Gerundensi propria manu subscribo. Ego Petrus de Villana presbiter de capitulo Gerundensi propria manu subscribo. Ego Petrus de Ponte notarius publicus substitutus auctoritate regia a Iasperto de Campolongo publico Gerunde notario predictis statutis et ordinationibus iuramentorum prestationi et aliis omnibus et singulis suprascriptis dum sic ut prescribitur agerentur, una cum prescriptis testibus presens fui eaque omnia ad requisitionem dictorum dominorum episcopi et capituli in notam recepi et aliis occupatus negotiis per alium in hanc publicam formam scribi et redegi feci hicque in premissorum testimonium me subscripsi et clausi et constat michi de raso et emendato in linea XLVI ubi scribitur possessorias.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et suppletionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XVII Kalendas Novembris, pontificatus nostri anno Secundo.

1158

1372 novembre 23, Avinyó

Gregori XI concedeix al bisbe (Jaume de Trilla) i al capítol de Girona la llicència per disposar la manera de regular les pensions anuals, els rèdits i la distribució del fruits en la seva diòcesi.

A Girona, Arxiu Capitular, Pergamins, Plec 2, núm. 3.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.

FUNDACIÓ NOGUERA

GREGORIUS (XI) episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis capitulo Gerundensibus salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quem ad nos et Romanam geritis ecclesiam promeretur ut in hiis que vestras et ecclesie vestre Gerundensis oportunitates respiciunt nos reperiatis propicios et benignos. Sane dudum ex certis rationabilibus causis nonagintatria prestimonia capellanias nuncupata tunc expressa Gerundensis diocesis cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem nostri filii capitulum et predicte ecclesie Gerundensis mense auctoritate apostolica ex certa scientia incorporavimus annexuimus et perpetuo univimus et cum accepissemus quod collatio et dispositio beneficiorum et ecclesiarum in quibus dicta prestimonia consistebant ad obtinentes dicta prestimonia pertinebant voluimus ac vobis auctoritate apostolica concessimus, ut predicta auctoritate super huiusmodi collationibus et super modo distribuendi et dividendi distributiones de fructibus predictorum prestimoniorum sic unitorum et aliis circumstantiis universis premissa concernentibus inter vos equitate semper servata conveniretis et concordaretis disponeretis statueretis et etiam ordinaretis prout bono statui dicte ecclesie cognosceretis expedire. Et deinde pro parte vestra nobis exposito quod in premissis nonnulla salubria statueratis et etiam ordinaveratis, nos vestris supplicationibus inclinati, huiusmodi statuta et ordinationes per vos ut premittitur facta rata habentes et grata illa auctoritate apostolica ex certa sciencia confirmavimus, supplentes omnem defectum siquis forsan intervenisset in premissis prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, nonnulli huiusmodi prestimonia obtinentes prestimonia ipsa sub certis annuis pensionibus per vos annis singulis ad vitam ipsorum obtinencium dicta prestimonia dumtaxat persolvendis vel quamdiu ipsis obtinentibus prestimonia ius ea retinendi competeret, si illa non resignarent resignare velint vosque cum ipsis obtinentibus ipsa prestimonia super huiusmodi pensionibus, ut unio predicta cicius sorciatur effectum et ipsa prestimonia per vos capitulum utilius gubernentur, si resignare voluerint finare et concordare velitis, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum ut licenciam faciendi premissa vobis concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, paciscendi et componendi cum quibuscumque predicta prestimonia obtinentibus et ea resignare volentibus super predictis prestimoniis que resignabunt et eorum singulis sic resignantibus pensiones annuas promittendi et annis singulis persolvendi ac eis qui sic resignabunt pensiones ipsas licite recipiendi et eciam retinendi, et insuper si super aliquo vel aliquibus ex dictis prestimoniis duo vel plures etiam in Romana curia fuerint litigantes

FUNDACIÓ NOGUERA

et dubitetur quis eorum ius habeat sive possederint sive non si iuri suo renunciare voluerint ut cessent huiusmodi litigia etiam paciscendi et componendi cum sic litigantibus ac inter eos pensionem seu pensiones pro huiusmodi prestimonio vel prestimoniis licite dividendi ac eosdem exinde concordandi prout vobis visum fuerit expedire ipsisque litigantibus pensiones ipsas recipiendi et licite retinendi constitutionibus apostolicis necnon statutis et consuetudinibus eiusdem ecclesie contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque, auctoritate predicta vobis tenore presentium licenciam concedimus de gracia speciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, VIIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno Secundo.

1159

1373 agost 14, Vilanova d'Avinyó

Gregori XI confirma a l'abadessa i al convent del monestir de Santa Clara d'Oristany a l'illa de Sardenya l'escriptura de venda de la vila de Molins de Rei del Llobregat, diòcesi de Barcelona, propietat d'aquest convent, feta a la reina Elionor de Sicília per la quantitat de setanta mil escuts barcelonesos, que foren entregats pel seu tresorer reial, Berenguer de Relat, ciutadà de Barcelona. Amb aquesta quantitat, Bernat Oliver i Ramon de Tous, ciutadans de Barcelona, procuradors del convent, compraren un censal mort, de cinc mil sous anuals, als ciutadans i jurats d'aquesta ciutat. La suma fou dipositada a la taula de canvi de Berenguer Bertrán, de la mateixa ciutat, en lloc de fer-ho a la cúria romana, administradora nata de totes les rendes eclesiàstiques. Per aquest motiu, una comissió de cardenals nomenats per ell anul·là la venda fins que la quantitat fos dipositada a la taula de canvi d'Andreu Tici de Pistoia, canvista de la cúria eclesiàstica d'Avinyó.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 10.
a Existeix fil de seda. Butlla perduda.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 353-354, doc. 719.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 418, doc. 6283.

GREGORIUS (XI) EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Hiis que pro ecclesiarum et monasteriorum ac personarum

FUNDACIÓ NOGUERA

eorundem et presertim sub regulari habitu vacantium studio pie vite utilitatibus provide acta sunt, ut illibata consistant libenter adiicimus apostolici muniminis firmitatem. Dudum siquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum .. abbatisse et conventus monasterii sancte Clare Alborensis ordinis eiusdem sancte in insula Sardinie consistentis felicis recordationis Urbano pape V predecessori nostro exposito, quod olim dicte abbatisse et conventus attento quod villa Molendinorum regalium Luppricati Barchinonensis diocesis ad prefatas abbatissam et conventum ac earum monasterium iusto titulo pertinens ob localem distantiam ab eodem et magna expensarum onera, que ipsas oportebat propter villam eandem subire necnon quia occasione ipsius ville seu iurium et pertinentiarum eiusdem frequenter ad remota iudicia trahebantur et quod tam predictis quam aliis incumbentibus dictis abbatisse et conventui occasione ipsius ville deductis oneribus ipsius ville possessio abbatisse et conventui supradictis utilitatis seu emolumenti modicum afferebat illudque ad eas absque magna difficultate non poterat pervenire et quod pro eiusdem ville precio bona infra dictam insulam consistentia eis magis proficua possent acquirere tractatu inter se super hoc prehabito diligenti, villam ipsam cum omnibus iuribus et pertinentiis suis carissime in Christo filie nostre Elienori regine Aragonum illustri carissimi in Christo filii nostri Petri regis Aragonum illustris eiusdem regine consortis super hoc interveniente consensu pro precio septuaginta milium solidorum Barchinonensium vendiderant et in francum et liberum allodium concesserant et etiam transtulerant auctoritate sedis apostolice semper salva et nonnullis aliis conditionibus interiectis ac eidem predecessori humiliter supplicato, ut huiusmodi venditionis et emptionis contractum robur confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaretur, prefatus predecessor venerabili fratri nostro .. episcopo Barchinonensi suis dedit litteris in mandatis, ut de dicte ville ac iurium et pertinentiarum eiusdem valore et etiam de precio in dicto contractu apposito, si esset iustum et si dicta regina se non intromitteret de emptione prefata maius precium posset ab aliis inveniri, necnon de circumstantiis universis, ex quorum indagine apparere valeret, utrum dicto monasterio expediret vel utilis esset contractus supradictus, et etiam de modo quo dictum precium in eventum apostolice confirmationis dicti contractus posset in maiorem utilitatem ipsius monasterii deputari per solertem inquisitionem se diligenter informaret et quicquid per inquisitionem et reformationem huiusmodi reperiret eidem Urbano predecessori per suas litteras referre curaret et deinde idem episcopus super hiis informatione recepta relationem suam ad sedem apostolicam transmisit. Nosque qui dicto predecessore sicut domino placuit ab hac luce subtracto divina dis-

FUNDACIÓ NOGUERA

ponente clementia ad apicem fuimus summi apostolatus assumpti, relationem ipsam per venerabilem fratrem nostrum Egidium episcopum Tusculanum examinari fecimus diligenter, qui quidem Egidius episcopus nobis retulit quod huiusmodi venditio utilis et expediens erat abbatisse et conventui ac monasterio supradictis. Nos huiusmodi supplicationibus dictarum abbatisse et conventus in ea parte favorabiliter annuentes ac venditionem et emptionem predictas que in instrumento publico super hoc confecto plenius continentur cuius instrumenti tenorem de verbo ad verbum in aliis nostris litteris inseri fecimus, ratas habentes et gratas eas auctoritate apostolica ex certa scientia confirmavimus et scripti dictarum aliarum nostrarum litterarum patrocinio communivimus, supplentes omnem defectum siquis forsan intervenisset in premissis, prout in eisdem aliis nostris litteris plenius continetur. Postmodum vero ad nostri noticiam fidedigna relatione deducto, quod licet prefata regina dilectis filiis Bernardo Oliverii et Raymundo de Thous civibus Barchinonensibus procuratoribus dictarum abbatisse et conventus precium seu pecuniam precii ville predicte persolvisset, tamen de solutione dicti precii non fuerat legitime liberata et quod precium ipsum seu ipsius precii pecunia per eosdem procuratores dilectis filiis universitati consiliariis probis viris et clavario civitatis Barchinonensis in et pro emptione responsionis annue sue censualis mortui quinque milium solidorum Barchinonensium ipsi abbatisse et conventui annis singulis certis modis persolvende traditum seu tradita extiterat minus utiliter quam deceret. Nos tam regine et dilecto filio Berengario de Relato civi Barchinonensi dicte regine thesaurario, in quem dominium dicte ville per dictam reginam ut asseritur fuit translatum ac universitati consiliariis probis viris et claverio ac Bernardo et Raymundo de liberatione oportuna, quam abbatisse conventui et monasterio predictis de commodiori utilitate providere volentes iandicto Egidio Tusculano et venerabili fratri nostro Iohanni Sabinensi episcopis commisimus oraculo vive vocis, ut quamprimum precium predictum seu pecunia ipsius precii in Romana curia foret integre consignatum seu consignata ad opus et in utilitatem earundem abbatisse conventus et monasterii iuxta ordinationem et dispositionem nostram convertendum seu convertenda ipsi episcopi commissarii nostri auctoritate apostolica et dictarum abbatisse et conventus nomine et vice reginam et Berengarium in quem dicta villa ut premittitur est translata ac universitatem consiliarios probos viros et clavarium necnon Bernardum et Raymundum superius nominatos et omnes alios quorum interesset de dicto precio et pecunia ipsius precii quitarent et solenniter liberarent et omnia instrumenta obligationes et scripturas occasione huiusmodi emptionis censualis mortui facta revocarent irritarent et

FUNDACIÓ NOGUERA

iuribus vacuarent ac etiam quitationem et liberationem ac revocationem et irritationem quancumque per procuratorem ipsarum abbatisse et conventus de precio instrumentis obligationibus et scripturis predictis factam ratificaret auctoritate predicta approbarent et etiam confirmarent. Et subsequenter in eorundem commissariorum presentia dilectus filius Michael Palatii civis Barchinonensis cognito quod prefati commissarii emptionem predicti censualis mortui auctoritate apostolica eis in hac parte concessa irritaverant et iuribus vacuaverant ipsius precii maiorem partem vice et nomine dicte regine ac Berengarii de Relato eius thesaurarii in quem dicta villa fuit ut premittitur translata ac universitatis consiliariorum proborum virorum ac clavarii universitatis civitatis Barchinonensis penes quos occasione dicte emptionis censualis mortui dicta pecunia devenerat, que post revocationem predictam dicte emptionis pretextu solutionis huiusmodi faciende fuit ab ipsis recuperata necnon Bernardi et Raymundi predictorum solvit et realiter numerando tradidit dilecto filio Iohanni de Serra notario civi Arestani procuratori et yconomo abbatisse et conventus predictarum ab eis solenniter et legitime constituto, qui eodem instanti de mandato et voluntate dictorum commissariorum ac in eorum presentia dictam ipsius precii maiorem partem penes dilectum filium Andream Ticii de Pistorio campsorem curiam Romanam sequentem deposuit in utilitatem ipsarum abbatisse et conventus iuxta ordinationem nostram predictam convertenda ac in ipsorum commissariorum presentia idem Iohannes de Serra procurator et yconomus predictus dictarum abbatisse et conventus vice et nomine regine et Berengario ac universitati consiliariis probis viris et clavario civitatis Barchinonensis necnon Bernardo et Raymundo predictis, quatenus uniuscuiusque interesset de precio predicto et pecunia ipsius precii fecit finem et pactum de ulterius non petendo quibusdam reservationibus et retentionibus per prefatum procuratorem quo supra nomine factis dictique commissarii solutionem et depositum finem et pactum ac reservationes et retentiones huiusmodi et omnia in instrumento publico inde confecto contenta auctoritate apostolica eis in hac parte concessa laudarunt approbarunt et etiam confirmarunt prout in dicto instrumento plenius continetur. Cum autem nuper pro parte regine et Berengarii ac universitatis consiliariorum proborum virorum et clavarii necnon Bernardi et Raymundi predictorum nobis fuerit humiliter supplicatum ut huiusmodi solutionis et depositi finis et pacti ac retentionis et reservationis contractui robur confirmationis adiicere dignaremur, nos huiusmodi supplicationibus inclinati solutionem et depositum finem et pactum predicta et omnia alia et singula que in dicto instrumento publico plenius continentur, cuius instrumenti tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, rata

FUNDACIÓ NOGUERA

habentes et grata ipsa ex certa scientia auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnem defectum siquis forsan intervenerit in premissis. Tenor autem dicti instrumenti talis est:

In nomine domini amen. Noverint universi quod die Veneris que fuit prima dies Iulii anno a nativitate domini Millesimo trecentesimo septuagesimo tercio, indictione undecima et pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Gregorii divina providentia pape XI anno Tertio,[54] in presentia mei notarii publici et testium infrascriptorum ad hec specialiter vocatorum et rogatorum venerabilis Iohannes de Serra notarius civis Arestani insule Sardinie procurator et yconomus ad hec specialiter una cum reverendo in Christo patre domino Raynerio dei gratia episcopo Bosano et insolidum constitutus a religiosa domina sorore Benedicta de Serra abbatissa monasterii sancte Clare dicte civitatis Arestani diocesis Arborensis, presentibus volentibus et consentientibus infrascriptis monialibus conventus predicti monasterii ad hec specialiter et capitulariter in capitulo dicti monasterii ad sonum campane more solito congregatis, videlicet sorore Lucia Verati, sorore Nicholucia Michaelis, sorore Catherina Doria, sorore Paula [Vici], sorore Benedicta de Ligia, sorore Iustina de Quercu, sorore Maria Ma[ras] necnon et ab ipsis monialibus que regulariter professe dicuntur et que faciunt totum capitulum dicti monasterii et conventus cum voluntate consensu et auctoritate dicte earum abbatisse prout de predicta procuratione et yconomatu plene constat per instrumentum publicum inde factum Arestani in capitulo dicti monasterii in posse donati manus quondam G(omitis) de Callaro et nunc habitatoris dicte civitatis Arestani auctoritate serenissimi domini regis Aragonum per totum Sardinie et Corsice regnum notarii publici ac domini iudicis de Arboree scribe die tercia decima Iulii anno dominice incarnationis Millesimo trecentesimo septuagesimo, indictione decima, nomine predicto et vigore dicti procuratoris instrumenti, in quo ad infrascripta et alia peragenda per dictas constituciones est sibi data plena potestas, ut ex ipsius lectione et tenore michi dicto notario plene constitit atque constat, in presentia de et cum voluntate et assensu reverendissimorum in Christo patrum et dominorum dominorum Egidii Tusculani et Iohannis Sabinensis episcoporum sancte Romane ecclesie cardinalium commissariorum ad hec per sanctissimum in Christo patrem et dominum Gregorium divina providentia papam XI vive vocis oraculo, ut ipsi dixerunt specialiter deputatorum, attendens venerabiles Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous

54. 1 de juliol de 1373.

FUNDACIÓ NOGUERA

cives Barchinonenses et procuratores actores et yconomos abbatisse monialium et conventus dicti monasterii sancte Clare dudum vendidisse precio septuaginta millium solidorum monete Barchinonensis de [Torno] serenissime domine Alienori regine Aragonum et suis et quibus ipsa vellet perpetuo villam Molendinorum regalium Luppricati cum universis iuribus et pertinentiis suis sitam in Riparia fluvii de Luppricato in diocesi Barchinonensi que tunc erat abbatisse et monialium predictarum et dicti earum monasterii, de qua venditione factum extitit publicum instrumentum in posse Guill(erm)i de Muntinay notarii publici Barchinonensis sextadecima die Februarii anno a nativitate domini M°CCC° Sexagesimo sexto[55] ipsamque dominam reginam predictum precium septuaginta millium solidorum solvisse dictis Bernardo Oliverii et Raymundo de Thous nomine prelibato hoc modo, videlicet numerando duos millium quadringentium solididorum quos ut asseritur recepit dictus Raymundus de Thous, et de residuis sexaginta septem millium sexcentorum solidorum fuisse pro parte dicte domine regine dictis procuratoribus dictam villam vendentibus et abbatisse dicti monasterii factam ditam in tabula cambii venerabilis Berengarii Bertrandi tunc campsoris Barchinonensis iuxta condita in dicto venditionis contractu seu in capitulis super eo initis, tradendis per ipsum campsorem dictis Bernardo Oliverii et Raymundo de Thous nomine predicto seu abbatisse et monialibus dicti monasterii vel cui vellent in civitate Narbonensi vel in Montepessulano, statim cum sanctissimus dominus noster papa contractum venditionis et emptionis ville prefate laudasset et approbasset et eidem robur confirmationis prebuisset et quedam alia super complemento ipsius contractus pro parte abbatisse et monialium predictarum facta fuissent, de quo quidem precio modo predicto per dictam dominam reginam soluto dicti Bernardus Oliverii et Raymundus de Thous nomine quo supra fecerint apocha de soluto dicte domine regine seu venerabili Berengario de Relato consiliario et thesaurario quo in posse dicti Guill(erm)i de Muntinay notarii die et anno predictis, quibus dictum instrumentum venditionis extitit confectum, attendens inquam reverendissimum in Christo patrem et dominum dominum Guidonem Portuensem episcopum sancte Romane ecclesie cardinalem sedis apostolice legatum in Yspania dudum ipso existente in civitate Barchinonensi auctoritate dicte legationis predictum venditionis et emptionis contractum de villa cum sua carta pergamenea suo sigillo pendente roborata laudasse et approbasse et eidem robur confirmationis prestitisse et etiam subsequenter prout asserebatur pro et nomine monasterii sancte Clare de

55. 16 de febrer de 1366.

FUNDACIÓ NOGUERA

Arestani prelibati et eius abbatisse et monialium dictos Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous convertisse predictos septuaginta millium solidorum precii dicte ville in emptionem quinque millium solidorum de censuali mortuo seu censual[..] mort[..] vulgariter nuncupato ad opus abbatisse et monialium predictarum super universitatem civitatis Barchinonensis prestandorum annuatim per ipsam universitatem certis terminis abbatisse et monialibus predictis vel quibus vellent earum nomine intus monasterium fratrum Minorum Barchinonense prout de dicta emptione dicitur fuisse factum publicum instrumentum in posse dicti Guill(erm)i de Muntinay notarii quinta die Iulii anno a nativitate domini M°CCC°LXXII°,[56] qui siquidem septuaginta millium solidorum qui conversi fuerunt in emptionem dicti censualis mortui habiti fuerunt hoc modo videlicet sexaginta septem millium sexcenti solidorum a dicto Berengario Bertrandi, in cuius posse depositi fuerant ut est dictum et in cuius posse steterant usque tunc quo conversi fuerunt emptionem dicti censualis mortui et residuos duos millium quadringentos solidos ad complementum dictorum septuaginta mille solidorum dictus venerabilis Berengarius de Relato bistraxit seu mutuavit, qui eos recuperare debebat de prima solutione fienda de predictis quinque mille solidis de censuali mortuo ut hoc constare dicitur per instrumentum ipsius venerabilis Berengarii de Relato factum per dictos Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous in posse Guill(erm)i de Muntinay notarii predicti XXIIII die Iulii anno proxime scripto, quos recuperare non potuit de dicta solutione dicti censualis mortui pro eo quod dicta universitas Barchinonensis seu eius venerabiles consiliarii asserunt ut fertur se ad solutionem ipsius censualis mortui non teneri propter annullationem contractus eiusdem infrascriptam nec etiam eos potuit recuperare a dictis Bernardo Oliverii et Raymundo de Thous, qui dixerunt se ut dicitur eos expendidisse occasione venditionis dicte ville et negotiorum abbatisse et monialium predictarum, sed recuperat fuerunt per aliam viam ut inferius continetur. Attendens insuper prefatos dominos Egidium et Iohannem cardinales et comissarios a dicto domino nostro papa ad hoc vive vocis oraculo specialiter deputatos cum eorum littera pergamenea suis sigillis pendentibus in membranis pergamenis sigillata. Dat. Avinione in hospitio habitationis dicti domini Egidii cardinalis et comissarii anno a nativitate domini M°CCC°LXXIII° die nonadecima mensis Aprilis, pontificatus dicti domini Gregorii pape XI anno Tercio.[57]

56. 5 de juliol de 1372.
57. 19 d'abril de 1373.

FUNDACIÓ NOGUERA

Predictam emptionem factam a dicta universitate Barchinonensi de dictis quinque millibus solidis de censuali mortuo et quicquid ex ea secutum est seu sequi posset imposterum tanquam non factam de voluntate et assensu dicti domini pape nec abbatisse et monialium predictarum seu ab eis potestatem aliquam habentis ex comissione et mandato ipsius domini pape vive vocis oraculo eis facto cassasse anullasse irritasse et viribus vacuasse et cassam irritam nullam invalidam inefficacem et viribus vacuam cum omnibus inde secutis cum dicta eorum littera decrevisse et declarasse, dictusque dominus papa venditionem predictam dicte ville cum littera apostolica in pergameno scripta ac vera bulla plumbea ipsius domini pape in filis sericis rubei croceique coloris more Romane curie in pendente bullata data apud Villamnovam Avinionensis diocesis VII kalendas Octobris, pontificatus ipsius domini pape anno Primo laudaverit approbaverit et confirmaverit et eidem robur confirmationis prestiterit, que littera steterat et remanserat in posse dicti domini Egidii cardinalis predicti ex eo quod solutio precii dicte ville realiter et de facto prefatis monialibus facta non fuerat, et donec eis realiter ipsa solutio esset facta, idcirco prefatus venerabilis Iohannes de Serra procurator et yconomus predictus tenore presentis publici instrumenti vicem in hac parte epistole gerentis vigore dicte procurationis et nomine abbatisse et monialium predictarum confessus fuit et recognovit dicte serenissime domine Alienori regine Aragonum et dicto venerabili Berengario de Relato eius consiliario et thesaurario, in quem dicta domina regina dictam villam Molendinorum regalium cum suis iuribus universis ut dicitur transportavit necnon et honorabilibus consiliariis et consilio ac probis hominibus dicte civitatis Barchinonensis et universitati ac clavario eiusdem civitatis et dictis Bernardo Oliverii et Raymundo de Thous scilicet cuilibet eorum quatenus sua intersit quod predicti septuaginta millium solidi precii dicte ville qui conversi fuerant ut est dictum per dictos Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous procuratores et yconomos abbatisse et monialium predictarum in emptionem quinque millium solidorum de censuali mortuo super dicta universitate Barchinonensi inclusis in eis dictis duobus millium quadringentis solidis bistractis seu mutuatis per dictum venerabilem Berengarium de Relato fuerunt restituti habiti et recuperati ab ipsa universitate Barchinonensi et eius venerabilibus consiliariis et clavario et de eisdem septuaginta mille solidis qui fuerunt precium dicte ville, fuerunt dicto (Sr) Iohanni procuratori et yconomo per venerabilem Michaelem Palacii civem Barchinonensem de domo dicte domine regine nomine et pro parte ipsius domine regine et dicti venerabilis Berengarii de Relato de voluntate dictorum dominorum cardinalium et comissariorum in hac parte dicti domini pape soluti et numeran-

FUNDACIÓ NOGUERA

do traditi realiter et de facto Avinione in presentia dictorum dominorum cardinalium meique notarii et testium infrascriptorum in domo habitationis dicti domini Egidii cardinalis personaliter existentium sexagintaseptem mille sexcentum solidos Barchinonenses de torno in florenis de Camera qui dictis monialibus restabant de precio dicte ville, qui quidem procurator yconononomus de voluntate et mandato dictorum dominorum cardinalium et comissariorum eosdem sexaginta septem mille sexcentum solidos in dictis florenis de Camera deposuit eodem instanti in posse Andree Ticii de Pistorio campsoris Avinionensis convertendos in redditibus et utilitatibus monasterii abbatisse et monialium predictarum ad cognitionem et de voluntate dicti domini pape seu dominorum cardinalium predictorum. Residui vero duo mille quadringenti solidos dicte monete ad complementum predictorum septuaginta mille solidorum fuerunt restituti dicto venerabili Berengario de Relato qui eos bistraxerat seu mutuaverat de suo in emptione dicti censualis mortui ut prefertur. Et ideo prefatus procurator et yconomus nomine abbatisse et monialium predictarum renunciando exceptioni pecunie non numerate et non solute ut est dictum et predictorum sexaginta septem mille sexcentorum solidorum per eos penes dictum Andream Ticii de Pistorio non depositorum ut convertantur in redditibus et utilitatibus dicti monasterii ad dispositionem et de voluntate dicti domini pape seu dominorum cardinalium et comissariorum predictorum et doli mali et actioni in factum et omni alii iuri rationi et consuetudini contra hoc repugnantibus fecit in presentia ipsorum dominorum cardinalium et comissariorum et de eorum voluntate et assensu dicte domine regine et suis et dicto venerabili Berengario de Relato et suis successoribus in dicta villa et dicte universitate civitatis Barchinonensis et venerabilibus consiliariis et probis hominibus et clavario ipsius presentibus et futuris et dictis etiam Bernardo Oliverii et Raymundo de Thous licet absentibus et dicto Michaeli Palacii eorum nomine presenti, scilicet cuilibet eorum quatinus sua intersit necnon et michi notario predicto nomine personarum predictarum et cuiuslibet earum recipienti paciscenti et stipulanti de predictis septuaginta mille solidis precii dicte ville Molendinorum regalium et qui ut est dictum fuerunt conversi per dictos Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous procuratores et yconomos abbatisse et monialium predictarum in ipsam emptionem predictorum quinque mille solidorum de censuali mortuo super dicta universitate civitatis Barchinonensis annullatam et cassatam ut prefertur et qui ab ipsa universitate fuerunt habiti et recuperati ut est dictum, bonum et perpetuum finem et pactum de ulterius non petendo et de non agendo in posse mei notarii predicti solenni stipulatione vallatum sibique procuratori et abbatisse ac monialibus pre-

FUNDACIÓ NOGUERA

dictis super predictis omnibus et singulis tenoribus huius presentis instrumenti silentium sempiternum imposuit, salvo et excepto quod dictus Iohannes procurator dictarum abbatisse et monialium et conventus dicti monasterii procuratorio nomine quo supra reservavit et retinuit ac reservat et retinet dictis abbatisse et monialibus actiones et iura que et quas eisdem abbatisse et monialibus et earum conventui competunt et competere possunt quomodolibet contra dictos venerabiles Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous et eorum quemlibet et ipsorum heredes et bona quo ad dictos duos mille et quadringentos solidos Barchinonenses per eos vel alterum eorum receptos de precio dicte ville et alias etiam de omnibus et singulis dampnis expensibus missionibus et interesse, si quas et si que dicta abbatissa moniales et conventus sustinuerint et passe sunt tam culpa et occasione dictorum Bernardi Oliverii et Raymundi de Thous earum procuratorum, et salvo etiam et excepto quod dictus procurator nomine quo supra reservavit et reservat ac retinuit et retinet eisdem abbatisse et monialibus sancte Clare actiones et iura si quas et que de iure eis competunt et competere possunt quomodolibet contra universitatem consiliarios clavarium et probos homines dicte civitatis Barchinonensis pro interesse earum ratione retentionis dictorum septuaginta mille solidorum pro eo tempore quo dicta universitas clavarius consiliarii et probi homines civitatis Barchinonensis ipsam pecuniam detinuerunt usque ad diem irritationis et anullationis contractus pretense emptionis dicti censualis mortui seu pro emolumento quod ex eisdem septuaginta mille solidis provenit et provenire potuit dicto tempore, que iura et actiones siquas et sique de iure sibi competunt nomine suprascripto sibi reservavit et reservat et non intendit ipsa venire in presenti quitantia seu liberatione quibus quidem iuribus et actionibus dicta abbatissa et moniales seu legitima persona pro eis uti et petere possint contra dictam universitatem consiliarios et probos homines et clavarium ipsius civitatis Barchinonensis necnon contra dictos Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous prout eisdem abbatisse et monialibus videbitur. Et nichilominus prefatus procurator et yconomus abbatisse et monialium predictarum de dictorum dominorum cardinalium et commissariorum voluntate et assensu predictum contractum venditionis et emptionis dicti censualis mortui et omnia et singula instrumenta super eo facta et secuta et scripturam tercii de eo factam et scriptam in registro curie vicarii Barchinonensis cancellari irritari et anullari et pro cancellatis irritis et nullis penitus haberi voluit et consensit tenorem huius publici instrumenti vicem epistole gerentis, ita quod ullo nunquam tempore abbatisse et moniales predicti monasterii eis vel aliquo eorum nullatenus possint uti nec sibi nullatenus prodesse nec in aliquo dicte

FUNDACIÓ NOGUERA

universitati Barchinonensi vel consiliariis et probis hominibus eiusdem presentibus seu futuris obesse, nisi in quantum concernunt et concernere possunt iura et actiones per dictum Iohannem procuratorem supra retentas et retenta dictis abbatisse et monialibus pro dicto earum interesse, siquod eis competit et competere potest de iure contra dictam universitatem consiliarios clavarium et probos homines dicte civitatis Barchinonensis ut prefertur que instrumenta et scripturas voluit idem procurator quo ad hoc in suo robore permanere, prefati quoque domini Tusculanus et Sabinensis episcopi cardinales et comissarii predicti ad hoc oraculo vive vocis per dictum dominum nostrum papam ut asserebant spetialiter deputati, ut de huiusmodi commissione constitit et constat quodam instrumento publico manu mei notarii et scribe predicti recepto subscripto et signato, cuius tenor inferius est insertus, predicta omnia et singula in presentia et posse mei notarii et testium infrascriptorum tanquam gesta et facta de eorum voluntate et assensu auctoritate apostolica laudarunt approbarunt et confirmarunt et eisdem eorum assensum prebuerunt eaque tenere et valere omni tempore voluerunt. Et nichilominus eadem auctoritate eis in hac parte ut prefertur commissa et tenore presentis publici instrumenti vicem epistole gerentis predictum contractum venditionis et emptionis censualis mortui et omnes obligationes et instrumenta litteras et scripturas quecunque et quascunque super eo et ipsius vigore facta et secuta ac factas et secutas et scripturam seu obligationem tercii de eo factam et scriptam in Regestro Curie vicarii Barchinonensis salvis in omnibus et per omnia dictis abbatisse et monialibus predictis retentionibus et exceptionibus per magistrum Iohannem earum procuratorem factis cancellarunt irritarunt et anullarunt et pro cancellatis irritis atque nullis haberi voluerunt et mandaverunt. Et etiam auctoritate apostolica supradicta tam dictam serenissimam dominam reginam et dictum venerabilem Berengarium de Relato eius thesaurarium et nomine suo proprio in quem dicta villa cum eius dominio extitit per dictam dominam reginam sic ut prefertur translata, quam dictam universitatem dicte civitatis Barchinonensis et eius consiliarios et probos homines quam etiam prenominatos Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous et alias personas quarum interest et intererit quomodolibet infuturum quitaverunt liberaverunt et perpetuo penitus absolverunt vice et nomine dictarum abbatisse et monialium ipsiusque et earum quamlibet et omnes alios quorum interest auctoritate predicta voluerunt fore perpetuo quitos liberatos et penitus absolutos de et super predictis omnibus et singulis, ita quod eis vel alicui seu aliquibus eorum seu bonis ipsorum de vel pro premissis vel aliquo premissorum vel eorum occasione

FUNDACIÓ NOGUERA

nunquam possit fieri moveri seu intemptari per dictum monasterium vel eius abbatissam et moniales vel alium quempiam in iudicio vel extra aliqua actio petitio seu demanda quibus super predictis silentium perpetuum imposuerunt. Salva tamen remanente dictis abbatisse et monialibus actione pro predictis duobus mille quadringentis solidis ac dampnis expensibus et interesse predictis, ut est dictum, contra dictos Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous et eorum quemlibet, et salvo et retento etiam dictis abbatisse et monialibus quod possint petere et exigere a dicta civitate Barchinonensi vel eius venerabilibus consiliariis et probis viris ac eorum clavario ius et interesse siquod eis competit ratione detentoris predicte pecunie septuaginta mille solidos pro toto tempore quo ipsam detinuerunt seu totum emolumentum quod ex dicta pecunia provenit et provenire potuit dicto tempore usque ad diem anullationis et irritationis contractus dicti censualis mortui, super quibus et eorum singulis ius et actiones eisdem abbatisse et monialibus dicta auctoritate apostolica reservarunt, quibus omnibus consensit prefatus procurator et yconomus predictarum abbatisse et monialium. In quorum omnium testimonium evidens et ad cautelam etiam firmiorem voluerunt et iusserunt tam dicti domini cardinales et comissarii in hac parte dicti domini pape quam etiam dictus procurator et yconomus abbatisse et monialium predictarum fieri de predictis ad eternam rei memoriam tria publica consimilia instrumenta, videlicet unum prefate domine regine et dicto Berengario de Relato in eius locum succedenti et aliud dicte universitati dicte civitatis Barchinonensis et eius consiliaribus suo nomine et aliud dictis Bernardo Oliverii et Raymundo de Thous per me notarium infrascriptum. Acta fuerunt hec Avinione in hospitio habitationis prefati reverendissimi patris domini Egidii cardinalis presentibus reverendo in Christo patre domino Raynerio episcopo Bosano ac venerabili patre domino Petro abbate monasterii Omnium sanctorum Cathalaunensis ac venerabili et circumspecto viro domino Bernardo de Olivis archidiacono Ilerdensi et procuratore illustris domini regis Aragonum in Romana curia necnon nobili viro domino Raymundo Alamanni de Servilione milite gubernatore regni Valentie pro dicto domino rege Aragonum et magistro Martino Iohannis de Florencia notario publico et pluribus aliis testibus ad premissa vocatis. Tenor vero instrumenti super commissione dictis dominis cardinalibus auctoritate apostolica facta per me notarium infrascriptum recepti de quo superius est facta mentio talis est:

In nomine domini amen. Noverint universi quod anno a nativitate eiusdem M°CCC°LXX°III°, indictione undecima, die dominica Vicesima

FUNDACIÓ NOGUERA

sexta mensis Iunii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Gregorii divina providentia pape XI anno Tercio,[58] in presentia mei notarii publici et testium subscriptorum reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Egidius miseratione divina episcopus Tusculanus sancte Romane ecclesie cardinalis dixit et asseruit quod prefatus dominus noster papa die Iovis proxime preterita, que fuit Vicesima tercia dicti mensis Iunii, ipsi domino cardinali et reverendissimo in Christo patri et domino domino Iohanni dei gratia episcopo Sabinensi sancte Romane ecclesie cardinali commiserat et mandaverat facultatemque dederat oraculo vive vocis quod ipsi serenissimam dominam Alienorem reginam Aragonum et venerabilem virum Berengarium de Relato eius thesaurarium necnon universitatem civitatis Barchinonensis eius consiliarium probos homines et clavarium dicte civitatis necnon Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous et personas alias quascunque quorum interest seu potest et poterit quomodolibet interesse, auctoritate apostolica vice et nomine religiosarum mulierum abbatisse monialium et conventus monasterii sancte Clare de Arestani diocesis Arborensis quitare liberare et absolvere penitus et perpetuo ac quitationis et absolutionis litteras apodixas apochas et instrumenta facere et dare possent de summa pecunie septuaginta mille solidos Barchinonenses de torno debitorum eisdem abbatisse monialibus et conventui pro precio ville seu loci Molendinorum regalium Luppricati diocesis Barchinonensis quamprimum huiusmodi pecunie summa tradita assignata et soluta esset integraliter procuratori abbatisse monialium et conventus predictorum per predictos seu eorum nomine in civitate Avinionensi et huiusmodi pecunie quantitatem sic solutam per dictum procuratorem deponi facere penes aliquem mercatorem in dicta civitate Avinionensi usque ad beneplacitum domini nostri pape predicti seu ipsorum dominorum cardinalium in emptionem reddituum pro ipsis abbatissa et conventu et earum monasterio iuxta ordinationem et voluntatem ipsius domini nostri pape vel eorundem dominorum cardinalium convertendam necnon quitantias per procuratorem dictarum abbatisse monialium et conventus de prefata pecunie quantitate septuaginta mille solidorum supradictorum fiendas auctoritate apostolica laudare approbare et confirmare omniaque et singula obligationum et summissionum litteras instrumenta et scripturas quascunque occasione dicte pecunie facta et factas et quibus supranominati erant et sunt quomodolibet obligati cassare et anullare valerent et dictis abbatisse

58. 26 de juny de 1373.

FUNDACIÓ NOGUERA

et monialibus silentium perpetuum imponere. Et omnia et singula alia facere que in premissis et circa premissa et eorum quodlibet et ab eis dependentia emergentia seu connexa necessaria fuerint et etiam oportuna, mandans nichilominus et committens prefatus dominus cardinalis michi notario et scribe suo subscripto, quatinus tam huiusmodi commissionem quam omnia et singula que ipsius vigore inter supradictos dominam reginam, Berengarium de Relato, universitatem Barchinonensem consiliarios probos homines clavarium Bernardum Oliverii et Raymundum de Thous et alios quorum interest ex parte una et abbatissam moniales et conventum de et super premissis et eorum occasione ex parte altera conscribenda et actitari contigerit in actis meis fideliter scriberem et [not..] et cum expediens foret in publica redigerem seu redegi facerem documenta, partibusque copiam inde petentibus tum eis per dictos dominos cardinales decreta foret facerem et traderem de eisdem. Acta fuerunt hec Avinione in hospitio habitationis dicti domini cardinalis, presentibus venerabilibus viris domino Guillermo Grenlau archidiacono Glasguensi et magistro Iohanne Guenioti dicti domini nostri pape scriptore testibus ad premissa vocatis. Et ego Iohannes Estatis de Sanctipetrimonte clericus Remensis diocesis publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius prefatique reverendi in Christo patris domini Egidii cardinalis commissarii scriba premissis omnibus et singulis dum ut prefertur agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui eaque de ipsius domini cardinalis mandato in nota recepi et publicavi et in hanc publicam formam redegi aliisque negotiis occupatus per alium scribi feci, hic me subscripsi et signum meum consuetum apposui in fidem et testimonium premissorum. Et ego Iohannes Estatis de Sanctipetrimonte clericus Remensis diocesis publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius predictus recognitioni solutioni traditioni numerationi depositioni quitationi liberationi renunciationi actionum retentioni et reservationi instrumentorum litterarum et scripturarum tercii cancellationi et anullationi ac irritationi laudationi approbationi et confirmationi omnibusque aliis et singulis premissis, dum ut prefertur, agerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens interfui eaque in nota recepi et publicavi et in hanc publicam formam redegi aliisque negotiis occupatus de mandato dictorum dominorum cardinalium commissariorum per alium scribi feci, hic me subscripsi et signum meum consuetum apposui per dictum Michaelem Palatii in fidem et testimonium premissorum specialiter requisitus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et suppletionis infringere vel ei ausu temerario contraire.

FUNDACIÓ NOGUERA

Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, XVIIII Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Tercio.

1160

1373 setembre 23, Vilanova d'Avinyó

Gregori XI concedeix al bisbe (Jaume de Trilla) i al capítol de Girona les unions, annexions i incorporacions fetes sobre les noranta-tres capellanies de la seva diòcesi.

A Girona, Arxiu Capitular, Pergamins, Plec 2, núm. 4.
a Butlla amb fil de seda.

GREGORIUS XI episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri episcopo et dilectis filiis capitulo Gerundensibus salutem et apostolicam benedictionem. Vestre devotionis sinceritas quam ad nos et Romanam geritis ecclesiam promeretur ut in hiis que digne possunt fieri vobis simus oportuno tempore graciosi. Sane dudum ex certis rationabilibus causis nonagintatria prestimonia capellanias nuncupata tunc expressa Gerundensis diocesis cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem vestri filii capitulum et predicte ecclesie Gerundensis mense auctoritate apostolica ex certa scientia incorporavimus anneximus et perpetuo univimus et cum accepissemus quod collatio et dispositio beneficiorum et ecclesiarum in quibus dicta prestimonia consistebant ad obtinentes dicta prestimonia pertinebant voluimus ac vobis auctoritate apostolica concessimus, ut predicta auctoritate super huiusmodi collationibus et super modo distribuendi et dividendi distributiones de fructibus predictorum prestimoniorum sic unitorum et aliis circunstantiis universis premissa concernentibus inter vos equitate semper servata conveniretis et concordaretis disponeretis statueretis et etiam ordinaretis prout bono statui dicte ecclesie cognosceretis expedire. Et deinde pro parte vestra nobis exposito quod in premissis nonnulla salubria statueratis et etiam ordinaveratis, nos huiusmodi statuta et ordinationes per vos ut premittitur facta rata habentes et grata illa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmavimus, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem nuper ex certis causis racionabilibus ad id nostrum moventibus animum omnes uniones annexiones et incorporationes de dignitatibus personatibus officiis portionibus prestimoniis ecclesiis parrochialibus et ruralibus ac aliis beneficiis

FUNDACIÓ NOGUERA

ecclesiasticis secularibus et regularibus quibuscunque cum cura et sine cura exemptis et non exemptis quocunque nomine censerentur invicem seu ecclesiis cathedralibus monasteriis mensis pontificalibus abbacialibus vel aliis quibuscunque ecclesiasticis beneficiis apostolica vel ordinaria seu alia quavis auctoritate sub quibusvis colore modo forma vel expressione verborum que quidem dignitates personatus officia porciones prestimonia ecclesias parrochiales et rurales et alia beneficia supradicta persone ipsa obtinentes per cessum vel decessum aut alias adhuc non dimiserunt factas seu alias uniones huiusmodi sortite non fuerant effectum, duxerimus revocandas et sicut exhibita nobis pro parte vestra petitio continebat, ex huiusmodi unione per nos de dictis prestimoniis ut premittitur facta que nondum suum plenum sortita est effectum multa salubria per vos fuerant ordinata, ex quibus multipliciter cultus divinus augebitur predictaque vestra ecclesia laudabiliter reformari speratur, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere vobis super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque intendentes vos et prefatam ecclesiam favoribus prosequi gracie specialis huiusmodi supplicationibus inclinati, volumus ac vobis auctoritate apostolica concedimus quod unio de predictis nonagintatribus prestimoniis necnon eciam confirmatio de prefatis statutis et ordinationibus que feceratis per vos ut premittitur facte et quecunque inde secuta perinde a datum presentium valeant et plenam obtineant roboris firmitatem, ac si uniones annexiones et incorporationes non revocavissemus supradictas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, VIIII Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno Tertio.

1161

1373 novembre 18, Avinyó

Gregori XI mana a l'oficial de Saragossa que, si el priorat de l'església collegiata de Santa Maria de Daroca amb cura d'ànimes està vacant, després de l'examen i en cas d'idoneïtat assigni aquesta parròquia a Joan Morell, rector de la parròquia de Manchones de la diòcesi de Saragossa.

FUNDACIÓ NOGUERA

A Barcelona, Arxiu Capitular de la Catedral, Pergamins, núm. 3-2-227.
a Butlla amb fil de cànem.

Gregorius XI episcopus servus servorum dei. Dilecto filio .. officiali Cesaraugustano salutem et apostolicam benedictionem. Dignum arbitramur et congruum ut illis se reddat sedes apostolica graciosam quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Sane petitio pro parte dilecti filii Iohannis Morelli rectoris parrochialis ecclesie de Manchons Cesaraugustane diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod olim prioratu secularis et collegiate ecclesie beate Marie Daroce dicte diocesis ex eo vacante, quod venerabilis frater noster Luppus archiepiscopus Cesaraugustanus dilectum filium Paschasium de Valdolinis clericum tunc ipsius ecclesie priorem, qui ab eadem ecclesia beate Marie continuaciter se absentaverat, monuit ut ad dictam ecclesiam beate Marie rediret et ibidem personaliter resideret et demum ipsum Paschasium ad hoc legitime evocatum huiusmodi monitioni parere contumaciter recusantem predicto prioratu per suam diffinitivam sentenciam, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam privaverat iusticia exigente prefatus archiepiscopus dictum prioratum sic vacantem et ad eius collationem pertinentem eidem Iohanni contulit et proinde eciam de eodem canonice nisi apostolice reservationes obstarent, cum autem sicut eadem petitio subiungebat, idem Iohannes dubitet dictum prioratum tempore collationis et provisionis huiusmodi de ipso eidem Iohanni ut premittitur factarum fore disposicioni apostolice specialiter reservatum dictumque Iohannem posse super eodem prioratu imposterum molestari, nos volentes predictum Iohannem in presbiteratus ordine constitutum apud nos de vite ac morum honestate et aliis virtutum suarum meritis multipliciter commendatum favore prosequi gracioso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus prioratus dignitas existat vel curam habeat animarum, post diligentem examinationem dictum Iohannem bene legere bene construere et bene cantare ac bene et congrue loqui latinis verbis et alias ydoneum ad dictum prioratum obtinendum vel etiam si bene non cantaret dummodo in tuis manibus iuret ad sancta dei evangelia, quod infra annum a tempore examinationis huiusmodi computandum bene cantare addiscet vel si idem prioratus dignitas non existat nec curam habeat animarum et per huiusmodi examinationem prefatum Iohannem ad hoc ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscienciam oneramus, eidem Iohanni dictam parrochialem ecclesiam, cuius fructus redditus et proventus triginta librarum Turonensium parvorum secundum antiquam taxationem decime valorem annuum, ut idem Iohannes asserit, non excedunt et quandam perpetuam portionem in eadem ecclesia

FUNDACIÓ NOGUERA

beate Marie obtinenti auctoritate apostolica concedas, quod collatio et provisio predicte de dicto prioratu eidem Iohanni ut premittitur facte etiam si prefatus prioratus dignitas existat et curam habeat animarum et quecunque inde secuta perinde a datum presentium dummodo dictus Paschasius familiaris ut non fuerit valeant et plenam obtineant roboris firmitatem ac si per sedem apostolicam nulla specialis reservatio facta foret, volumus autem quod idem Iohannes quamprimum dicti prioratus fuerit possessionem pacificam assecutus parrochialem ecclesiam et portionem predictas quas ut prefertur obtinet et quas extunc vacare decernimus omnino prout ad dimittendum portionem predictam idem Iohannes se sponte obtulit dimittere teneatur.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Decembris, pontificatus nostri Anno Tertio.

1162

1373 desembre 5, Avinyó

Gregori XI confirma al mestre i als frares de l'Hospital de Sant Joan de Jerusalem totes les llibertats i immunitats donades pels seus predecessors, i les llibertats i les exempcions dels tributs, indults dels reis, prínceps i altres fidels cristians.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Ordes religiosos i militars, carpeta 34, núm. 219.

a Butlla perduda.

GREGORIUS (XI) episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis .. magistro et fratribus hospitalis Sancti Iohannis Ierosolimitani salutem et apostolicam benedictionem. Solet annuere sedes apostolica piis votis et honestis petencium precibus favorem benivolum impertiri. Eapropter dilecti in domino filii vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus sive per privilegia sive alias indulgencias vobis et hospitali vestro concessas necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus et aliis christifidelibus rationabiliter vobis et hospitali predicto indultas, sicut eas iuste et pacifice obtinetis vobis et per vos eidem hospitali auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attemptare

FUNDACIÓ NOGUERA

presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, Nonas Decembris, pontificatus nostri anno Tertio.

1163

1374 gener 10, Avinyó

Gregori XI prega al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós), i l'exhorta, que defensi la ciutat de Tarragona i rebutgi les proposicions d'aquells que l'instigaven a apoderar-se d'aquesta ciutat, patrimoni de la seva Església fa més de dos-cents anys.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 11.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 354-355, doc. 720.
c *Schedario Baumgarten*, III, p. 428, doc. 6320.

Gregorius XI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. In splendore tue serenitati ornatibus virtutum regalium insignite nos, qui eius exaltationem tota mente diligimus, iocunditatis plenitudine delectamur precelsi quidem fama tui nominis diffusa per orbem et conscendens gestis laudabilibus in excelsum laudari meruit apud deum extolli laudibus populorum, cum in te inveniant gentes affabilitatis benivolenciam munificencie gratiam caritatis affluenciam et alte providencie maiestatem. Sane nuper accepimus quod nonnulli qui nomen domini in vacuum recipere non formidant, tuam regalem magnificenciam inducere voluerunt, ut civitatem Terraconensem que de patrimonio Terraconensis ecclesie fore dinoscitur et a ducentis annis citra semper fuit ad manum tuam poneres et ipsam inantea tanquam tuam propriam obtineres. Verum cum tu fili dilectissime gesta recolenda clare memorie progenitorum tuorum quorum prosequeris vestigia et qui erga deum et sanctam Romanam ecclesiam fervore fidei et sinceritate devotionis fulgentes tanquam principes catholici ab offensis quibusvis ecclesiis et eorum prelatis abstinere sicut benedictionis filii puris et devotis studiis curaverunt infra mentis archana revolvens talia suadentibus nullatenus acquiescere volueris, super quo regalem excellenciam multarum prosequimur actionibus gratiarum, excellenciam ipsam rogamus in domino et attentius exhortamur, quatinus huiusmodi venenosis persuasionibus si forsan inantea auribus instillarentur regiis abiectis penitus et repulsis non permittas sic turpem maculam poni quomodolibet in gloria tui nominis et honoris sed pocius reputes sicut reputare potes merito tales tuos et anime tue

FUNDACIÓ NOGUERA

detractores et hostes ac prefatam Terraconensem ecclesiam eiusque prelatum atque iura prout plene confidimus habere velis favorabiliter commendatos de nobis et apostolica sede certam tenens fiduciam quod nos super tuis oportunitatibus reperies quantum cum deo fieri poterit propicios et benignos.

Dat. Avinione, IIII Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno Quarto.

1164

1375 maig 15, Vilanova d'Avinyó

Gregori XI dóna gràcies el rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) per l'oferiment de deu galeres amb motiu de traslladar-se a Roma, fet en nom seu per Francesc Roma, doctor en lleis. Al mateix temps, li prega que doni plena fe a l'ardiaca major de l'església de Saragossa de l'orde de sant Agustí que li envia.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 12.
a Lletra tancada. Butlla amb fil de cànem.
b VINCKE, *Documenta selecta*, p. 505, doc. 657.
c MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 355, doc. 721.
d MOLLAT, *Grégoire XI, lettres intéressant les pays autres que la France*, II, p. 125, doc. 3322.
e *Schedario Baumgarten*, III, p. 432, doc. 6334.

Gregorius XI episcopus servus servorum dei. Carissimo in Christo filio Petro regi Aragonum illustri salutem et apostolicam benedictionem. Gaudemus et letamur in domino qui sic personam tuam gratie sue benedictione perfudit sicque tibi grandem animum prebuit ad sua beneplacita prosequenda, quod tanquam rex christianissimus eximie devotionis et illustrium meritorum titulis presignitus apud ipsum deum et sedem apostolicam gerens reverentiam filialem ea quod nobis cognoscis fore placita libenter operaris et effectu benivolo prosequeris honorans in hoc sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam in cuius caritatis visceribus locum precipuum obtines inter ceteros catholicos principes orbis terre. Sane nuper dilectus filius Franciscus Rome legum doctor decem galeas pro eundo Romam pro parte magnificentie tue liberaliter nobis obtulerit, super quo eidem magnificentie regie magnas exolvimus gratiarum actiones eamque ut carius possumus deprecamur, quatinus dilecto filio Maiori archidiacono ecclesie Cesaragustane ordinis sancti Augustini, quem propterea ad benignitatem regiam mittimus in hiis que super premissis ex parte nostra tibi dicet, plenam fidem adhibere benignitas ipsa velit.

Dat. apud Villamnovam Avinionensis diocesis, Idus Maii, pontificatus nostri anno Quinto.

FUNDACIÓ NOGUERA

1165

1376 febrer 25, Avinyó

Gregori XI mana als bisbes de Barcelona (Pere de Planella), de Lleida (Romeu de Sescomes) i d'Osca (Ferran Pérez Muñoz) que en concedir per un trienni al rei Pere III d'Aragó (el Cerimoniós) els dos terços de les rendes eclesiàstiques, no vol que s'imposin altres gravàmens sobre aquestes si no poden suportar-les, ni s'exigeixi si no poden de veritat satisfer-la; però com que ha tingut notícia que algú pensa allegar excuses per lliurar-se del pagament, adverteix que no s'eximeixi d'aquest pagament bisbes, abats i capítols.

A Barcelona, Arxiu de la Corona d'Aragó, Reial Cancelleria, Butlles, lligall 51, núm. 4 augment.
a Butlla amb fil de cànem.
b MIQUEL ROSELL, *Regesta*, p. 355-356, doc. 722.

Gregorius XI episcopus servus servorum dei. Venerabilibus fratribus .. Barchinonensi et .. Ilerdensi ac .. Oscensi episcopis salutem et apostolicam benedictionem. Apostolice sedis providencia circumspecta ad illa que plerumque ordinat et disponit declarationis, ubi expedit sue provisionem adicit et alias in eis providet prout fore conspicit oportunum. Sane dudum ex certis et rationabilibus causis ad id animum nostrum moventibus carissimo in Christo filio nostro Petro regi Aragonum illustri duas partes decime omnium reddituum et proventuum ecclesiasticorum in regnis suis comitatibus et terris, regno Sardinie et Corsice dumtaxat excepto, consistentium per tres annos continuos eidem regi certis terminis tunc expressis persolvendas tercia parte dicte decime pro camera nostra apostolica reservata duximus concedendas. Et inter cetera voluimus, quod hii quorum facultates ad integram solutionem dictarum decimarum supportatis aliis oneribus consuetis non suppetebant ultra quam iuxta suarum huiusmodi facultatum exigenciam commode solvere possent. Alii vero qui de ipsa decima nichil solvere possent ad solvendum aliquid pretextu concessionis huiusmodi decime nullatenus compellerentur quodque etiam hii quorum facultates ad integram solutionem dicte decime non suppetebant ut prefertur dumtamen id quod iuxta huiusmodi suarum facultatum commode possent persolverent, ac etiam hii qui de ipsa decima nichil ut prefertur solvere possent sentencias in processibus per nos, quos super premissis executores deputavimus faciendis contentas non incurrerent prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem sicut accepimus nonnulle persone ecclesiastice a solutione huiusmodi decime pretextu impotencie quamvis solvere possint, se excusare nitantur, nos super hoc eidem regi et dicte camere nostre ut huiusmodi concessio et reservatio nostre effectu non

FUNDACIÓ NOGUERA

careant providere volentes auctoritate apostolica tenore presencium decernentes volumus quod archiepiscopi episcopi abbates et capitula metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum pretextu impotencie a solutione huiusmodi decime nullatenus excusentur.

Dat. Avinione, VI Kalendas Martii, pontificatus nostri anno Sexto.

1166

1376 agost 19, Avinyó

Gregori XI concedeix a petició de Bertran de Vall, ciutadà de Lleida i doctor en dret, tenir un altar portàtil per tal que un sacerdot adequat pugui celebrar en llocs adients la missa i altres oficis divins.

A Lleida, Arxiu Capitular, Pergamins de Llibres, Calaix A48, censal núm. 56.
a Butlla perduda.

GREGORIUS (XI) episcopus servus servorum dei. Dilecto filio Bertrando de Vallo civi Ilerdensi legum doctori salutem et apostolicam benedictionem. Sincere devotionis affectus quem ad nos et Romanam geris ecclesiam non indigne meretur ut petitionibus tuis illis presertim quas ex devotionis favore prodire conspicimus, quamtum cum deo possumus favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos tuis devotis supplicationibus inclinati ut liceat tibi habere altare portatile cum debita reverencia et honore super quo in locis ad hoc congruentibus et honestis possis per proprium vel alium sacerdotem ydoneum missam et alia divina officia sine iuris alieni preiuditio in tua presencia facere celebrari devotioni tue tenore presencium indulgemus presentibus post decennium minime valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Dat. Avinione, XIIII Kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno Sexto.

1167

1376 agost 27, Avinyó

Gregori XI mana a Joan (de Blandiaco), bisbe de Sabina, a petició del bisbe Ramon (de Bellera) i del capítol de Vic, que les prestacions d'algunes capellanies i esglésies de la diòcesi de Vic es converteixin en distribu-

FUNDACIÓ NOGUERA

cions quotidianes per als canonges i personal del capítol de l'església de Vic.

A Vic, Arxiu Capitular, calaix 37-6-35 (1).
a Butlla amb fil de cànem.

Gregorius XI episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Iohanni episcopo Sabinensi salutem et apostolicam benedictionem. Inter cetera desiderabilia cordis nostri intentis desideriis cupimus ut ubique maiestas altissimi collaudetur in benedictionibus graciarum suique cultus divini nominis amplietur, ad quorum promotionem eo libentius ministerium apostolice solicitudinis adhibemus, quo magis debitum reputamus ut nunquam sileat ab ipsis laudibus lingua carnis. Sane petitio venerabilis fratris nostri Raymundi episcopi et dilectorum filiorum .. capituli Vicensium nobis nuper exhibita continebat, quod in Vicensi ecclesia in qua prebende et distribuciones cotidiane valde tenues existunt de canonicis ipsius ecclesie pauci resident, propter quod prefata ecclesia et eius iura plene defendi non possunt nec eciam in ea cultus divinus fieri, ut deceret ac speratur quod per augmentum huiusmodi distribucionum posset super premissis salubriter provideri quodque in civitate et diocesi Vicensi nonnulla sunt prestimonia quorum quidem prestimoniorum quedam capellanie et nonnulla feuda nuncupantur, videlicet sancti Petri de Ossono sancte Crucis de Orta sancti Petri de Castanyadello sancti Ilarii de Calmo sancti Vincencii de Spinalvasio de Sosqueda sancti Martini de Quartaluporum de Queros sancti Saturnini de Ossorio sancti Iohannis de Fabricis sancti Christofori de Taverteto sancti Laurencii de duobus montibus sancti Andree de Print sancti Petri de Falgas sancti Iuliani de Capraria sancte Marie de Corco sancti Bartholomei de Gorga sancti Martini de Cotibus sancti Petri de Roda sancti Petri de Savessona sancti Petri de Tavernolis sancte Marie de Falgerolis sancti Iuliani de Villatorta sancti Martini de Vilatrali sancte Marie de Villaleonum sancte Eugenie de Berga sancti Genesii de Taradello de Castanea sancti Cipriani de Czamora[59] de Bertino sancti Martini de Brolio sancte Marie de Seva de Aquafrigida sancti Quirici de Fagia sancte Columbe de Serra sancti Martini Cintillis sancte Columbe de Vineolis sancti Fructuosi de Balanyano sancti Andree de Tona sancti Stephani de Mintt[60] sancti Vincentii de Medalia sancti Martini de Salliforis sancte Marie Rotunde sancte Eulalie de Rivoprimo sancti Iuliani de Sorba sancti Andree de Gurbo sancti Stephani de Granolariis sancti Christofori de Vespella sancti Bartholomei de Gradu sancte Cecilie de

59. De Valle Alta o Vallalta.
60. Mint-Ras.

FUNDACIÓ NOGUERA

Voltegrano sancti Ypoliti de Voltegrano sancti Felicis de Turilione sancti Vincentii de Turilione sancti Stephani de Vineolis sancti Martini de Supramonte sancti Genesii de Orisio sancti Marcelli de Sederra sancte Marie de Bissaura sancti Petri de Sora sancte Marie de Spens sancti Baudili sancti Petri de Perafita sancti Felicis de Serra sancti Andree de Oristano sancte Marie de Aulost sancte Eulalie de Perdinis sancti Vincentii de Pratis sancti Martini de Merlesio de Gayano sancte Marie de Olone sancti Iohannis de Avinione sancti Andree de Castronovo de Bagiis sancte Marie de Artes sancti Martini de Muredin sancti Michaelis de Castellario de Copons de Viciana sancti Petri de Otina sancti Petri de Aquilone sancte Marie de Montebonino de Frexeneto de Rothamora de Solanelles de Timor sancti Anthonii de Monteolivo de Vilagrassa sanctarum Crucum de Montorniis de Talavera feudum feudum sacristie minoris nuncupatum sancti Salvatoris de Serra de Lops de Gallifa de Alboquers de Cantacorps sancti Petri de Turillione et sancte Eulalie de Argentola de Bagis ad collacionem episcopi ac .. archidiaconi Vicensium pro tempore existent, indivisim spectantia, que sacrum ordinem vel personalem residentiam non requirunt et que antiquitus fuerunt instituta ut canonici ipsius ecclesie, quibus tamen secundum statuta ipsius ecclesie iurata conferri debent ex ipsis una cum eorum prebendis honeste ac commode vivere et in dicta ecclesia que notabilis esse consuevit secundum eius honorificentiam residere possent quorumque fructus redditus et proventus ducentarum et sexaginta librarum monete Barchinonensis secundum communem extimacionem valorem annuum ut asseritur non excedunt ac per quorum unionem si eidem ecclesie Vicensi pro distribucionibus cotidianis fieret ad augmentum divini cultus posset salubriter provideri. Quare pro parte dictorum episcopi et capituli nobis fuit humiliter supplicatum ut providere super hoc de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque de premissis certam noticiam non habentes, fraternitati tue de qua in hiis et aliis specialem in domino fiduciam obtinemus per apostolica scripta committimus et mandamus, quatinus de premissis omnibus et singulis et earum circumstantiis universis et specialiter de remediis congruis ut in prefata ecclesia Vicensi cultus divinus laudabiliter exerceatur, et si utile esset quod predicta prestimonia in cotidianas distribuciones in ipsa ecclesia Vicensi interessentibus divinis perpetuo largiendas converterentur, ut ex hoc canonici dicte ecclesie inibi libentius residerent ac divinis interessent ac ipsius ecclesie iura melius defendi possent, diligentius te informes et si premissa fore vera et utile esse huiusmodi unionem fieri reppereris prefata prestimonia seu illa ex eis de quibus tibi videbitur super quibus tuam conscientiam oneramus cum omnibus iuribus et pertinenciis eorundem prefate

FUNDACIÓ NOGUERA

Vicensis ecclesie eciam si prestimonia ipsa seu aliquod vel aliqua ex eisdem fuit disposicioni apostolice generaliter vel specialiter reservata et eciam si illos qui huiusmodi prestimonia obtinent apud sedem apostolicam cedere vel decedere aut alias prestimonia ipsa ibidem quomodolibet dimittere contingat auctoritate apostolica incorpores ac annectes perpetuo et unias, ita quod dilecti filii capitulum ipsius ecclesie Vicensis illorum que tunc vacabunt extunc ac cedentibus vel decedentibus illis qui alia ex predictis prestimoniis que non vacabunt obtinent vel ipsa alias quomodolibet dimittentibus etiam si dicte sedis officiales existant ipsorum aliorum prestimoniorum supradictorum necnon iurium et pertinenciarum eorum per se vel alium seu alios corporalem possessionem libere ingredi et apprehendere ac ipsa prestimonia imperpetuum licite retinere eorumque fructus redditus et proventus pro distribucionibus cotidianis in dicta ecclesia Vicensi canonicis et personis de ipsis capitulo ibidem commorantibus et divinis interessentibus iuxta disposicionem dictorum episcopi et capituli perpetuo largiendas convertere valeant et debeant, cuiuscumque licencia minime requisita iure loci diocesani et alterius cuiuslibet alias in omnibus semper salvo. Contradictores auctoritate nostra appellacione postposita compescendo. Non obstantibus felicis recordationis Urbani pape V predecessoris nostri et quibuscumque aliis constitucionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie contrariis iuramento confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi prestimoniis vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus speciales vel generales dicte sedis vel legatorum eius litteras impetrarint, eciam si per eas ad inhibitionem reservacionem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quas litteras et processus habitos per easdem et quecumque inde secuta ad prefata prestimonia volumus non extendi sed nullum per hoc assecucionem prestimoniorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum preiudicium generari, seu quibuscunque privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quoruncunque tenorem existant per que presentibus non expressa vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris litteris mencio specialis. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

Dat. Avinione, VI Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno Sexto.

FUNDACIÓ NOGUERA

FUNDACIÓ
NOGUERA

Fundació Noguera, constituïda el 20 de juliol de 1976 pel notari de Barcelona Raimon Noguera Guzman

Antics presidents: Raimon Noguera Guzman
Lluís Figa i Faura
Josep M. Puig Salellas

Patronat

President: Joan J. López Burniol
Vocals: Robert Follia i Camps
Jordi Figa i López-Palop
Enric Brancós Núñez
Francesc-X. Francino i Batlle
Francesc Torrent i Cufí
Secretari: Lluís Jou i Mirabent
Director de Publicacions: Josep Maria Sans i Travé

Publicacions de la Fundació Noguera

Inventaris d'Arxius Notarials de Catalunya

— Vinyet Panyella: *Catàleg de l'Arxiu Notarial de Sitges*. Barcelona, 1981.

1. Antoni Jordà i Fernàndez: *Catàleg de l'Arxiu Notarial de Vilafranca del Penedès*. Barcelona, 1983.
2. Lluïsa Cases i Loscos: *Catàleg dels Protocols Notarials de Lleida*. Barcelona, 1983.
3. Lluïsa Cases i Loscos: *Catàleg de l'Arxiu Notarial de Tremp*. Barcelona, 1983.
4. Sebastià Bosom i Isern i Salvador Galceran i Vigué: *Catàleg dels Protocols de Puigcerdà*. Barcelona, 1983.
5. Pere Puig i Ustrell i Josep Sanllehí i Ubach: *Catàleg de l'Arxiu Notarial de Terrassa*. Barcelona, 1984.

FUNDACIÓ NOGUERA

6. Josefina MOLINERO: *Catàleg de l'Arxiu Notarial de Sabadell*. Barcelona, 1984.
7. Ramon PLANES I ALBETS: *Catàleg dels Protocols Notarials dels Arxius de Solsona*. Barcelona, 1985.
8. Montserrat CANELA I GARAYOA i Montse GARRABOU I PERES: *Catàleg dels Protocols de Cervera*. Barcelona, 1986.
9. Lluïsa CASES I LOSCOS i Imma OLLICH I CASTANYER: *Catàleg dels Arxius Notarials de Vic*. Barcelona, 1986.
10. Joan PAPELL I TARDIU: *Catàleg dels Protocols de Valls*. Barcelona, 1989.
11. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Catàleg dels Protocols Notarials de Barcelona*. Barcelona, 1990.
12. Albert TORRA PÉREZ i M. Luz RETUERTA JIMÉNEZ: *Catàleg dels Protocols Notarials de l'antic districte de Sant Feliu de Llobregat*. Barcelona, 1991.
13. Joan FARRÉ I VILADRICH: *Catàleg dels Protocols de Balaguer.* Barcelona, 1991.
14. J. M. PONS I GURI i Hug PALOU I MIQUEL: *Catàleg de l'Arxiu Històric Notarial d'Arenys de Mar.* Barcelona, 1992.
15. M. TORRAS, B. MASATS, R. VALDENEBRO, L. VIRÓS: *Catàleg dels Protocols Notarials de Manresa*. Volum I. Barcelona, 1993.
16. M. TORRAS, B. MASATS, R. VALDENEBRO, L. VIRÓS: *Catàleg dels Protocols Notarials de Manresa*. Volum II. Barcelona, 1993.
17. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Catàleg de l'Arxiu de Protocols del districte notarial de Sort.* Barcelona, 1995.
18. Anna SABANÉS ALBERICH: *Inventari de l'Arxiu de Protocols Notarials del Vendrell.* Barcelona, 1995.
19. Josep M. T. GRAU I PUJOL: *Catàleg del fons notarial del districte de Santa Coloma de Farners.* Barcelona, 1995.
20. M. A. ADROER I PELLICER, J. M. T. GRAU I PUJOL, J. MATAS I BALAGUER: *Catàleg dels Protocols del districte de Girona (I).* Barcelona, 1996.
21. Marta VIVES I SABATÉ: *L'Arxiu de Protocols del districte d'Igualada.* Barcelona, 1997.
22. Roser PUIG I TÀRRECH: *Catàleg dels protocols notarials dels antics districtes de Falset i Gandesa.* Barcelona, 2000.
23. Isabel COMPANYS I FARRERONS: *Catàleg dels protocols notarials de Tarragona (1472-1899).* Barcelona, 2000.
24. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Inventari de l'Arxiu Històric de Protocols de Barcelona. Segles XIII-XV.* Vol. I. Barcelona, 2001.
25. Rafel MESTRES I BOQUERA i Núria JORNET I BENITO: *Catàleg dels protocols notarials de Vilanova i la Geltrú.* Barcelona, 2001.
26. Joan FORT I OLIVELLA, Erika SERNA I COBA; Santi SOLER I SIMON: *Catàleg dels protocols del districte de Figueres (I).* Barcelona, 2001.
27. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Inventari de l'Arxiu Històric de Protocols de Barcelona. Segle XVI.* Vol. II. Barcelona, 2003.
28. M. Àngels ADROER I PELLICER, Erika SERNA I COBA, Santi SOLER I SIMON: *Catàleg dels Protocols del districte de Figueres.* Vol. II. Barcelona, 2004.
29. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Inventari de l'Arxiu Històric de Protocols de Barcelona. Segle XVII. 1601-1650*. Vol. III. Barcelona, 2004.
30. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Inventari de l'Arxiu Històric de Protocols de Barcelona. Segle XVII. 1651-1700*. Vol. IV. Barcelona, 2006.
31. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Inventari de l'Arxiu Històric de Protocols de Barcelona. Segle XVIII. 1701-1750*. Vol. V. Barcelona, 2009.

FUNDACIÓ NOGUERA

32. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Inventari de l'Arxiu Històric de Protocols de Barcelona. Segle XVIII. 1751-1800*. Vol. VI. Barcelona, 2009.
33. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Inventari de l'Arxiu Històric de Protocols de Barcelona. Segle XIX. 1801-1862*. Vol. VII. Barcelona, 2012.
34. Lluïsa CASES I LOSCOS: *Inventari de l'Arxiu Històric de Protocols de Barcelona. Segle XIX. 1863-1900*. Vol. VIII. Barcelona, 2013.
35. Marc AULADELL I AGULLÓ, Immaculada COSTA I VIARNÉS, Sílvia MANCEBO I GARCIA, Santi SOLER I SIMON i Jordi TURRÓ I ANGUILA (col·l.): *Catàleg dels protocols del districte de la Bisbal d'Empordà (I)*. Barcelona, 2016.

Textos i Documents

1. Germà COLON i Arcadi GARCIA: *Llibre del Consolat de Mar*. Vol. I. Barcelona, 1981.
2. Germà COLON i Arcadi GARCIA: *Llibre del Consolat de Mar*. Vol. II. Barcelona, 1982.
3. Germà COLON i Arcadi GARCIA: *Llibre del Consolat de Mar*. Vol. III. 1. Estudi jurídic. Barcelona, 1984.
4. Germà COLON i Arcadi GARCIA: *Llibre del Consolat de Mar*. Vol. III. 2. Diplomatari. Barcelona, 1984.
5. Antoni UDINA I ABELLÓ: *La successió testada a la Catalunya altomedieval*. Barcelona, 1984.
6. Joan BASTARDAS I PARERA: *Usatges de Barcelona*. Barcelona, 1984 (2.ª edició 1991).
7. Josep Maria PONS GURI: *El Cartoral de Santa Maria de Roca Rossa*. Barcelona, 1984.
8. Jesús ALTURO I PERUCHO: *L'Arxiu antic de Santa Anna de Barcelona del 942 al 1200*. Volum I. Barcelona, 1985.
9. Jesús ALTURO I PERUCHO: *L'Arxiu antic de Santa Anna de Barcelona del 942 al 1200*. Volum II. Barcelona, 1985.
10. Jesús ALTURO I PERUCHO: *L'Arxiu antic de Santa Anna de Barcelona del 942 al 1200*. Volum III. Barcelona, 1985.
11. Arcadi GARCIA I SANZ i Josep Maria MADURELL I MARIMON: *Societats Mercantils a Barcelona*. Volum I. Barcelona, 1986.
12. Arcadi GARCIA I SANZ i Josep Maria MADURELL I MARIMON: *Societats Mercantils a Barcelona*. Volum II. Barcelona, 1986.
13. Tomàs de MONTAGUT I ESTRAGUÉS: *El Mestre Racional a la Corona d'Aragó (1283-1419)*. Volum I. Barcelona, 1987.
14. Tomàs de MONTAGUT I ESTRAGUÉS: *El Mestre Racional a la Corona d'Aragó (1283-1419)*. Volum II. Barcelona, 1987.
15. Germà COLON i Arcadi GARCIA: *Llibre del Consolat de Mar*. Vol. IV. Barcelona, 1987.
16. Josep Maria PONS I GURI: *Les col·leccions de costums de Girona*. Barcelona, 1988.
17. Pere PUIG I USTRELL, Teresa CARDELLACH I GIMÉNEZ, Montserrat ROYES I PIJOAN i Judit TAPIOLAS I BADIELLA: *Pergamins de l'Arxiu Històric Comarcal de Terrassa, 1279-1387*. Barcelona, 1988.
18. Josep FERNÀNDEZ I TRABAL i Joan FERNÀNDEZ I TRABAL: *Inventari dels pergamins del Fons Mercader - Bell-lloc de l'Arxiu Històric Municipal de Cornellà de Llobregat (segles XI-XVIII)*. Volum I. Barcelona, 1989.

FUNDACIÓ NOGUERA

19. Josep FERNÀNDEZ I TRABAL i Joan FERNÀNDEZ I TRABAL: *Inventari dels pergamins del Fons Mercader - Bell-lloc de l'Arxiu Històric Municipal de Cornellà de Llobregat (segles XI-XVIII)*. Volum II. Barcelona, 1989.
20. Josep M. PONS I GURI: *Recull d'estudis d'història jurídica catalana*. Volum I. Barcelona, 1989.
21. Josep M. PONS I GURI: *Recull d'estudis d'història jurídica catalana*. Volum II. Barcelona, 1989.
22. Josep M. PONS I GURI: *Recull d'estudis d'història jurídica catalana*. Volum III. Barcelona, 1989.
23. J. M. PONS I GURI i Jesús RODRÍGUEZ BLANCO: *Inventari dels pergamins de l'Arxiu Històric Municipal de Calella*. Barcelona, 1990.
24. Max TURULL I RUBINAT: *La configuració jurídica del municipi Baix-Medieval*. Barcelona, 1990.
25. María del Carmen ÁLVAREZ MÁRQUEZ: *La Baronia de la Conca d'Òdena*. Barcelona, 1990.
26. Margarida ANGLADA, M. Àngels FERNÁNDEZ i Concepció PETIT: *Els quatre llibres de la reina Elionor de Sicília a l'Arxiu de la Catedral de Barcelona*. Barcelona, 1992.
27. Jordi ANDREU I DAUFÍ, Josep CANELA I FARRÉ i M. Àngels SERRA I TORRENT: *El llibre de comptes com a font per a l'estudi d'un casal noble de mitjan segle XV. Primer llibre memorial començat per la senyora dona Sanxa Ximenis de Fox e de Cabrera e de Navalles*. Barcelona, 1992.
28. Josep M. SANS I TRAVÉ: *Dietari o Llibre de Jornades (1411-1484) de Jaume Safont*. Barcelona, 1992.
29. Montserrat BAJET I ROYO: *El mostassaf de Barcelona i les seves funcions en el segle XVI. Edició del "Llibre de les Ordinations"*. Barcelona, 1994.
30. Josep HERNANDO: *Llibres i lectors a la Barcelona del segle XIV*. Volum I. Barcelona, 1995.
31. Josep HERNANDO: *Llibres i lectors a la Barcelona del segle XIV*. Volum II. Barcelona, 1995.
32. Maria Mercè COSTA I PARETAS: *La casa de Xèrica i la seva política en relació amb la monarquia de la Corona d'Aragó (segles XIII-XIV)*. Barcelona, 1998.
33. Antoni UDINA I ABELLÓ: *Els testaments dels comtes de Barcelona i dels reis de la Corona d'Aragó. De Guifré Borrell a Joan II*. Barcelona, 2001.
34. Ricardo CIERBIDE: *Edició crítica dels manuscrits catalans inèdits de l'orde de Sant Joan de Jerusalem (segles XIV-XV)*. Barcelona, 2002.
35. Agustí ALCOBERRO: *L'exili austriacista (1713-1747)*. Volum I. Barcelona, 2002.
36. Agustí ALCOBERRO: *L'exili austriacista (1713-1747)*. Volum II. Barcelona, 2002.
37. Josep Maria SANS I TRAVÉ: *El* Llibre Verd *del pare Jaume Pasqual. Primera història del monestir de Vallbona*. Barcelona, 2002.
38. Josep M. PONS I GURI: *Recull d'estudis d'història jurídica catalana*. Volum IV. Barcelona, 2006.
39. José Enrique RUIZ-DOMÈNEC: *Quan els vescomtes de Barcelona eren. Història, crònica i documents d'una família catalana dels segles X, XI i XII*. Barcelona, 2006.
40. Eulàlia MIRALLES (ed.): Antoni VILADAMOR, *Història general de Catalunya*. Volum I. Barcelona, 2007.
41. Eulàlia MIRALLES (ed.): Antoni VILADAMOR, *Història general de Catalunya*. Volum II. Barcelona, 2007.
42. Josefina MUTGÉ I VIVES: *El monestir benedictí de Sant Pau del Camp de Barcelona a través de la documentació de cancelleria reial de l'Arxiu de la Corona d'Aragó (1287-1510)*. Barcelona, 2008.

FUNDACIÓ NOGUERA

43. Rodrigue TRÉTON (ed.): *El llibre de les monedes de Barcelona i dels florins d'or d'Aragó. Compilació redactada per Jaume Garcia, arxiver reial de Barcelona, per a ús de la seca de Perpinyà*. Barcelona, 2009.
44. Joan PAPELL i TARDIU (ed.): *Compendium abreviatum. Còdex del monestir de Santa Maria de Santes Creus dels segles XV i XVI, de Fra Bernat Mallol i fra Joan Salvador.* Barcelona, 2009.
45. Montserrat DURAN PUJOL (ed.): *Llibre de la confraria y offici de perayres de la vila de Igualada, en lo qual estan continuadas las ordinacions y determinacions de dit offici, tretas del llibre de la confraria de perayres de la ciutat de Barcelona (1614-1887)*. Volum I. Barcelona, 2012.
46. Montserrat DURAN PUJOL (ed.): *Llibre de la confraria y offici de perayres de la vila de Igualada, en lo qual estan continuadas las ordinacions y determinacions de dit offici, tretas del llibre de la confraria de perayres de la ciutat de Barcelona (1614-1887)*. Volum II. Barcelona, 2012.
47. Carles DÍAZ MARTÍ (ed.): *La primera crònica del monestir de Sant Jeroni de la Murtra (1413-1604) de Francesc Talet.* Barcelona, 2013.
48. Joan FERRER I GODOY (ed.): *Actes i resolucions. Sant Joan de les Abadesses en època moderna 1630-1859*. Volum I. Barcelona, 2013.
49. Joan FERRER I GODOY (ed.): *Actes i resolucions. Sant Joan de les Abadesses en època moderna 1630-1859*. Volum II. Barcelona, 2013.
50. Rodrigue TRÉTON: *Liber Feudorum A. Les investigacions sobre els feus dels reis Jaume I i Jaume II de Mallorca 1263-1294 (Cerdanya, Capcir, Conflent, Vall de Ribes, Ripollès, Vallespir i vegueria de Camprodon)*. Volum I. Barcelona, 2013.
51. Rodrigue TRÉTON: *Liber Feudorum A. Les investigacions sobre els feus dels reis Jaume I i Jaume II de Mallorca 1263-1294 (Cerdanya, Capcir, Conflent, Vall de Ribes, Ripollès, Vallespir i vegueria de Camprodon)*. Volum II. Barcelona, 2013.
52. Jordi BOLÒS i Imma SÀNCHEZ-BOIRA: *Inventaris i encants conservats a l'Arxiu Capitular de Lleida (segles XIV-XVI)*. Volum I. Barcelona, 2014.
53. Jordi BOLÒS i Imma SÀNCHEZ-BOIRA: *Inventaris i encants conservats a l'Arxiu Capitular de Lleida (segles XIV-XVI)*. Volum II. Barcelona, 2014.
54. Jordi BOLÒS i Imma SÀNCHEZ-BOIRA: *Inventaris i encants conservats a l'Arxiu Capitular de Lleida (segles XIV-XVI)*. Volum III. Barcelona, 2014.
55. Vicenç RUIZ GÓMEZ: *Els pergamins documentals de l'Arxiu Històric de Protocols de Barcelona (1142-1500)*. Barcelona, 2014.
56. Joan Maria QUIJADA BOSCH i Neus SÁNCHEZ PIÉ: *De Rebus Gestis Ecclesiae. Els llibres de notes del capítol catedral de Tarragona (1734-1930).* Barcelona, 2014.
57. Isabel COMPANYS FARRERONS i Montserrat SANMARTÍ ROSET: *El primer llibre d'inventaris i encants del notari de Tarragona Bernat Gendre (1577-1597)*. Barcelona, 2015.
58. Isabel COMPANYS FARRERONS i Montserrat SANMARTÍ ROSET: *El llibre segon d'inventaris i encants del notari de Tarragona Bernat Gendre (1579-1612)*. Barcelona, 2015.
59. Gaspar FELIU I MONTFORT: *Els primers llibres de la Taula de Canvi de Barcelona*. Volum I. Barcelona, 2016.
60. Gaspar FELIU I MONTFORT: *Els primers llibres de la Taula de Canvi de Barcelona*. Volum II. Barcelona, 2016.

FUNDACIÓ NOGUERA

Textos i Documents. "Maior"

1. Jesús MASSIP I FONOLLOSA i altres: *Costums de Tortosa*. Barcelona, 1996 (format 22 × 31 cm).
2. Germà COLON i Arcadi GARCIA: *Llibre del Consolat de Mar*. Barcelona, 2001.

Estudis

1. AA. DD.: *Estudis sobre història de la Institució Notarial a Catalunya, en honor de Raimon Noguera*. Barcelona, 1988.
2. Aquilino IGLESIA FERREIRÓS (ed.): *El dret comú i Catalunya*. I. Actes del Ir Simposi Internacional de 1990. Barcelona, 1991.
3. Aquilino IGLESIA FERREIRÓS (ed.): *El dret comú i Catalunya*. II. Actes del IIn Simposi Internacional de 1991. Barcelona, 1992.
4. Ángel MARTÍNEZ SARRIÓN: *Monjos i clergues a la recerca del Notariat. Estudi dels documents llatins de l'abadia de Sankt Gallen (segles VIII-XII)*. Barcelona, 1992.
5. Aquilino IGLESIA FERREIRÓS (ed.): *Ius proprium - Ius commune a Europa. El dret comú i Catalunya*, III. Actes del IIIr Simposi Internacional de 1992: *Homenatge al professor André Gouron amb motiu de la seva investidura com a Doctor Honoris Causa per la Universitat de Barcelona*. Barcelona, 1993.
6. Arcadi GARCIA I SANZ i Núria COLL I JULIÀ †: *Galeres mercants catalanes dels segles XIV i XV,* Barcelona, 1994.
7. AA. DD.: *Actes del I Congrés d'Història del Notariat Català*. Barcelona, 1994.
8. Belén MORENO CLAVERÍAS: *La contractació agrària a l'Alt Penedès durant el segle XVIII. El contracte de rabassa morta i l'expansió de la vinya*. Barcelona, 1995.
9. Josep M. PUIG SALELLAS: *De remences a rendistes: els Salellas (1322-1935)*. Barcelona, 1996.
10. Aquilino IGLESIA FERREIRÓS (ed.): *El dret comú i Catalunya, IV*. Actes del IVt Simposi Internacional de 1994: *Homenatge al professor Josep M. Gay Escoda*. Barcelona, 1995.
11. Aquilino IGLESIA FERREIRÓS (ed.): *El dret comú i Catalunya, V*. Actes del Vè Simposi Internacional de 1995. Barcelona, 1996.
12. Aquilino IGLESIA FERREIRÓS (ed.): *El dret comú i Catalunya, VI*. Actes del VIè Simposi Internacional de 1996. Barcelona, 1997.
13. Jaume CODINA: *Contractes de matrimoni al delta del Llobregat*. Barcelona, 1997.
14. Maria Adela FARGAS PEÑARROCHA: *Família i poder a Catalunya, 1516-1626. Les estratègies de consolidació de la classe dirigent*. Barcelona, 1997.
15. Aquilino IGLESIA FERREIRÓS (ed.): *El dret comú i Catalunya, VII*. Actes del VIIè Simposi Internacional de 1997. Barcelona, 1998.
16. Tomàs LÓPEZ PIZCUETA: *La Pia Almoina de Barcelona (1161-1350). Estudi d'un patrimoni eclesiàstic català baixmedieval*. Barcelona, 1998.
17. Josep M. CRUSELLES: *Els notaris de la ciutat de València. Activitat professional i comportament social a la primera meitat del segle XV*. Barcelona, 1998.
18. Aquilino IGLESIA FERREIRÓS (ed.): *El dret comú i Catalunya, VIII*. Actes del VIIIè Simposi Internacional de 1998. Barcelona, 1999.

FUNDACIÓ NOGUERA

19. Josep SERRANO DAURA (ed.): *El territori i les seves institucions històriques.* Actes de les Jornades d'Estudi. Volum I. Barcelona, 1999.
20. Josep SERRANO DAURA (ed.): *El territori i les seves institucions històriques.* Actes de les Jornades d'Estudi. Volum II. Barcelona, 1999.
21. Anna RICH ABAD: *La comunitat jueva de Barcelona entre 1348 i 1391 a través de la documentació notarial.* Barcelona, 1999.
22. Aquilino IGLESIA FERREIRÓS (ed.): *El dret comú i Catalunya,* IX. Actes del IXè Simposi Internacional de 1999: *La família i el seu patrimoni.* Barcelona, 2000.
23. AA. DD.: *Actes del II Congrés d'Història del Notariat Català.* Barcelona, 2000.
24. Jordi FIGA I LÓPEZ-PALOP (ed.): *Miscel·lània Lluís Figa i Faura.* Barcelona, 2000.
25. Josep SERRANO I DAURA: *Senyoriu i municipi a la Catalunya Nova. Comandes de Miravet, d'Orta, d'Ascó i de Vilalba i baronies de Flix i d'Entença.* Volum I. Barcelona, 2000.
26. Josep SERRANO I DAURA: *Senyoriu i municipi a la Catalunya Nova. Comandes de Miravet, d'Orta, d'Ascó i de Vilalba i baronies de Flix i d'Entença.* Volum II. Barcelona, 2000.
27. Daniel PIÑOL I ALABART: *El notariat públic al Camp de Tarragona. Història, activitat, escriptura i societat (segles XIII-XIV).* Barcelona, 2000.
28. Maria VILAR I BONET: *Els béns del Temple a la Corona d'Aragó en suprimir-se l'orde,* Barcelona, 2000.
29. Cristina BORAU: *Els promotors de capelles i retaules en la Barcelona del segle XIV.* Barcelona, 2003.
30. Alfons ZARZOSO: *Medicina i Il·lustració a Catalunya.* Barcelona, 2004.
31. Santiago DE LLOBET MASACHS: *El matrimoni infantil a Catalunya i Europa*. Barcelona, 2005.
32. Joaquim ALBAREDA SALVADÓ: *El "cas dels catalans". La conducta dels aliats arran de la Guerra de Successió (1705-1742)*. Barcelona, 2005.
33. Miquel Àngel MARTÍNEZ RODRÍGUEZ: *Els magistrats de la Reial Audiència de Catalunya a la segona meitat del segle XVII*. Barcelona, 2006.
34. Imma PUIG ALEU: *Una visita pastoral al Baix Empordà als anys 1420-1423*. Barcelona, 2006.
35. Maria GARGANTÉ LLANES: *Arquitectura religiosa del segle XVIII a la Segarra i l'Urgell. Condicionants, artífexs i pràctica constructiva*. Barcelona, 2006.
36. Martín RODRIGO Y ALHARILLA: *Indians a Catalunya: capitals cubans en l'economia catalana* . Barcelona, 2007.
37. Victòria ALMUNI BALADA: *La catedral de Tortosa als segles del gòtic*, volum I, Barcelona, 2007.
38. Victòria ALMUNI BALADA: *La catedral de Tortosa als segles del gòtic*, volum II, Barcelona, 2007.
39. Nativitat CASTEJÓN DOMÈNECH: *Aproximació a l'estudi de l'Hospital de la Santa Creu de Barcelona. Repertori documental del segle XV.* Barcelona, 2007.
40. Jaume AUFERIL I BEA (ed.): Antoni VALLMANYA, *Poesies*. Barcelona, 2007.
41. Carles VELA I AULESA: *Especiers i candelers a Barcelona a la baixa edat mitjana. Testaments, família i sociabilitat,* Volum I, Barcelona, 2007.
42. Carles VELA I AULESA: *Especiers i candelers a Barcelona a la baixa edat mitjana. Testaments, família i sociabilitat,* Volum II, Barcelona, 2007.
43. Lluís MONJAS MANSO: *La reforma eclesiàstica i religiosa de la província eclesiàstica Tarraconense al llarg de la baixa edat mitjana*. Barcelona, 2008.
44. Joan SOLER I JIMÉNEZ: *La formació de la Pobla de Santa Pau a redós del castell dels barons (1248-1331).* Barcelona, 2008.

FUNDACIÓ NOGUERA

45. Jordi MORELLÓ BAGET: *Municipis sota la senyoria dels creditors de censals: la gestió del deute públic a la baronia de la Llacuna (segle XV)*. Barcelona, 2008.
46. Francesc TEIXIDÓ I PUIGDOMÈNECH: *Pesos, mides i mesures al Principat de Catalunya i comtats de Rosselló i Cerdanya a finals del segle XVI (1587-1594)*. Volum I. Barcelona, 2008.
47. Francesc TEIXIDÓ I PUIGDOMÈNECH: *Pesos, mides i mesures al Principat de Catalunya i comtats de Rosselló i Cerdanya a finals del segle XVI (1587-1594)*. Volum II. Barcelona, 2009.
48. Francesc TEIXIDÓ I PUIGDOMÈNECH: *Pesos, mides i mesures al Principat de Catalunya i comtats de Rosselló i Cerdanya a finals del segle XVI (1587-1594)*. Volum III. Barcelona, 2009.
49. Francesc TEIXIDÓ I PUIGDOMÈNECH: *Pesos, mides i mesures al Principat de Catalunya i comtats de Rosselló i Cerdanya a finals del segle XVI (1587-1594)*. Volum IV. Barcelona, 2009.
50. Francesc TEIXIDÓ I PUIGDOMÈNECH: *Pesos, mides i mesures al Principat de Catalunya i comtats de Rosselló i Cerdanya a finals del segle XVI (1587-1594)*. Volum V. Barcelona, 2009.
51. Eduard MARTÍ FRAGA: *La classe dirigent catalana. Els membres de la Conferència dels Tres Comuns i del Braç Militar (1697-1714)*. Barcelona, 2009.
52. Roser SABANÉS I FERNÁNDEZ: *Els concilis ilerdenses de la província eclesiàstica Tarraconense a l'edat mitjana (546-1460)*. Barcelona, 2009.
53. Xavier SOLÀ I COLOMER: *El monestir de Santa Maria d'Amer a l'època moderna: religió, cultura i poder. De la reforma benedictina a la vigília de les desamortitzacions (1592-1835)*. Volum I. Barcelona, 2010.
54. Xavier SOLÀ I COLOMER: *El monestir de Santa Maria d'Amer a l'època moderna: religió, cultura i poder. De la reforma benedictina a la vigília de les desamortitzacions (1592-1835)*. Volum II. Barcelona, 2010.
55. Miquel Àngel MARTÍNEZ RODRÍGUEZ: *La mitjana noblesa catalana a la darreria de l'etapa foral*. Barcelona, 2010.
56. Manuel GÜELL: *Els Margarit de Castell d'Empordà. Família, noblesa i patrimoni a l'època moderna*. Barcelona, 2011.
57. Josep M. GIRONELLA I GRANÉS: *Els molins i les salines de Castelló d'Empúries al segle XIV. La mòlta de cereals, el batanatge de teixits i l'obtenció de sal en una vila catalana baixmedieval.* Barcelona, 2010.
58. Llorenç FERRER I ALÒS: *Sociologia de la industrialització. De la seda al cotó a la Catalunya central (segles XVIII-XIX)*. Barcelona, 2011.
59. Elvis MALLORQUÍ: *Parròquia i societat rural al bisbat de Girona, segles XIII-XIV*. Barcelona, 2011.
60. Jordi ROCA VERNET: *La Barcelona revolucionària i liberal: exaltats, milicians i conspiradors*. Barcelona, 2011.
61. Josep CAPDEFERRO PLA: *Ciència i experiència. El jurista Fontanella (1575-1649) i les seves cartes*. Barcelona, 2012.
62. Montserrat RICHOU I LLIMONA: *La terra, la família i la mort al Baix Maresme (1348-1486)*. Barcelona, 2012.
63. Pere GIFRE RIBAS: *Els senyors útils i propietaris de mas. La formació històrica d'un grup social pagès (vegueria de Girona, 1486-1730)*. Barcelona, 2012.
64. Elisa BADOSA I COLL †: *La Barcelona del barroc a través d'una família de comerciants: els Amat*. Barcelona, 2012.
65. Miquel Àngel MARTÍNEZ RODRÍGUEZ: *Felip IV i Catalunya*. Barcelona, 2013.
66. Jaume FULLOLA FUSTER: *Mequinensa: de l'aïllament agrari a l'eclosió minera*. Barcelona, 2013.

FUNDACIÓ NOGUERA

67. Vicent BAYDAL SALA: *Guerra, relacions de poder i fiscalitat negociada: els orígens del contractualisme al regne de València (1238-1330)*. Barcelona 2014.
68. Lluïsa PLA I TOLDRÀ: *Els Girona. La gran burgesia catalana del segle XIX*. Barcelona, 2014.
69. Francesc AMORÓS I GONELL: *La Guerra de Successió i l'Orde de Malta a Catalunya. Política, finances i llinatges: 1700-1715*. Barcelona, 2014.
70. Adrià CASES IBÁÑEZ: *Guerra i quotidianitat militar a la Catalunya del canvi dinàstic (1705-1714)*. Barcelona, 2015.
71. Ivan ARMENTEROS MARTÍNEZ: *L'esclavitud a la Barcelona del Renaixement (1479-1516). Un port mediterrani sota la influència del primer tràfic negrer*. Barcelona, 2015.
72. Albert ESTRADA-RIUS: *La Casa de la Moneda de Barcelona. Les seques reials i els col·legis d'Obrers i de Moneders a la Corona d'Aragó (1208-1714)*. Barcelona, 2015.
73. Joan-Xavier QUINTANA I SEGALÀ: *Notaris carlins a Catalunya (1833-1840)*. Barcelona, 2016.
74. Margarita COSTA TROST: *Ramon Frederic Vilana-Perlas i Camarasa marquès de Rialp, i el Regomir de Barcelona*. Barcelona, 2016.

Acta Notariorum Cataloniae

1. Laureà PAGAROLAS I SABATÉ: *El protocol del notari Bonanat Rimentol de 1351*. Barcelona, 1991.
2. Pere PUIG I USTRELL: *Capbreu primer de Bertran acòlit, notari de Terrassa, 1237-1242*. Volum I. Barcelona, 1992.
3. Pere PUIG I USTRELL: *Capbreu primer de Bertran acòlit, notari de Terrassa, 1237-1242*. Volum II. Barcelona, 1992.
4. J. HERNANDO, J. FERNÀNDEZ, J. GÜNZBERG: *Liber examinationis notariorum civitatis Barchinone (1348-1386)*. Barcelona, 1992.
5. G. GONZALVO, M. C. COLL, O. SAMPRÓN: *El protocol del notari Pere de Folgueres (1338)*. Barcelona, 1996.
6. Rafael GINEBRA I MOLINS: *El Manual primer de l'Arxiu de la Cúria Fumada de Vic (1230-1233)*. Volum I. Barcelona, 1998.
7. Rafael GINEBRA I MOLINS: *El Manual primer de l'Arxiu de la Cúria Fumada de Vic (1230-1233)*. Volum II. Barcelona, 1998.
8. Miquel FORRELLAD SOLÀ: *Manual de Francesc Ajac, notari de Sabadell, 1400-1402*. Barcelona, 1998.
9. M. C. COLL, X. CAZENEUVE, J. HERNANDO: *El manual de Joan de Cabreny (1385-1386)*. Barcelona, 1999.
10. Rafel GINEBRA I MOLINS, Anna Maria DE ROCAFIGUERA I GARCIA, Jordi VILAMALA I SALVANS: *El manual de 1641 de Joan Francesc Torrellebreta, notari de Vic*. Barcelona, 2001.
11. Joan PAPELL I TARDIU: *El manual de les escriptures públiques d'Ignasi Cases i Ferrer, notari de Valls (1790-1791)*. Volum I. Barcelona, 2001.
12. Joan PAPELL I TARDIU, *El manual de les escriptures públiques d'Ignasi Cases i Ferrer, notari de Valls (1790-1791)*. Volum II. Barcelona, 2001.
13. Miquel TORRAS I CORTINA: *El manual del notari Pere Pau Solanelles de l'escrivania pública d'Igualada (1475-1479)*. Volum I. Barcelona, 2003.
14. Miquel TORRAS I CORTINA: *El manual del notari Pere Pau Solanelles de l'escrivania pública d'Igualada (1475-1479)*. Volum II. Barcelona, 2003.
15. Joan PEYTAVÍ DEIXONA: *El manual de 1700 de Jaume Esteve, notari de Perpinyà*. Barcelona, 2004.

FUNDACIÓ NOGUERA

16. Teresa ALEIXANDRE I SEGURA: *El Liber Iudeorum núm. 90 de l'Aleixar*. Barcelona, 2004.
17. Hug PALOU I MIQUEL: *Els* libri notularum *de Santa Coloma de Queralt (1240-1262)*. Volum I. Barcelona, 2009.
18. Hug PALOU I MIQUEL: *Els* libri notularum *de Santa Coloma de Queralt (1240-1262)*. Volum II. Barcelona, 2009.
19. Isabel COMPANYS I FARRERONS: *El protocol de 1850 del notari de Reus Francesc Sostres i Soler i del seu connotari Magí Sostres i Torra, naturals de Calaf*. Volum I. Barcelona, 2009.
20. Isabel COMPANYS I FARRERONS: *El protocol de 1850 del notari de Reus Francesc Sostres i Soler i del seu connotari Magí Sostres i Torra, naturals de Calaf*. Volum II. Barcelona, 2009.
21. Pilar MEILÁN CAMPO: *Manual de Marina de Josep Serra, notari de Mataró (1774-1775)*. Barcelona, 2010.
22. Rubén MOLINA I CAMPOY i Aymat CATAFAU CASTELLET: *La nòtula del notari Bernat Frigola de Cotlliure*. Barcelona, 2011.
23. Carme MUNTANER I ALSINA: *El Manual de Joan Pau Ferrer i Sala, notari de Sitges (1794-1796)*. Volum I. Barcelona, 2013.
24. Carme MUNTANER I ALSINA: *El Manual de Joan Pau Ferrer i Sala, notari de Sitges (1794-1796)*. Volum II. Barcelona, 2013.
25. Ricard Jordi BAÑÓ I ARMIÑANA*: Un notal alcoià dels anys 1296-1303*. Barcelona, 2013.
26. Joan SALVADÓ I MONTORIOL: *Vintè manual de Francesc Duran, notari de Barcelona. 1714*. Barcelona, 2014.
27. Albert RUBIÓ I SERRAT i Rafel GINEBRA I MOLINS: *El manual onzè d'Antoni Bosch, notari de Vic, de 1713-1714*. Barcelona, 2014.
28. Roser PUIG I TÀRRECH: *El manual de 1780 de Josep Clot Blet, notari de Reus*. Barcelona, 2015.

Llibres de Privilegis

1. Max TURULL I RUBINAT, Montserrat GARRABOU I PERES, Josep HERNANDO I DELGADO i Josep M. LLOBET I PORTELLA: *Llibre de Privilegis de Cervera, 1182-1456*. Barcelona, 1991.
2. J. VALLÉS, J. VIDAL, M. C. COLL i J. M. BOSCH: *El Llibre Verd de Vilafranca*. Volum I. Barcelona, 1992.
3. J. VALLÉS, J. VIDAL, M. C. COLL i J. M. BOSCH: *El Llibre Verd de Vilafranca*. Volum II. Barcelona, 1992.
4. Antoni MAYANS I PLUJÀ i Xavier PUIGVERT I GURT: *Llibre de Privilegis d'Olot (1315-1702)*. Barcelona, 1995.
5. Marc TORRAS I SERRA: *Llibre Verd de Manresa (1218-1902)*. Barcelona, 1996.
6. G. GONZALVO, J. HERNANDO, F. SABATÉ, M. TURULL i P. VERDÉS: *Els llibres de privilegis de Tàrrega (1058-1473)*. Barcelona, 1997.
7. Christian GUILLERÉ: *Llibre Verd de la ciutat de Girona (1144-1533)*. Barcelona, 2000.
8. Griselda JULIOL I ALBERTÍ: *Llibre Vermell de la ciutat de Girona (1188-1624)*. Barcelona, 2001.
9. Antoni COBOS FAJARDO: *Llibre de Privilegis de la vila de Figueres (1267-1585)*. Barcelona, 2004.
10. Teresa CARDELLACH I GIMÉNEZ, Pere PUIG I USTRELL, Vicenç RUIZ I GÓMEZ i Joan SOLER I JIMÉNEZ: *Llibre de privilegis de la vila i el terme de Terrassa (1228-1652)*, Barcelona, 2006.

FUNDACIÓ NOGUERA

11. Anna GIRONELLA DELGÀ: *Llibre groc de la ciutat de Girona.* Barcelona, 2007.
12. Joan VILLAR I TORRENT: *Llibre de privilegis de Palafrugell (1250-1724)*. Barcelona, 2007.
13. Sebastià BOSOM i Susanna VELA: *Llibre de privilegis de la vila de Puigcerdà*. Barcelona, 2007.
14. Sebastià BOSOM i Susanna VELA: *Llibre de les provisions reials de la vila de Puigcerdà*. Barcelona, 2009.
15. Vicent GARCIA EDO: *El Llibre Verd de Perpinyà (segle XII-1395)*. Barcelona, 2010.

Diplomataris

1. Josep Maria MARQUÈS: *Cartoral, dit de Carlemany, del bisbe de Girona (s. IX-XIV)*. Volum I. Barcelona, 1993.
2. Josep Maria MARQUÈS: *Cartoral, dit de Carlemany, del bisbe de Girona (s. IX-XIV)*. Volum II. Barcelona, 1993.
3. Pau MORA - Lorenzo ANDRINAL: *Diplomatari del monestir de Santa Maria de La Real de Mallorca, 1361-1386.* Volum I. Barcelona, 1993.
4. Pau MORA - Lorenzo ANDRINAL: *Diplomatari del monestir de Santa Maria de La Real de Mallorca, 1361-1386.* Volum II. Barcelona, 1993.
5. Maria PARDO I SABARTÉS: *Mensa episcopal de Barcelona (878-1299)*. Barcelona, 1994.
6. Albert BENET I CLARÀ: *Diplomatari de la Ciutat de Manresa (segles IX-X)*. Barcelona, 1994.
7. Esteve PRUENCA I BAYONA: *Diplomatari de Santa Maria d'Amer.* Barcelona, 1995.
8. Pere PUIG I USTRELL: *El monestir de Sant Llorenç del Munt sobre Terrassa. Diplomatari dels segles x i XI.* Volum I. Barcelona, 1995.
9. Pere PUIG I USTRELL: *El monestir de Sant Llorenç del Munt sobre Terrassa. Diplomatari dels segles x i XI.* Volum II. Barcelona, 1995.
10. Pere PUIG I USTRELL: *El monestir de Sant Llorenç del Munt sobre Terrassa. Diplomatari dels segles x i XI.* Volum III. Barcelona, 1995.
11. Antoni VIRGILI: *Diplomatari de la catedral de Tortosa (1062-1193)*. Barcelona, 1997.
12. Josep M. MARQUÈS: *Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300)*. Barcelona, 1997.
13. Ramon MARTÍ: *Col·lecció diplomàtica de la Seu de Girona (817-1100)*. Barcelona, 1997.
14. Xavier PÉREZ I GÓMEZ: *Diplomatari de la cartoixa de Montalegre (segles X-XII)*. Barcelona, 1998.
15. Andreu GALERA I PEDROSA: *Diplomatari de la vila de Cardona (anys 966-1276)*. Barcelona, 1998.
16. Ramon SAROBE: *Col·lecció diplomàtica de la Casa del Temple de Gardeny (1070-1200)*. Volum I. Barcelona, 1998.
17. Ramon SAROBE: *Col·lecció diplomàtica de la Casa del Temple de Gardeny (1070-1200)*. Volum II. Barcelona, 1998.
18. Gaspar FELIU i Josep M. SALRACH (dirs.): *Els pergamins de l'Arxiu Comtal de Barcelona de Ramon Borrell a Ramon Berenguer I.* Volum I. Barcelona, 1999.
19. Gaspar FELIU i Josep M. SALRACH (dirs.): *Els pergamins de l'Arxiu Comtal de Barcelona de Ramon Borrell a Ramon Berenguer I.* Volum II. Barcelona, 1999.
20. Gaspar FELIU i Josep M. SALRACH (dirs.): *Els pergamins de l'Arxiu Comtal de Barcelona de Ramon Borrell a Ramon Berenguer I.* Volum III. Barcelona, 1999.

FUNDACIÓ NOGUERA

21. Jesús ALTURO I PERUCHO: *Diplomatari d'Alguaire i del seu monestir santjoanista de 1076 a 1244*. Barcelona, 1999.

22. M. Josepa ARNALL I JUAN: *Lletres reials a la ciutat de Girona (1293-1515)*. Volum I. Barcelona, 2000.

23. M. Josepa ARNALL I JUAN: *Lletres reials a la ciutat de Girona (1293-1515)*. Volum II. Barcelona, 2000.

24. Pere PUIG, Vicenç RUIZ i Joan SOLER: *Diplomatari de Sant Pere i Santa Maria d'Ègara. Terrassa, 958-1207*. Barcelona, 2001.

25. Antoni VIRGILI (ed.): *Diplomatari de la catedral de Tortosa (1193-1212). Episcopat de Gombau de Santa Oliva*. Barcelona, 2001.

26. Antoni BACH I RIU: *Diplomatari de l'Arxiu Diocesà de Solsona (1101-1200)*. Volum I. Barcelona, 2002.

27. Antoni BACH I RIU: *Diplomatari de l'Arxiu Diocesà de Solsona (1101-1200)*. Volum II. Barcelona, 2002.

28. Josep M. PONS I GURI i Hug PALOU I MIQUEL: *Un cartoral de la canònica agustiniana de Santa Maria del castell de Besalú (segles x-xv)*. Barcelona, 2002.

29. Manuel PASTOR I MADALENA: *El cartulari de Xestalgar: memòria escrita d'un senyoriu valencià*. Barcelona, 2004.

30. M. Josepa ARNALL I JUAN: *Lletres reials a la ciutat de Girona (1517-1713)*. Volum III. Barcelona, 2005.

31. M. Josepa ARNALL I JUAN: *Lletres reials a la ciutat de Girona (1517-1713)*. Volum IV. Barcelona, 2005.

32. Arxiu Municipal de Girona: *Catàleg de pergamins del fons de l'Ajuntament de Girona (1144-1862)*. Volum I. Barcelona, 2005.

33. Arxiu Municipal de Girona: *Catàleg de pergamins del fons de l'Ajuntament de Girona (1144-1862)*. Volum II. Barcelona, 2005.

34. Arxiu Municipal de Girona: *Catàleg de pergamins del fons de l'Ajuntament de Girona (1144-1862)*. Volum III. Barcelona, 2005.

35. Joan PAPELL I TARDIU: *Diplomatari del monestir de Santa Maria de Santes Creus (975-1225)*. Volum I. Barcelona, 2005.

36. Joan PAPELL I TARDIU: *Diplomatari del monestir de Santa Maria de Santes Creus (975-1225)*. Volum II. Barcelona, 2005.

37. Josep BAUCELLS, Àngel FÀBREGA, Manuel RIU, Josep HERNANDO i Carme BATLLE (eds.): *Diplomatari de l'Arxiu Capitular de la Catedral de Barcelona. Segle XI*. Volum I. Barcelona, 2006.

38. Josep BAUCELLS, Àngel FÀBREGA, Manuel RIU, Josep HERNANDO i Carme BATLLE (eds.): *Diplomatari de l'Arxiu Capitular de la Catedral de Barcelona. Segle XI*. Volum II. Barcelona, 2006.

39. Josep BAUCELLS, Àngel FÀBREGA, Manuel RIU, Josep HERNANDO i Carme BATLLE (eds.): *Diplomatari de l'Arxiu Capitular de la Catedral de Barcelona. Segle XI*. Volum III. Barcelona, 2006.

40. Josep BAUCELLS, Àngel FÀBREGA, Manuel RIU, Josep HERNANDO i Carme BATLLE (eds.): *Diplomatari de l'Arxiu Capitular de la Catedral de Barcelona. Segle XI*. Volum IV. Barcelona, 2006.

41. Josep BAUCELLS, Àngel FÀBREGA, Manuel RIU, Josep HERNANDO i Carme BATLLE (eds.): *Diplomatari de l'Arxiu Capitular de la Catedral de Barcelona. Segle XI*. Volum V. Barcelona, 2006.

FUNDACIÓ NOGUERA

42. Jordi BOLÒS: *Diplomatari del monestir de Santa Maria de Serrateix (segles x-xv)*. Barcelona, 2006.
43. Joan FERRER i GODOY: *Diplomatari del monestir de Sant Joan de les Abadesses (995-1273)*. Barcelona, 2009.
44. Irene LLOP (ed.): *Col·lecció diplomàtica de Sant Pere de Casserres*. Volum I. Barcelona, 2009.
45. Irene LLOP (ed.): *Col·lecció diplomàtica de Sant Pere de Casserres*. Volum II. Barcelona, 2009.
46. Josep Maria MARQUÈS i PLANAGUMÀ: *El* Cartoral de Rúbriques Vermelles *de Pere de Rocabertí, bisbe de Girona (1318-1324)*. Barcelona, 2009.
47. Jordi BOLÒS: *Diplomatari del monestir de Sant Pere de la Portella*. Barcelona, 2009.
48. Ignasi J. BAIGES, Gaspar FELIU, Josep M. SALRACH (dirs.): *Els pergamins de l'Arxiu Comtal de Barcelona, de Ramon Berenguer II a Ramon Berenguer IV*. Volum I. Barcelona, 2010.
49. Ignasi J. BAIGES, Gaspar FELIU, Josep M. SALRACH (dirs.): *Els pergamins de l'Arxiu Comtal de Barcelona, de Ramon Berenguer II a Ramon Berenguer IV*. Volum II. Barcelona, 2010.
50. Ignasi J. BAIGES, Gaspar FELIU, Josep M. SALRACH (dirs.): *Els pergamins de l'Arxiu Comtal de Barcelona, de Ramon Berenguer II a Ramon Berenguer IV*. Volum III. Barcelona, 2010.
51. Ignasi J. BAIGES, Gaspar FELIU, Josep M. SALRACH (dirs.): *Els pergamins de l'Arxiu Comtal de Barcelona, de Ramon Berenguer II a Ramon Berenguer IV*. Volum IV. Barcelona, 2010.
52. Rodrigue TRÉTON (ed.): *Diplomatari del Masdéu*. Volum I. Barcelona, 2010.
53. Rodrigue TRÉTON (ed.): *Diplomatari del Masdéu*. Volum II. Barcelona, 2010.
54. Rodrigue TRÉTON (ed.): *Diplomatari del Masdéu*. Volum III. Barcelona, 2010.
55. Rodrigue TRÉTON (ed.): *Diplomatari del Masdéu*. Volum IV. Barcelona, 2010.
56. Rodrigue TRÉTON (ed.): *Diplomatari del Masdéu*. Volum V. Barcelona, 2010.
57. Ernest BELENGUER CEBRIÀ (ed.): *Col·lecció documental del regnat de Ferran II i la ciutat de València (1479-1516)*. Volum I. Barcelona 2011.
58. Ernest BELENGUER CEBRIÀ (ed.): *Col·lecció documental del regnat de Ferran II i la ciutat de València (1479-1516)*. Volum II. Barcelona 2011.
59. Jesús ALTURO i PERUCHO: *Diplomatari d'Alguaire i del seu monestir duple de l'orde de Sant Joan de Jerusalem (1245-1300)*. Barcelona, 2010.
60. Ramon CHESÉ LAPEÑA (ed.): *Col·lecció diplomàtica de Sant Pere d'Àger fins 1198*. Volum I. Barcelona, 2011.
61. Ramon CHESÉ LAPEÑA (ed.): *Col·lecció diplomàtica de Sant Pere d'Àger fins 1198*. Volum II. Barcelona, 2011.
62. STEFANO M. CINGOLANI: *Diplomatari de Pere I el Gran. 1. Cartes i Pergamins (1258-1285)*. Barcelona, 2011.
63. Pere PUIG i USTRELL, Vicenç RUIZ i GÓMEZ, Joan SOLER JIMÉNEZ, Alan CAPELLADES i RIERA: *Diplomatari de Sant Pere d'Ègara i Santa Maria de Terrassa, 1203-1291*. Barcelona, 2013.
64. Elvis MALLORQUÍ GARCIA: *Col·lecció diplomàtica de Sant Pere de Galligants (911-1300)*. Volum I. Barcelona, 2013.
65. Elvis MALLORQUÍ GARCIA: *Col·lecció diplomàtica de Sant Pere de Galligants (911-1300)*. Volum II. Barcelona, 2013.

FUNDACIÓ NOGUERA

66. Pere PUIG I USTRELL, Javier ROBLES I MONTESINOS, Vicenç RUIZ I GÓMEZ, Joan SOLER I JIMÉNEZ, Alan CAPELLADES I RIERA: *Diplomatari de Sant Llorenç del Munt, 1101-1230*. Barcelona, 2013.
67. Elvis MALLORQUÍ GARCIA: *Col·lecció diplomàtica dels Cartellà, cavallers de Maçanet de la Selva (1106-1301)*. Barcelona, 2015.
68. Stefano M. CINGOLANI: *Diplomatari de Pere el Gran. 2. Relacions internacionals i política exterior (1260-1285)*. Barcelona, 2015.
69. Sergi GRAU TORRAS, Eduard BERGA, Stefano M. CINGOLANI: *L'herètica pravitat a la Corona d'Aragó: documents sobre càtars, valdesos i altres heretges (1155-1324)*. Volum I. Barcelona, 2015.
70. Sergi GRAU TORRAS, Eduard BERGA, Stefano M. CINGOLANI: *L'herètica pravitat a la Corona d'Aragó: documents sobre càtars, valdesos i altres heretges (1155-1324)*. Volum II. Barcelona, 2015.
71. Francesc RODRÍGUEZ BERNAL: *Col·lecció diplomàtica de l'Archivo Ducal de Cardona (965-1230)*. Barcelona, 2015.
72. Javier ESCUDER (ed.): *Diplomatari de Santa Maria de les Franqueses, 1075-1298*. Barcelona, 2016.
73. Tilmann SCHMIDT, Roser SABANÉS I FERNÁNDEZ (eds.): *Butllari de Catalunya: documents pontificis originals conservats als arxius de Catalunya (1198-1417)*. Volum I. Barcelona, 2016.
74. Tilmann SCHMIDT, Roser SABANÉS I FERNÁNDEZ (eds.): *Butllari de Catalunya: documents pontificis originals conservats als arxius de Catalunya (1198-1417)*. Volum II. Barcelona, 2016.
75. Tilmann SCHMIDT, Roser SABANÉS I FERNÁNDEZ (eds.): *Butllari de Catalunya: documents pontificis originals conservats als arxius de Catalunya (1198-1417)*. Volum III. Barcelona, 2016.

FUNDACIÓ NOGUERA

FUNDACIÓ
NOGUERA

FUNDACIÓ
NOGUERA